SABAVDIA

VELOCIS IVSTITIÆ ET
MAVORTIÆ VIRTVTIS
ANTIQVA SEDES.

G. Lairesse invent.

A LA HAYE Chez RUTGERT CHRISTOFFEL ALBERTS. 1725.

NOVUM THEATRUM PEDEMONTII ET SABAUDIÆ, SIVE ACCURATA DESCRIPTIO IPSORUM URBIUM, PALATIORUM, TEMPLORUM &c.


TOMI. II. PARS I.

CONTINENS


Quasdam dissertationes de Origine, insignibus, militaribus ordinibus, Juribus, commodisque REGIÆ DOMUS SABAUDÆ nec non Geographicam SABAUDIÆ Descriptionem, & Tabulas URBIUM, CASTRORUM, ac præcipuorum locorum in SABAUDIA, MAURIANA FOCUNATIBUS, GENEVENSI, CHABLASIO & AUGUSTANA-VALLE.

Juxta delineationes Ichnographicas ibidem exhibitas summâ curâ & diligentiâ ipsis in locis accuratioris delineationis ergo exaratas.

Omnia in ordinem digesta.



HAGÆ-COMITUM,
Sumptibus & Curâ RUTGERI CHRISTOPHORI ALBERTS.
M. DCC. XXVI.



DISSERTATIONES
DE
REGIÆ DOMUS SABAUDIÆ ORIGINE,

GENTILITIIS INSIGNIBUS, EQUESTRIBUS ORDINIBUS, ET COMMODIS SEU CONVENIENTIIS QUOAD CÆTERA EUROPÆ REGNA.



Ivitiæ, ut ait Polibius, omnes homines ſpectant; nullum eſt qui parvâ ſolertiâ illas comparare non poſſit, etiamſi à majoribus pars copioſa illi fuerit denegata, at Claro Genere naſci eſt peculiare Diis aut Deorum proximis nempè Regibus aut principibus. Nihil eſt quod majorem ſplendorem familiæ nobilitati afferat, quam antiquitas, eo enim nobilitas eſt illuſtrior quo antiquior: eſt opinio generaliter approbata, hiſtoricè tamen nec philoſophicè loquor: alias, quam inepta ſit hæc opinio vulgaris, ſi vellem, facile mihi eſſet probandum nobilitatemq; non annis ſed virtute eſſe deſumendam: attamen juxtà Ariſtotelem, qui princeps Philoſophorum nuncupatur (at Philoſophorum argutantium, non verò ratione inſtructorum) definitur nobilitas, antiquitas & Sanguinis integritas.

His poſitis affirmare poſſumus nobilitatem Domûs *Sabaudiæ* nulli fere nobilitati Europæ cedere; nolo tamen deſumere illam ante clarum Witikindum cognomine Magnum Saxonum Regem, cujus nomen celebrant Imperii & Galliæ Annales, propter bella quæ adverſus Imperatorem *Carolum Magnum* cum tanta virtute tulit.

Witikindus inter multos liberos *Viguebertum* habuit; ex Vigueberto inter plurimos ortus eſt *Ludolphus* qui factus eſt ſimul cum Patre adhuc vivo Regnorum particeps.

Otto Cognomine *Magnus* Ludolpho ſucceſſit. Otto fuit in tutela Imperatoris Ludovici III. ultimi ſtripis Caroli-magni, qui anno ætatis ſuæ vigeſima quarta obiit. Imperium Ottoni Saxoniæ oblatum fuit. At Regni ſummatibus ſuaſit ut potius Conradum de Franconia licet ſuum inimicum elegerent. Hic paucis diebus regnavit, & animam agens, magnanimi-

nimitate non vulgari, instar Ottonis, ad ejus filium etiam inimicum ornamenta Imperatoria misit.

Henricus, cognomine Aviarius vocabatur, qui suum filium Ottonem I. super Thronum reliquit.

Otto I. duas uxores in matrimonium duxit, ex posteriore nomine Adeleida de Burgundia Ottonem II. quoque Imperatorem habuit.

Otto II. etiam duas uxores matrimonio sibi adjunxit, ex priore nomine Annâ Filiâ Ludpoldi Austriæ Marchionis natus est ei Hugo Saxoniæ Dux, & ex posteriore Otto qui Imperator factus est, ille Hugo Saxoniæ Dux tres filios habuit, Fœdericum suum successorem, Ulricum qui nullos liberos sustulit, & *Beroldum.*

Hic Beroldus in Italiam missus fuit ab Imperatore Ottone suo patrueli, qui ad Juveni principi animos faciendos, scutum Saxoniæ illi contulit & super duplicem Aquilam Imperatoriam ipsum collocavit, ut diplomatibus & antiquis monetis apparet.

His dictis videtur successio non interrupta septem generationum à Witikindo veteris domus Saxoniæ principe, unde sine controversiâ probatur, testimoniis auctorum coevorum, & omnium qui de progenie domus Saxoniæ scripserunt, Beroldus ex ea oriundus. Si jam demonstrare possumus eundem Beroldum esse domus Sabaudiæ caput, tunc promissis steterimus. Traditio, auctorum ejusdem ætatis Consensus, & permultæ circumstantiæ sejunctæ, à nobis stant.

Innumera sunt facta historica de quibus nulla ratio nobis apparet nisi ex traditione, & ut verè dicamus; estne historia aliud quam *perpetua traditio?* unde seneca dixit, *multum dare solemus præsumptioni omnium hominum, & apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri.* Cicero aperte hanc sententiam tuetur, *ficta enim omnia (inquit) celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum quicquam potest esse diuturnum.* Unde naturaliter sequitur opinionem confirmatam decursu V. aut VI. sæculorum (nullis refragantibus) pro se perscriptionem habere, & titulum veritatis assequi. Paulisper digressus sum ad respondendum in antecessum iis qui quamlibet traditionem falsam arguunt, quique consequenter vellent respuere testimonium quod illa antiquitati Regiæ stirpis Sabaudiæ præstat: at tamen omnes historici qui propiùs accedunt ad ætatem Humberti de *Albis Manibus*, ex quo Duces Sabaudiæ sinè dubio originem ducunt, inter se congruunt illum esse filium Beroldi Saxonis, qui alius esse non potest, nisi ille cujus Majores supra indicavimus, recurrendo usque ad *Witikindum* Magnum.

Horum auctorum denumeratio nimium tædii afferret, simul & locorum probatio ex eorum operibus deprompta quæ eandem veritatem nobiscum testantur. Monemus tantum lectorem ut evolvat Vernerum, Stumfium, Simlerum, Fabricium & Lauzium auctores Germanicos, Raphaelem Volterram, Eneam Silvium, Leonem Albertum, Paulum Emilium, Onuphrium auctores Italicos, potest quoque legere Champierum, Paradinum, Viguierum, Mathœum, Nostradamum, Genebrardum Historicos Gallicos: hic consensus è triplici gente laudatus unte decimum sextum sæculum non fuit in Dubium vocatus.

Auctores Sabaudos qui suspecti esse possent, sileo; attamen multi sunt inter illos quorum testimonia maximi debent esse ponderis ut illa Pingonii, Francisci Augustini *della Chiesa* & percelebris Patris *Monod*, trium auctorum qui vitam omnem consumpserunt in requirendis monumentis quæ historiam suæ patriæ illustrare possent; quique meritò habentur versatissimi in rebus quæ spectant historiam recentem. Antiqua Chronica Sabaubiæ Romanicè scripta, Abbatiæ altæ-combæ monumenta, acta Anniversariorum Ecclesiæ Augustæ-prætoriæ, uno verbo sacrum & profanum, omnia pro me pugnant.

Præterea dicamus Inscriptionem antiquam paucis abhuc annis inventam & in Palatio Taurinensi delatam, sine controversiâ in nostrum favorem derimere contentionem, exemplum ejus accuratum nobis fuerat promissum, at tempus ad hujus operis promulgationem, simul & magna negotia Ministri à quo hoc promissum tenebamus, nobis non licet huc adducere hoc monumentum quod tamen nihilominus existit.

His omnibus addictis, uniformitas antiquorum Scutorum primorum Sabaudiæ Comitum cum illis Saxoniæ quæ Aquilam ferunt nostræ sententiæ aliquid affert ponderis. Tumulus Beroldi, ante Ecclesiam sancti Honorati Arelatensis, erat effectus ex lapidibus striatis operę ectypis ornatam & aquilis onusto. Primum Sigillum Comitum Sabaudiæ cujus notionem habemus, quod titulo Abbatiæ Sancti Mauritii in Provincia Caballiensi anni MCL. pendit, est Humberti III., qui super equum, omnibus armis instructus apparet cum hac nummi inscriptione, *sig. Humberti Comitis*, absque sigillo ex aduerso opposito, at vero in Thomæ I. signo applicato concessioni factæ, anno M.CC.V. Bosoni Augustæ prætoriæ vice-comiti, non solum Clypeum & vexillum quæ præ manibus tenet aquilis sunt onerata, verum etiam sigillum ex adverso oppositum, aquilam fert alis expensis, & in altero sigillo simplici, in ima donatione facta ab eodem Comite Nosocomio Cenisii-Montis anno MCCXXII., est scutum aquilâ onustum cum hac Inscriptione, *Sigillum Th. Comitis Sab.*, sigillum oppositum Amedei IV. erat duplex aquila: at neminem fugit aquilam olim antiqua scuta domus Saxoniæ etiam constituere, ut adhuc hodie videtur in septima & decima quadra scuti gentilitii hujusce domus; addamus iterum Leones esse fulcra utriusque domus.

Quâcumque auctoritate argumenta quæ modo attulimus fulciantur, aliud est tamen quod mihi videtur decretorium, in eo consistit, quod Domus Saxonia non negat Domum Sabaudiæ ex sua stirpe ortam fuisse, & Duces Sabaudiæ

baudiæ etiam de ſe glorioſius prædicant à Domo Saxoniæ originem duxiſſe, hoc indè probatur quod Duces Sabaudiæ, cum Imperii Conventum Generale agitur, in ſeſſione & jure ſuffragii quorum potiuntur ut Imperii Principes, cum Ducibus Domûs Saxoniæ aggregantur. Hoc argumentum mihi videtur abſque Reſponſo, præſertim ſi probationibus ſequentibus addatur, in Nuptiali Contractu Carolæ de Sabaudia, Filiæ Ducis Ludovici & deſponſatæ Fœderico de Saxonia, filio primogenito Ducis, expreſſis verbis dici, *volentes circa renovationem fœderum affinitatis inter eos Duces qui ambo ab inclyta Domo Saxoniæ educti ſunt, ab antiquo, &c.*

At quis originis familiarum majorem notitiam tenere poteſt niſi ei qui harum duces dicuntur, & ſi tamquam affines & ex eadem ſtirpe nati inter ſe habentur, quid opus eſt illos mendatii arguere, præſertim cum alios majores *Humberto de albis manibus* adſcribere ſit perdifficillimum, aut potius nulli agnoſcuntur. Unum poteſt nobis objici, nempe, quo caſu Beroldus qui in Italiâ perſonam volonis agebat, potuit tamen ad Regnum tam magnum pervenire? Hanc objectionem diluiſſe arbitror, in hiſtoriâ Domûs Sabaudiæ pag. 6. primæ partis Voluminis primi hujuſce Theatri; qui hac de re plus ſcire deſiderio tenentur, recurrant ad auctores qui de Regno Burgundiæ ſcripſerunt, ut *Pingonium* & *Petrum Geroldum*, continuatorem * *della Hiſtoria di Torino* Eman. Theſauri. Ex iis accipient Sabaudiam ſimul & Maurianam fuiſſe duos Comitatus Regno Arelatenſi aut Burgundiæ ſubjectos; hoc Regnum gubernatum eſſe à *Rudolpho* qui ob ſua facta Regiæ majeſtatis indigna, *Ignavus* cognominatus fuit. Beroldus aliquo modo ejus (*a*) affinis, aſſiduè hunc Principem colebat & bonam fortemque operam illi præſtitit, nam cum maxima pars ſubditorum arma contra Regem induiſſent, Beroldus illos in officio continuit, ut veteres chartæ abbatiæ Altæ-combæ teſtantur. Rodolphus quem Prudentia & virtus Beroldi non latebat, gubernationem aut proregnum Burgundiæ ultra montem Juram illi conceſſit, & in præmio officiorum, illum donavit Comitatu Sabaudiæ & Maurianæ ſimul & parva portione Pedemontii, verſus Pinarolium. Maximæ auctoritatis erat apud Regem, & ſunt multæ conceſſiones ac donationes hujuſce Regis *Ignavi*, quibus Comes Beroldus ſuum ſignum appoſuit, inter quas Donatio multorum vicorum facta monaſterio ſancti Mauritii, ſollicitantibus, ut ferunt diplomata, Reginâ Ermengardâ & Comite Beroldo. *Rudolphus* qui abſque ſobole de vita migravit potentiæ *Beroldi* multum profuit. Otto III. Imperator apud *Rodolphum* ſuo præſidio eum texerat, cum *Henricus* cognomine ſanctus *Ottoni* ſucceſſiſſet; *Rodolphus* ejus conſanguineus eum hæredem ſuorum bonorum inſtituere meditatus eſt, tunc *Beroldus* huic futuro domino qui ſuæ (*b*) ſtirpis erat, ſe addixit. At Henrico deficiente parum abfuit quin de omnibus fortunis deturbatus fuiſſet, imprimis cum *Conradus Salicus* Domus Franconiæ factus fuit Imperator. *Rodolphus* cupiens quoquo modo Imperium in poſſeſſionem ſuorum principatuum deducere, *Conradum* Henrico ſubrogavit. Principes Domus *Saxoniæ* contendentes dignitatem imperatoriam in ſua poſteritate perpetuo permanſuram ſicuti in poſteris Caroli Magni perſeveraverat, Fœdera inierant ad hunc Imperatorem de Solio dimovendum. Italici Principes in omnibus illi quoque fuerunt adverſati. Unde multi illius intererat animos illorum qui in Bungundia prima occupabant munera permulcire, *Beroldus* inter omnes maxima auctoritate valebat, & eo magis in rem *Conradi* cedebat ut in ſuam partem deſcenderet, quod ex eodem Genere ortus eſſet: illud optimè ſucceſſit Beroldo, qui hâc occaſione bene uſus eſt. Et Conradus adiens hæreditatem Regnorum Rudolphi, hunc ſummum Regni adminiſtrum participem rerum ſuarum fecit, quem huicce Regno præpoſuit, Donationes illi conceſſas confirmavit, & etiam titulum ſui vicarii in Italia addidit. Hæc plus quam ſufficiunt, ut arbitror, non ſolum ad originem hujuſce domus probandam, verùm etiam modum quo in poſſeſſionem Regnorum *Sabaudiæ* & *Maurianæ* pervenit, ad quæ multa alia adjunxit. Quorum modo adeptionem ponderabimus, *Chablaſſium Valleſiam* ſicut & Provinciam *Sancti Mauritii* † nactus eſt *Humbertus de Albis manibus* qui has Provincias ad Comitatus *Sabaudiæ* & *Maurianæ* adjunxit. Officium maximi momenti in *Conradum* Imperatorem contulerat, cum *Odonem* de Campaniâ qui cum illo de Regno contendebat è Burgundiâ expulit. Non laboro utrum *Odo* majus in illud jus haberet quam *Conradus*; hic Imperator pro tantis Beneficiis, tres Provincias ſupra dictas illi donavit, atque etiam confirmavit titulum Proregis Arelatenſis qui prius *Beroldo* conceſſus fuerat, Humbertus ille primus in ſua familia legem ſalicam jam in Saxoniâ ſimul & Germaniâ acceptam condidit.

Oddo Comes tertius ab *Humberto* ad Provincias ſupra allatas addidit Marchionatum *Seguſii* & Principatum *Auguſtæ-pretoriæ*, jure ſui Connubii cum *Adeleida* filia & hærede *Manfredi Olderici* poſtremi Seguſii Marchionis & Domini Auguſtæ-prætoriæ qui etiam Taurinum jure ſuum eſſe contendebat. Poſſeſſio Seguſii titulis Comitum Sabaudiæ, iterum *Marchionis Italiæ* aut in Italia titulum alterum addebat.

Amedeus II. Ottonis filius ſua Regna Provinciis *Bugeſiæ* & *Subalpinæ* ſive *Pedemontii* ampliavit, ex his prior ab Imperatore Henrico

Annot. in Lib. VII.

(*a*) *Adelaida* Burgunda ſoror Conradi pacifici & amita Rudolphi ignavi, dum vidua eſſet *Lotharii* II. Italiæ Regis, ſecundis nuptiis juncta *Othoni* I. Imperatori, mater fuit *Othonis* II. cujus nepos erat *Beroldus*.

(*b*) Rudolphus ille Dux erat Bavariæ, filiuſque Henrici cognomine Brevis ex Saxoniæ domo, & Giſlæ Burgundæ; ita ut patruelis erat Othonis, hic verò patruus Beroldi.

(†) Monaſterium eſt magni nominis in Valleſiâ ditione, cui olim Agauni nomen, de illo fuſiùs dicetur in diſſertatione de Militiâ *S. Mauritii*.

co IV. illi donata fuerat quem reduxerat in gratiam Papæ Gregorii VII. in Castello Canusii, posterior erat hæreditas suæ Matris Adeleidæ aut potius suæ Materteræ Ducissæ *Immillæ* quæ apud Taurinos sedem habebat, quæ pro sua legitima portione ex bonis paternis, id est *Manfredi Olderici*, acceperat omnia quæ Marchiones Segusii in Pedemontio possidebant; super hæc, ad Pingonium recurrere quisque potest, & ad illa quæ jam commemoravimus in nostra Historia Universali ubi sermo est de Adelaïda & Immilla.

Humbertus II. *Amedei* filius prædia & titulos suæ Domus auxit: jam supra vidimus illum *Pedemontanum* cognominatum fuisse, eo quod in hac Provincia suam auctoritatem firmaverat, suis Regnis adjunxit *Tarentasiam* quam à principibus Brigantiis, qui populos vexabant, ademit. Populi Beneficiorum memores, sub illius potestatem se subjecerunt, quo illum inducerent ut eis iterum sua protectione faveret. Henricus IV. Imperator in Italia suum Vicarium ipsum renunciavit.

Principatus Comitum Sabaudiæ in eodem statu sub Comitibus sequentibus permanserant usque ad *Amedeum magnum*, Comes *Thomas* ab Imperatore Philippo designatus fuit *Vicarius Generalis Imperii apud Longobardos & Pedemontanos*, quam dignitatem ejus successores semper servaverunt. Amedeus IV. ejus filius, provinciæ Caballiensis & Augustæ-prætoriæ ab Imperatore Frederico II. Dux creatus fuit. Anno M. CC. XXXVIII. Comes Petrus qui ob præclara facinora parvus Carolus-magnus cognomitatus est, ad summum imperium suæ domûs Regnorum provectus morte nepotis Bonifacii, provinciis de quibus jam Sermonem habuimus addidit Romanam Ditionem simul & jura in Baroniam *Focunatum*. Hæc Romana Ditio diversis partibus fuit formata. Petrus in ea Comitatum Romontii habebat. Hunc Comitatum in dotem acceperat, ergo hæc Regio jam ad domum Sabaudiæ pertinebat; Amedeus IV. etiam in ea habebat urbes vulgo, Bossens & Stavoyes, incolæ oppidorum Vavey, Payerne & Morat sub potestate Petri se subjecerant ut incolumes ab ipso rum vicinorum incursibus eos conservaret. Episcopus Lausannæ eâdem ratione dimidiam partem suæ urbis illi concesserat, & Imperator Richardus illi assignaverat successionem fundorum quæ Domus Kiburgii in ea tenebat. A multis privatis compararat Castella Aubonne, Villey, *la Tour*, *Vivay* Yverdun, tandem jussit ædificare arcem Morseæ. Sic fuit formata hæc provincia quæ sub dominio Domus Sabaudiæ stetit usque ad Regnum *Caroli* cognomine *bonià* quo Helvetii atque illam eripuerunt, in compensationem sumptuum bellicorum retinuerunt. Jura vero in Focuates adeptus est suo matrimonio cum *Anna* filia & hærede Aymondi, donatione facta die XIII. Septembris anni M. CC. LII. *Anna* illa testamento diei XVI. Octobris M. CC. LXVI. Comitem *Petrum* suum conjugem instituit heredem pro duabus partibus *Focunatum* & suam filiam Beatricem pro altera parte.

Amadeus V. cognomine *Magnus*, à suo patrueli Philippo ad successionem vocatus, cum damno liberorum *Thomæ* II. ejus fratris, eo quod jus primogenitorum nondum invaluit; in uxorem duxerat Sibillam hæredem *Brixiæ* & *Balgii* anno M. CC. LXXII. & virtute hujusce Matrimonii hi duo principatus Regna domus Sabaudiæ adauxerunt. Henricus VII. Imperator ab Amedeo in suis Regnis exceptus, & Romam conductus, hic inquam Imperator ipsi & suis successoribus urbem, Communitatem, & *Comitatum* Astæ cessit, diplomatibus datis apud Castra propè Florentiam die VIII. Martii M. CCC. XIII. *Amadeus* VI. fuit primus qui pro suis successoribus jus primogenitorum instituit.

Comes *Aymondus Amedei* V. Filius natu minor, suo Connubii contractu cum Jolandâ de Monteferrato Comitis Theodori filia, suæ familiæ Jus minime dubium in successionem Montisferrati, deficientibus Stirpis Paleogorum maribus comparavit.

Amadeus VI. cognomine Comes *Viridis* Clarascum, *Montem Regalem*, *Savilianum* simul & *Cuneum*, à Domo Andegavense, usurpavit. Et via armorum Marchionem Salutiarum coegit ut suum Clientem se diceret, & ab illo homagium exegit. Quod confirmatum fuit ab Imperatore *Carolo* IV. qui Comiti omnia sua Jura in hunc Marchionatum concessit, suo quoque Imperio adjecit partem Juris quod Marchio Montisferrati sibi esse contendebat in urbem Eporediam quam Imperatores Fœdericus & Guillelmus jam concesserant *Thomæ* II. Pedemontii principi, & cujus Incolæ in Clientelam *Philippi* Principis quoque Pedemontii se commiserant.


Principes *Dombarum* & agri *Baujoviensis* apud Amedeum VII. ut Brixiæ principem se Clientes professi sunt. Inter dissidia *Ladislai Duratii* & Ludovici Andegavensis, causâ Dominii utriusque Siciliæ, Civitas simul & Comitatus *Niciæ* & *Vintimiliæ*, qui partem hujus successionis constituebant, Ladislao assentiente Comiti Amedeo VII. se dediderunt anno M. CCC. LXXXVIII. Vicariatus Barcinonæ ad Alpes novissime se quoque contulerat in fidem Amedei Sabaudiæ Pedemontii principis, cujus Regna paulò post ad familiam primogenitam pervenerunt.

Regnante *Amedeo* VIII., (qui anno M. CCCC. XVI. nomen Comitis in titulum Ducis Sabaudiæ commutavit, cujus Imperator Sigismondus in Urbe Camberii omnibus ornamentis cum apparatu eum cinxit,) omnia Regna Domus Sabaudiæ quæ ab *Amedeo* IV. inter utramque Domum Sabaudiæ & Pedemontii disjuncta fuerant, decessu Ludovici, Pedemontii Principis in unicum dominium redierunt anno M. CCCC. XVIII. Hâc successione Domus Regia Sabaudiæ hereditatem adiit juris in *Achaiam* & *Peloponnesum*, quas provincias

vincias Isabella *Villehardouin* in dotem attulerat Philippo Principi Pedemontii & Nepoti Comitis Thomæ I. Hic Dux suis Regnis Urbem & Comitatum *Vercellensem* addidit cessione illi facta à Philippo Viscontio Duce Mediolani, pacto Taurini An. M. CCCC. XXVII. ab anno M. CCCC. I. Oddo de Villars Comes *Genevensis*, nullos successores habens Amedeo VIII. tunc Parisiis habitans vendidit hunc Comitatum *Genevensem*; pro summa XLV. millium librarum aurearum, simul & principatu Castelli novi apud Verromeos; tandem convento Thononi facto inter ipsum & Joannem Jacobum de Monteferrato partem Montisferrati sibi comparavit.

Baronia Focunatum Matrimonio Comitis Petri cum Annâ, reipsâ sub Dominio Domus Sabaudiæ fuerat, ex qua excesserat connubio illorum filiæ unicæ Beatricis cum Guidone agri Viennensis Delphino, cujus successores servarunt hanc Baroniam quæ inter utramque familiam multa dissidia attulit, usque ad annum M. CCCC. XLV, quo Ludovicus agri Viennensis Delphinus Baroniam & hominium Focunatum cessit Duci Ludovico, qui in illius favorem Comitatibus, Diensis & Valentini agri renunciavit. Ludovicus in uxorem ducens Annam Cyprensem filiam & hæredem Jani II. hujusce Insulæ Regis in hoc Regnum jus habuit, & adjunxit titulo Marchionis, Comitem, & titulo Ducis, Regem.

Sic omnes diversæ partes quæ nunc Regna Sabaudiæ constituunt, sensim & successivè in unum coaluerunt, quæ Regna successores Ducis Ludovici suæ posteritati reliquerunt usque ad Victorem Amedeum II. in præsenti Sardaniæ Regem, qui, ut ita dicamus, suas Ditiones corrotundavit, eis addendo, fœdere quod cum Austria iniit, omnem Montemferratum sibi à Ducibus Mantuæ tam diu disputatum; hic Princeps Regno Cypri conjunxit possessionem certam Regni Sardaniæ quod Imperator Carolus VI. illi cessit in commutationem Regni Siciliæ, pace Ultrajectensi ipsi concessi: hæc possessio confirmata est Pacto Viennæ inter Imperatorem & Hispaniæ Regem composito.



Dissertatio de Insignibus.

Exhibet dissertatio retro proxima Insignia Comitum Sabaudiæ Aquilâ adornati, quod maximo est argumento familiam Sabaudiæ Regiam, à familia Saxoniæ & à Clarissimo Duce Witikindo originem ducere. Id probant sigilla vetusta adhærentia diplomatibus, priorum sigilla Comitum nihil ferunt nisi equitem cataphractum, loricâ instructum: cujus dextra gladium vaginâ vacuum, læva vero scutum gestabat. Thomæ septimi Comitis sigillum Aquila insignitur, sicuti alterum ex adverso sigillo appositum. Hujusce principis magnum quoque reperitur sigillum quo scutum gentilitium cum Aquila continetur. Sigillum ex adverso appositum filii ejus Amedei IV. cujus titulus est duplex anni MCCXXXIX. bicipitem refert Aquilam. In Tumulo ejus (scilicet Comitis Thomæ), qui versatur in Ecclesia Cathedrali Augustæ-prætoriæ, pingitur hic princeps Dalmaticâ indutus, sustinens in pectore Aquilam expressam quoque in Clypeo & in duobus scutis gentilitiis ad anticam tumuli partem positis, sed inter utrumque extat tertium, crucem referens. Ad pedes imaginis assidet Leo, soliti Sabaudiæ insignium Telamones, cui est collocare, ubi inscribitur FERT, & appendet scutum cruce refertum. Quod demonstrat ad stemmata Comitum Sabaudiæ gentilitia aquilam non pertinere unam (quod facile probatu mihi videtur) verum etiam Aquilam, Leonem & Crucem absque ullo discrimine. Mea desumuntur argumenta ex ipsorum Monetis & Mausoleo filiæ Comitis Thomæ, Raymundo Beranger Comiti Narbonensi nuptæ, hæc princeps est sepulta in æde vulgà *des Eschelles* in Sabaudia, circa cujus tumulum XXII. erant imagines marmoreæ cum totidem scutis gentilitiis. Comitum Amedei, Aimondi Patris, hujusce Principis fratrum, crucem, Comitum Humberti & Guillelmi ejusdem fratrum, aquilam; Comitis Thomæ, Leonem Belgicum ferebant scuta. Duo, ex tribus scutis, quæ extremam tumuli partem occupabant & quorum unum erat Comitissæ ipsius & alterum genitoris, Aquilam gerebant. Quo ad Monetas, Crux cælabatur in Monetis Humberti II. & in adversam faciem Monetarum Amedei II. quarum altera facies bicipitem aquilam habebat: ex modo dictis concludi potest Comites, postquam adepti fuissent Pedemontium cujus stemmata crucem ferebant, sua variasse insignia, modo Cruce, modo aquilâ utentes, aut potius crucem loco aquilæ sufficientes, tum pietatis caussa tum quia Crux Longobordorum erat Insigne. Præterea cum Amedeus III. in fœdus belli terræ sanctæ contra Infideles fœderati coivisset, hoc fuit in causa cur Comites ejus successores crucem servarent, quæ sui jam erat juris ex Pedemontii & Segusii hæreditate. At crucem fuisse Pedemontii & Segusii Stemmata, probant duæ Monetæ, de quarum altera mentionem facit nostra historia universalis domus Sabaudico apud quam legitur, Amedeum I. cognomen *Pedemontani* sibi vindicantem, crucem aquilæ Sabaudiæ adjunxisse. Alterius monetæ, quæ est Humberti II, una facies habet crucem cujus superior ramus duobus *Tortulis* fulcitur cum inscriptione, *Humbertus Comes*, & adversa facies fert stellam quinquies acutam, cum duobus *Tortulis, una in capite, altera in palo*, & Inscriptione *Secusia*, undè eam fuisse Segusii monetam in dubium revocari nequit. Quod opinioni meæ usque favet; si quidem parvi mea refert an Comites propter Segusium aut propter Pedemontium insignia adornaverint cruce, cum, ut constat, ad ipsos pervenerit ex hæreditate Adeleidæ & Ducissæ Immillæ ejus sororis, quæ dominiorum Marchionis Segusii erant hæredes. Hanc opinionem confirmat moneta Philippi de Sabaudia, Pedemontii Comitis & Prin-

Principis Achajæ ex una facie aquila Sabaudiæ cum Inſcriptione, *Philippus de Sab.*, ex adverſa Crux Pedemontii cum litteris, P. H. I. L. inter ramos & inſcriptione *Pedemontenſis* imprimitur.

Hæc Crux primum ſimplex & quatuor ramis paribus compoſita, varias poſtea accepit formas. Regnante Amedeo V. duo rami medii & transverſi ad extrema habebant Leonis Roſtrum &. extrema ſuperius & inferius trifolium, uſque ad Emanuelem Philibertum nulla fuit varietas, niſi quod Leonina hæc roſtra videntur nonnunquam ſimplicia aut alata, vel capita Leonum avulſa quæ crucem adornant aut apicem ſuperant.

Hic Dux mutavit vel potius ſtabilia effecit Sabaudiæ inſignia juxta leges Stemmatum gentilitiorum tunc temporis ſcriptas, hoc eſt ſcuto adornato inſtrumentis quibus dominia quæ poſſidebat & ad quæ jus habebat, genuſque ſuum deſignabantur; hoc ſcutum quadrifariam eſt diviſum: in primo & quarto quadrantibus, Sabaudæ domûs origo demonſtratur, inſignia conſpiciuntur Saxoniæ recentis ſuperioris videlicet & inferioris, ſiquidem ſcutum partitum atque ornatum equo ſaliente, fero, & converſo ex argento, atque ſtriis octo alternis ex auro & nigro depictum, cum Coronâ obliquâ ex Rutæ foliis colore Praſino ſuper totum repoſitâ, prætereâ ad palum figurâ triangulari ex argento ſectum tribuſque rubris gladii capalis onuſtâ, uno & duobus: ſecundum ex argento Schedulis fulvis conſperſum eſt cum leone etiam fulvo, quo Chablaſium indicatur. Tertium denique nigrum eſt cum Leone argenteo, Auguſtæ ſcutum; ſuper totum ponitur ſcutulum Sabaudiæ ſeu Sabaudo-Pedemontanum, rubrum cum cruce argentea.

Eodem Secuto uſus eſt Carolus Emanuel I, quod tamen aliquando in partes duodecim diviſit. Harum ſecunda pars Sabaudiæ ſcutum præferens ex auro erat cum aquilâ fulvâ; atque ſuper totum videbatur Saxoniæ recentis ſcutum ſtriis octo alternis ex auro & nigro depictum cum coronâ obliquâ ex Rutæ foliis Paraſinis. Quarta pars Pedemontii ſcutum ferebat rubrum videlicet cum argentea Cruce atque Limbo tripartito, unde probatur quod prius diximus de origine aquilæ & crucis quæ in Sabaudiæ ſcuto reperiuntur.

De ordinibus militaribus Sabaudiæ.

NUllum eſt fere imperium absque aliquo Equeſtri ordine, quo princeps remuneratur vel ſaltem remunerari deberet ſubditos qui vera pollent virtute & de ipſo bene meriti ſunt. Reverâ modus quo hæc Honoris Præmia diſtribuuntur, non ſemper conſtitutioni congruit & jure merito de equeſtribus faſciis poteſt dici hæc ſententia cujuſdam veteris, nempe honores, abſque ullo delectu impertitos, eſſe dedecori. Quæ ſententia non poteſt referri ad equeſtres Sabaudiæ ordines quos confert princeps paucis & quidem virtutis eximiæ viris.

Tres ſunt ibi ordines Equeſtres, ordo *Annuntiadæ*, ordo Sancti Mauritii, ordo Sancti Lazari.

Ordo *Annuntiadæ* aut Annonciationis fuit inſtitutus à Comite *Viridi* Amedeo VI. anno MCCC. LXII., ita ut multo ſit antiquior omnibus clariſſimis Europæ, ut aurei Velleris, Periſcelidis, Elephantis, & Spiritus ſancti ordinibus; primum appellabatur ordo Torquis, qui Torques conſtabat aureis quatuor laminis, tres digitos latis, & in ſingulas ſculptæ erant aut incauſto incruſtatæ quatuor hæ litteræ, F. E. R. T. Gothice ſcriptæ. Lamina ſimul jungebant totidem amatorii Laquei, ex hoc Torque pendebat parvus circulus, Amatoriis Tribus Laqueis, qui ordinis erant Symbola, conflatus. Hujus ordinis auctor quatuor decim tantum Equites creavit, quorum ſe ducem & ſummum Magiſtrum profeſſus eſt, eodem tempore Cartuſianonum inſtituit monaſterium *Petræ Caſtellanæ* in Beugeſia, aſſignans annuos Reditus quindecim Monachis qui Deo preces funderent pro Equeſtri ordine, & juſſit ut conventus ordinis ibi haberentur & Equites ſepelirentur in hoc monaſterio. Quia decreta quæ juſſit hic princeps ad noſtram non pervenerunt ætatem, non poteſt afferri ratio hujus inſtituti, & authoribus, qui præterita ſolvere obſcura amant, ampla fabularum proſternitur materies. Laquei amatorii mentem ipſorum aberrantem brevi retinuerunt, quem admodum alii contendebant ordinem Periſcelidis & Velleris aurei ſuam debere originem cuidam rei amatoriæ, nonne, viſis amatoriis Laqueis, ſtatim concludendum fuit ordinem Torquis eandem habere originem atque hos de quibus modo ſermonem feci? amica, inquiunt, quæ Comitem donaſſet ſuorum armillâ cirrorum juxta nodos amatorios, decuſſatim inter ſe implicitorum, locum dedit hujus ordinis inſtituendi, & litteræ F. E. R. T. quatuor tantum hæc verba ſummatim ſignificant Gallicè, *Frappez*, *Entrez*, *Rompez Tout*, Latinè feri, ingredere, rumpe omnia; quæ verba, addunt, pulchre ac optime decent amaſium bene acceptum. Bella haud dubio fabella de quâ meritò diceretur *ſe non è verò è ben trovato*. Verùm qui rem acu tetigiſſe ſic exiſtimant, non eam animo reputarunt. Revera Amedeo V. Principi ſuæ ætatis Religioſiſſimo ac devotiſſimo, ut fidem ferunt multæ inſtitutiones piæ, plurimum ſceleris ac impietatis hi falſò tribuunt, qui contendunt eum intexuiſſe actionem amatoriam quæ ferit, ingreditur & rumpit omnia inſtitutioni Monaſterii Cartuſianorum & ſacrorum faciendorum pro animabus Equitum ſui ordinis, cujus Thomas de Sabaudia Antiſtes præclari nominis, tunc Epiſcopus Taurinenſis fuiſſet Cancellarius: tandem num Amedeus ſuorum Tropæa amorum ad ipſum altare detuliſſet, Eccleſiæ Altæ-Combæ oblato hujuſce ordinis Torque, quo erat ipſe inſtructus & qui hactenus ibi ſervatur. Quatuor litterarum interpretatio non eſt felicior, quantumvis ingenioſa videatur, poſſem objicere hoc vocabulum *Frap-*

Frapper non fuisse in usu ætate Amedei VI. quæ hoc usurpabat *Coigner*, hæc autem objecta non maximi forent ponderis nisi mihi foret opponendum hanc Inscriptionem FERT apud familiam Sabaudiæ Regiam prius valuisse CXXX. annos quam institueretur ordo Torquis, si quidem reperiatur ad imam imaginem positam super tumulum Thomæ I. defuncti anno M. CC. XXXIII. Laquei amatorii qui interpretationem horum verisimilem facere videntur non ipsis favent, quorum Amedeus non fuit auctor. Vetusta extat moneta ejusdem Comitis Thomæ, cujus una facies habet devexum Sabaudiæ scutum cum Cruce & apice à Rostro Leonis alato superato, cum duabus his litteris ad rostri dextram T. S. hoc est *Thomas* & ad lævam H. F. hoc est *Humberti Filius* in adversa hujusce monetæ facie duo sunt Laquei Amatorii & in medio hæ litteræ FE RT. superest adhuc altera Moneta Comitis Petri antequam foret Comes Sabaudiæ, apud quam legitur vocabulum F. E. R. T. Gothice scriptum: postquam exposui hos interpretes conjecturâ aberrasse, ne putetis me in ineptias quas his exprobro iturum; satis mihi fuit demonstrasse hoc vocabulum *Fert*, absque ullo puncto post singulas litteras, fuisse in usu apud domum Sabaudiæ, ineunte sæculo XIII. cujus videtur fuisse inscriptio aut præconium. Hoc verisimile esse dico, nam non me fugit *Sanctum Mauritium & Sabaudiam* sæpè fuisse hujusce domus præconium; supererit ergo ut hoc vocabulum F. E. R. T. fuerit ejusdem familiæ Inscriptio. *Petra Sancta* hujus vocabuli interpretationem promiserat sed quantumvis in hisce rebus versatus, maluit promissis non stare quam aliquid dicere imperiti.

De vocabulo FERT.

Ordo Torquis is fuit quem exposuimus usque ad Ducem Carolum III. cognomine Bonum, qui anno M. D. XVIII. hunc ordinem à pristina dignitate dejectum erigere desiderans, nova fecit statuta diplomate IV. Non. Septembris dato, quibus jussit ut in posterum vocaretur ordo *Annuntiadæ*. Torqui addidit rosas quindecim aureas incaustas septem rubro, septem albo; media vero pendens ab ornamento pendulo, partim erat rubra partim alba, tandem edixit illum duabus spinis aureis fore ambitum & in mediis tribus laqueis, quibus pendulum constat ornamentum, Mariam ab angelo salutatam esse pingendam. Hic Dux solemnem hujusce ordinis Conventum habuit die XXV. Martii anni sequentis in Sacellum Castelli Camberiacensis, cui interfuerunt IX. Equites, Dux summus Magister & Bellicæ Antistes Cancellarius. Tunc Pallio Cramesino, Fimbriato, circumdato Laqueis amatoriis ex puro auro, Equites erant vestiti; princeps autem pellibus Armenicis subsuto. postea variavit color Pallii, quod Duce Emmanuele Philiberto, intùs fuit assutum albo panno serico levidensi, & postremum, Duce Carolo Emmanuele, fuit Amarantinum, assutum tela argentea cujus Cærulea erat textura.

Cum juxta Constitutionem, Conventus ordinis esset habendus in Monasterio Carthusianorum *Petræ Castellæ* in *Bugesia*, quæ sub ditionem Galliæ ivit, hac Provinciâ simul & Bressia cum Marchionatu Salutiarum permutata; Dux Carolus Emanuel Conventum transtulit in ædem sancti Dominici Montis-Emiliani & postea edicto Taurini dato die 3. Novembris anni M. D. C. VII. in Eremum Camaldulensem supra montem Taurinensem positam.

Ordo D. Mauritii.

Dux Amedeus VIII. instituit anno M. CCCC. XXXIV. ordinem Sancti Mauritii qui peculiaris est patronus Domûs Sabaudiæ ab ætate Comitis Petri qui regnum inierat anno M. CC. LXIV, Sanctus Mauricius Thebis in Ægypto oriundus cum Victore, Candido & Exuperio prærat Legioni sex millium & DC. Egyptiorum aut Thebanorum, quæ anno CC. XCVI. se ad exercitum Imperatoris Maximiani adjunxit. Hic Legionarius Præfectus, dum per Palestinam iter faceret, Christianis familiariter usus, sacrum suscepit Baptisma, ad cujus exemplum milites Baptismatis fonte fuerunt quoque abluti. Cum Romam advenit; Sanctus Marcellinus Papa ardens ejus studium fidei Christianæ confirmavit, hinc copias convenit Imperatoris qui, post iter trans alpes habitum, Castra metatus in Campis circa Rhodanum positis in Valesia, jussit sacra divis faciunda. Mauritius & comites, quo idolorum cultus non forent participes ad aliquot milliaria à castris sese receperunt. De his Imperator certior factus causam secessus expostulavit; cum accepisset totam Legionem & Duces Christianam profiteri Religionem, conatus est eos ad simulacrorum reducere cultum, sed frustra, tunc jussit Duces omnibus affici suppliciis & milites ad terrorem ipsis injiciendum decimari, verùm fides cæterorum adversus tormenta fuit contumax. Imperator ira percitus decimum militem sorte ductum capite damnavit, quæ sævitia minime profuit, tunc tota legio exarmata, trucidata fuit, intra ipsos Castrorum Cancellos prope locum qui olim dicebatur *Agaunum*, nunc Sanctus Mauritius, ex quo Sigismondus Burgundiæ Rex anno D. XXII. monasterium instituit in hujus Divi honorem ut satisfaceret pro morte iniquâ filio *Sigisrico* illata, ab illo tempore Sanctus Mauritius Religiosissimos ac præcipuos à Burgundionibus habuit honores, hæc Abbatia percelebris, ubi C. Monachi primum versabantur, in Ditionem Comitum Sabaudiæ devenit, cum ab Imperatore Conrado Valesiam dono acceperunt, ut supra dictum est, ita ut Domus Sabaudiæ hæres accesserit hujusce divi cultûs simul ac regionis quam sanguine suo pro fide Christiana effuso consperserat & Sanctus *Mauricius* diu fuerit belli præconium.

De annulo D. Mauricii.

Petrus Comes qui in Abbatiam Sancti Mauritii venerat pietatis causa Reliquias hujusce divi & comitum visitavit. Qui eventus sic refertur à Paradino „ Princeps Petrus ab Abbate & Monachis fuit acceptus, omni ratione Majestatis ejus habitâ, cujus gratia martyrum fercula fuere reserata quæ summa cum pietate ac reverentia invisit, inter quas reli- „ quias

„ quias ostensus est annulus qui gloriosissimi „ Divi Mauritii fuisse dicitur. Tunc Princeps „ Petrus de Sabaudia ab Abbate & Monachis „ hunc annulum supplex poposcit ut memoriâ „ semper teneret Martirium Divi Mauritii su- „ pradicti, clarissimæ legionis præfecti ad cu- „ jus exemplum per totam vitam se devove- „ bat fidei Sanctæ & Ecclesiæ Catholicæ, cu- „ jus in deffensionem, copias, bona & postes- „ tatem impenderet, Abbas his sermonibus, ac „ consiliis allectus æquo dedit animo annulum „ Sancti Mauricii, his precibus additis ne cui- „ libet alteri daretur nisi Sabaudiæ Comitibus „ qui darent fidem se eum legaturos successori- „ bus & hæredibus, in perpetuum, ut foret „ vivum symbolum & inscriptio Principum „ Comitum Sabaudiæ, quod se facturum li- „ benter ac fideliter promisit hic Princeps. De „ quo convento seu pacto ex utraque parte „ mutuæ fuerunt scriptæ litteræ. Sed tamen „ à Principe Petro fuit reservatum ut à se ipso „ per totam vitam annulus supradictus gesta- „ retur & servaretur. „ Postea Comites ac Duces Sabaudiæ in possessionem suæ dignitatis profecti sunt, duce annulo Sancti Mauricii qui summa cum cura in Thesauro Regio servatur. Hoc more multis in Imperiis adhibito; Regis enim Hungariæ aurea Corona Sancti Stephani, Germaniæ Reges Corona ferrea Caroli magni inaugurantur. Alexander misit annulum Perdicæ & Rodolphus lanceam Sancti Mauricii, Imperatori Conrado, quod indicaret eos ad Solium vocari.

Amedeus VIII. Primus Sabaudiæ Dux, qui domus suæ pietatem in Sanctum Mauricium munumentis publicis certiorem facere vellet, nomine hujusce divi ordinem instituit Equestrem, anno M. D. C. XXXIV.

Clarissimus hic Princeps, quem honorum satietas ceperat post mortem uxoris Mariæ de Burgundia, jam diu cogitarat Imperium libenter abdicare, quod hactenus fuerat inauditum, sed bellum quod impendebat Regnis à Gallia, Duce Burgundiæ, Helvetiis, & Duce Mediolanensi, tenera quoque ætas liberorum fuerunt in causa cur hujus suscepti executio fuerit prolatata, donec immensus, quo valebat, animus Consilium suppeditaverit, quod & desiderio secessus & Dignitatis officio satisfaciebat, instituendi nimirum ordinis novi Equestris qui arma cum virtute consociare profiteretur, cujus ipse foret summus magister ita ut pietas cum prudentiâ, solitudo cum negotiis & Sanctitas interior cum utilitate publica in se ipso posset consistere. Non is sum qui plena manu laudes profundam. Amedeum fuisse talem non dico, verùm eo spectabant Consilia & talis haberi voluit, nam inter videri & esse magnum semper posuere discrimen homines cujuslibet Conditionis. Ut ut hæc sunt, sex nobiles sibi ætate pares, qui rerum Imperii gravissimarum fuerant participes, elegit primos hujusce ordinis Equites & Comites suæ solitudinis in Eremo Ripalliensi, hi primi Equites vocabantur.

1. *Henricus* de *Colombier* Dominus de Voufflans.
2. *Claudius* de *Saix* Dominus de Rivoire.
3. *Lambertus Oddinet* Præses Camberiacus.
4. *Franciscus*, Dominus de Bussy.
5. *Amedeus* de *Champion.*
6. *Ludovicus* Dominus de Chevelu.

Induti veste talari ex panno leucophæo & humerali ejusdem coloris, palam ferebant in manu Baculum ingens nodosum & crucem auream à pectore pendulam. Soli nobiles vitæ integri & sceleris puri ascribebantur in hunc ordinem compositum sex tantum Equitibus & Decano à Ducibus Sabaudiæ nominando, qui continentiam vovere debebant.

Ea fuit origo ordinis Sancti Mauricii, dixerim bona pace recentiorum, qui historiam ordinum militarium ex variis operibus collegerunt, vel mendacii esse arguendos qui historiam vitæ Amedei solitariæ scripserunt. Hæc acta sunt anno M. D. C. XXXIV. postea hic ordo è dignitate sua multum derogavit & varias accepit formas præsertim Duce Emanuele Philiberto qui eum restituit anno M. D. LXXII. & jussit vestem solemnem fore deinceps Pallium Cramesinum albo levidensi panno serico intus assutum, cui adheret crux ejusdem panni globata, & viridi limbo ad quatuor angulos circumdata. Languidum fecerat hunc ordinem beneficiorum defectus, quem Amedeus instituerat eo consilio ut Equites vitæ ac victus servarent communitatem, in Erimo quem edificaverat singulis uno quoque anno assignans ducentos florinos aureos & Decano sexcenos. Hujus ordinis restituendi ansam præbuit Duci Emanueli Philippo pactum quod pepigerat cum *Joanne de Chatillon*, quem *Salviati*, supremus & Generalis magister Sancti Lazari, Generalem suum Vicarium ac summum in Italia magistrum effecerat, unde hic *Joannes de Chatillon*, locum habuit sibi vindicandi nomen supremi ac Generalis magistri per totum orbem terrarum. *Salviati* intercessit, sed *Chatillon* vir cedere nescius proposuit Emanueli Philiberto Duci Sabaudiæ in ejus favorem supremum ordinis abdicare magistratum : hac cessione Dux omnium beneficiorum hujusce ordinis in Italia factus est Dominus ac dispensator cui venit in mentem utrumque ordinem simul conjungere, & quâ de causâ ordinem Sancti Mauricii restituere. *Joannes de Chatillon* Vercelliis obiit, hac unione petitâ à Gregorio XIII. & statim impetratâ, litteræ expeditæ fuerunt Pontificiæ tertia die Novembris an. M. D. LXXII. datæ quæ recentem dicunt ordinem Sancti Mauricii, quæ ad verbum non sunt accipienda sed intelligenda de ejus restauratione, non verò institutione & inposterum fuit nuncupatus ordo Sanctorum Mauricii & Lazari.

Hi Equites paupertatis, obedientiæ & castitatis conjugalis vota faciunt & soli Virgini semel nubere possunt. Institutum Cisterciense observant, quibus permisit Clemens VIII. Papa habere beneficia & annuas pensiones de Beneficiis;

ficiis; hic Ordo multa possidet beneficia, & duas domos præcipuas, alteram Taurini, alteram Nicææ.

Dux Carolus-Emmanuel I. sanxit ut Equites induerent albam Crucem ad extrema *globatam* cum viridi Limbo ad quatuor angulos quod signum foret ordinis Sancti Lazari. Ducissa Christiana hujus statuti observationem curavit, Crucium magnitudinem designavit, & clericis ordinisque Capellanis interdixit Cruce aurea rubro incausta ante pectus ferenda, verum decrevit ut gererent Crucem laneam pallio consutam, exceptis præsulibus ordinis qui Jure * suo Equites nobilitatis argumenta dedissent.

Jam hi Equites Duci Sabaudiæ & successoribus esse fideles, habitum & crucem ordinis gerere, ad conventum, si vocati fuerint, venire, quasdam præcationes diuturnas recitare, die veneris aut Sabbati ferias esuriales agere, Castitatem conjulalem, charitatemque servare leprosos hospitio excipere & bona beneficiorum non alienare profitentur.

Non expendam singula quæ spectant originem & progressus ordinis Sancti Lazari, satis erit dicere eum fuisse institutum Cæsareæ circa annum CCC.LXX. ad opem Leprosis ferendam; anno M.CC.LIII. Equites Syriam deserere coactos, quos Gallia ac Italia excepit, ordinis Ducem versari in *Boigny* prope Aureliam, tandem quodam Schismatis genere nationem Italicam à Gallicâ fuisse dissociatam, in Gallia ordinem Sancti Lazari ordini montis Carmeli & in Sabaudiâ ordini Sancti Mauricii fuisse unitum.



De Regia dignitate in Domo Sabaudâ.

QUidam scriptores principatum abnuerunt Regiæ domui Sabaudiæ, quod gaudeat titulo Vicarii Imperatoris in Italia & quod pleræque ejus Provinciarum fuerint fundi clientelares quos ab Imperatoribus acceperunt Duces Sabaudiæ, & à quibus facti fuere Duces. His futilibus objectis respondeo Electoribus & Principibus Imperii abnuendum esse eadem ratione principatum, quem nemo tamen in dubium revocavit, imo dubius sum an argumenta quibus volunt aggredi Principatum Domus Sabaudiæ non possent esse alicujus ponderis ad illum stabiliendum. Nam Conventus imperii, vulgo *Diete*, nihil est aliud quam Comitia quorumdam supremorum principum diversi ordinis: itaque assidere Consilio Imperii probat principatum, verum alia sunt Domus Sabaudiæ principatus argumenta.

Satis est consulere eruditos qui principatum definierunt, inter quos *Bodinus* & *Bretius* hanc materiam summa cum cura disputavere. Unanimi consensu veri principatus septem declarant argumenta, quorum primum est singulis & omnibus in genere imponere leges, alterum, bellum indicere aut pacem componere; tertium officiales & magistratus instituere, quartum supremam habere jurisdictionem; quintum, reis pœnam remittere & tabulas dare absolutorias contra legum severitatem, sextum argenti signandi jus habere; septimum exigere tributa, vectigalia &c.

Qui in historia tantisper sunt versati inficiari nequeunt hæc omnia recurrere in principatum Domus Regiæ Sabaudiæ, imo supremâ gaudet potestate perfectiore quam multi potentes ipsa potentiores. Revera suprema potestas, proprie loquendo, nullum habet locum in plerisque Regum, sine ullius designatione. Vices tantum gerunt principatus qui vere versatur in Conventu ordinum aut supremo senatu regni. Non sic de Ducibus Sabaudiæ, qui plerasque suarum provinciarum sunt consecuti jure à populi volontate libero, ita ut nullum sit Pactum inter ipsos & populum, cujus sunt principes absoluti, quibusdam legibus aut primævis obligationibus servandis non astricti, sed tantum iis quas postea sponte sua inierunt. Verbi gratia, sunt leges quæ dicuntur fondamentales, quibus repugnantes aliæ, habita equitatis ratione, condi nequeunt, & quas se religiose servaturum jurat Rex priusquam subditi Sacramentum principi dicant. Has leges Duces Sabaudiæ non jurant, si verò quid jurent, Conventa sunt aut Cessiones quæ à suo beneplacito emanarunt. Nihilque populo promittunt præter Regni deffensionem quemadmodum tenetur quilibet Princeps in genere.

. Præterea nonne Domus Sabaudiæ possidet principatum contra quem nemo infici ire potest, nonne Regnum Cypri ipsi contulit titulum Majestatis quo gaudent omnes reges, revera hujus non potitur, attamen de jure suo nulla est Controversia & aliæ sunt nonnullæ domus quæ titulos & jus habent Regnorum quæ non possident, nec poterat resistere injustæ usurpationi cui hactenus semper intercessit.

De hac Controversia dijudicavit Tractatus Ultrajectensis & nuperus Viennensis qui Domui Sabaudiæ deferunt titulum regis supremi & absoluti & possessionem Regni Sardaniæ, sed hoc additamentum nihil addit supremæ potestati quæ jam apud Domum Sabaudiæ erat non minus plena quam fieri poterat, aut fuit usquam apud cæteros principes, siquidem præter modo dicta addi posset, nullum hominium fieri, nullumque solvi tributum à Ducibus Sabaudiæ.



De juribus & convenientiis Domûs Sabaudæ.

PRimum nobis erat in animo differrere de rebus & commodis Domus Regiæ Sabaudiæ quoad vicinos, sed tantam habent conventionem cum ipsius Juribus, ut hæc ab illis pendere videantur. Domus Sabaudiæ habet jus tum transactione tum hereditate &c. nixum ad Regna Magnæ Britanniæ, Lusitaniæ, Hispaniæ & Cypri, ad Ducatum Mediolanensem, ad Genuam & Savonam, ad Ditionem Roma-

* Discrimen est inter militem ut aiunt *Jure* & militem *Gratiâ*, ille enim jure ortûs nobilis, hic verò immunitate miles est, quod nobilitatis antiquæ argumenta edere non potest.

Romanam, ad inferiorem Germaniam, ad Achajam & Peloponesum. Quod jus his nititur argumentis. A Jacobo I, ad quem tria Britanniæ Regna redierunt, hæc fuere hereditaria in Domo *de Stuart*, imo post martyrium Caroli I. & post Rebellium *Cromwelii*, supremus Senatus, ipsa quidem Natio, hanc familiam in Solium restituit; ad quod pervenit Guillelmus propter principem Mariam suam Uxorem, ad quam ut primogenitam Regnum pertinebat, postquam genitor ab eo exclusus fuisset. Senatus-consulto, quod successionem ordinat & quod idem Guillelmus producere curavit, sanguinis *de Stuart* habita fuit ratio, itaque hoc Regnum, deficientibus liberis Caroli II. Jacobi II. Mariæ, Guillelmi & Annæ, redire delebat ad principem qui Carolum I. representabat, & si nullus adesset, tum juxta leges successionis, accedere debebat qui Jacobum I. representabat at juxta Genealogiam hic recensitam constat Ducissam Sabaudiæ Reginam Sardaniæ nunc regnantem, esse veram hæredem, vel potius filium, loco ejus, omnibus post habitis nepotibus Elisabethæ Jacobi I. filiæ, cum orta sit ab Henricâ Mariâ herede Juris Caroli I. post fratres & suam sororem Mariam;

Jacobus I.

Carolus I. — Elisabetha *nupta Electori Palatino, Regi Bohemiæ, mater Principis* Sophiæ *matris Regis* Georgii.

Carolus II. — Jacobus II. — Maria. — Henrica nupta *Philippo Duci Aureliæ.*

Anna-Maria Ducissa Sabaudiæ Regina Sardaniæ.

Hoc jus indubitatum est, ita ut sola Religio quam Domus Sabaudiæ profitetur, ab hoc solio eam excluserit, si quidem una ex legibus fondamentalibus fert Regem esse professurum Religionem Anglicanam, cujus erit patronus, ut fidei deffensor.

Idem obex non occurrit quoad successionem in Regnum Lusitaniæ. Defuncto Cardinali Rege Henrico, inter aspirantes ad Regnum erant Philippus II. Rex Hispaniæ, Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ, Ranucius Farnesius Dux Parmarum & Catharina uxor Ducis Braganciæ, adsunt capita è quibus emanabant jura horumce aspirantium.

Emanuel *Rex Lusitaniæ ex secundis nuptiis cum Maria de Castella.*

Joannes III. — Henricus Card. Rex. — Isabella uxor Caroli Quinti. — Beatrix uxor Caroli III. Ducis Sabaudiæ. — Edouardus D. Vimanari.

Joannes IV.

Sebastianus. — Philippus II. — Maria uxor Alexand. Fanesii. — Catharina uxor Joannis de Bragantia.

Rex Emanuel habuerat filium horumce omnium natu maximum qui fuit Dux Bragæ & Comes-Stabuli Lusitaniæ & qui innuptus spurium habuit nomine Antonium, priorem de *Crato*, unum ex præcipuis candidatis, qui tamen à Cardinali rege fuit statim exclusus; sed populus, qui in jus sibi principem elegendi restitui contendebat, illi regnum detulit. Philippus II. maximas colligerat copias & quodlibet jus populo abnuendo, Lusitaniam vi occupavit & regem Antonium ejecit. Hic Terceræ in morbum delapsus testamentum obsignavit quo Ducem Emanuelem Philibertum suum declarat hæredem. Reverâ cum Philippus II. ut usurpator de suo jure decidisset, successio ad hæredes infantis Beatricis pertinebat, posthabitis nepotibus Ducis Vimanari quia successionum Politicarum regula exigit ut omnia bona redeant ad stipitis propinquiorem, præterea ubi agitur de successionibus fiduciariis quarum ad instar sint regni successiones, mares filiabus orti ad successionem propius accedunt quam filiæ maribus ortæ. Sed integro ac salvo Philippi II. jure supposito, cum uterque ex duabus filiabus germanis originem ducebant, regnum inter ipsos dividendum erat, cujus si divisio fieri non poterat, saltem Dux Sabaudiæ vocandus in partem mediam rerum mobilium, plurimorum fundorum, Dominiorum & acquisitorum quæ non erant Regni & quorum successionem affinitate dirigebatur, tandem postquam Lusitani jugum Philippi II. à se depulissent, Regnum juxta momenta supra allata, erat Ducis Sabaudiæ, jus Philippi II, cujus posteritas masculina defecit, accedit ad jus posterorum Caroli Emanuelis I. hæredis Emanuelis Philiberti qui nupsit infanti Catharinæ de Hispania quæ suum jus dedit suis posteris.

Jus quod Domus Sabaudiæ habet ad Hispaniam desumi posset à jure infantis Catharinæ de quâ modo feci sermonem, sed inutile est altius repetere quam à pace Ultrajectensi. Articulo III. conventi inter Regem Hispaniæ Philippum V. & Celsissimum principem Amedeum II. initi, hæc nominatim leguntur. *In Hispaniæ Regnum.*

Iisdem rationibus ac causis boni publici, pacis ac Æquilibrii Europæ & privatim tranquillitatis Regni Hispaniæ, quæ adduxerunt majestatem Catholicam tum pro se tum pro posteris ad renunciandum in perpetuum regno Galliæ die 5. Nov. anni M. D. CC. XII. & ad declarandum, scripto pro lege habito, die 8. Martii mensis retro proximi, deficientibus suis posteris, successionem Regni Hispaniæ & Indiarum ituram ad Celsissimum principem Sabaudiæ, & ad posteros mares justa matre & certo

certo patre natos & ſucceſſivè ad mares Domus Sabaudiæ & poſteros juſta matre & certo patre natos, omni & qualibet alia excluſa familia iiſdem rationibus ac cauſis, quæ enuntiatæ cenſentur, ratum eſt ac nominatim ſtipulatum, ſupradictum ſcriptum pridie nonas Novemb. habendum eſſe, ut revera habetur, partem hujuſce conventi, ſimul & ſcriptum nonis ipſis ſupradicti menſis Novembris ſignatum à *Cortis* Hiſpaniæ quæ acceperunt, approbaverunt ac confirmaverunt ſcriptum ſupradictum Majeſtatis Catholicæ; & ſupradicta lex conſequenter inſtituta die 8. Martii retro proximi & eadem die promulgata ad hoc conventum accedet tamquam pars eſſentialis, quæ omnia erunt juncta Clauſulis deſignatis & enunciatis in ſupradictis, quorum Rex Catholicus curabit diſtribuere acta expedita & certæ fidei celſiſſimo principi Regio, ante tres menſes elapſos cum perſcriptionibus in ſingulis Conſiliis nempè de Rebus ad Regnum pertinentibus, de rebus bellicis & Maritimis, inquiſitoriis, Italicis, Indicis, Equeſtribus, de Ærario principis, de bello contra infideles fœderato, interim Majeſtatis Catholicæ & *Cortæ* ſupradicta ſcripta diebus V. & IX. Novembris anni M. DCC. XII. & ſupradicta lex VIII. die menſis Martii hujuſce anni, inſcribentur juxta ipſiſſima verba ad finem hujuſce Conventi, ſicut & acta renunciationis Regno Hiſpaniæ ſcriptæ die XXIV. ejuſdem menſis Nov. à Principe Duce Biturigum, & die XIX. ejuſdem menſis à Principe Duce Aureliæ. Præterque diplomata Regia Regis Chriſtianiſſimi quæ approbant ſupradictas renunciationes & abrogant altera diplomata data menſe Decembri anni M. DCC. quæ quidem acta renunciationis & diplomata Regia ſunt & in perpetuum erunt pars eſſentialis hujuſce Conventi, & Majeſtas Catholica quem non latent cauſæ & rationes ſupradictorum ſcriptorum, declarationum, renunciationum, & actorum, quibus fulcitur ac aſſeritur diuturna pax orbis Chriſtiani, promittit, ſe & poſteros omnia ſupradictis actis contenta vere ac religioſe ſervaturos juxta formulam & ipſiſſima verba, abſque ulla infractione, nullaque licentia conceſſa, ut, vel totaliter, vel partim, quocumque modo, aut quacumque ratione violentur. Imo ſe interponere quominus à quocumque Principe, quocumque tempore aut quacumque ratione perfringantur, & Majeſtas Catholica nominatim promittit, tum pro ſe, tum pro poſteris, tueri, contra omnes, nemine excepto, jus ſucceſſionis quod Celſiſſimus Princeps regius Sabaudiæ & principes ejuſdem Regiæ familiæ habent ad Regnum Hiſpaniæ & Indiarum, eo modo quo fuit ſtatutum ſupradictis actis Majeſtatis Catholicæ & *Cortarum* diebus V. & IX. Nov. anni M. DCC. XII. datis, quæ approbantur actis Ducum Biturigum & Aureliæ diebus XIX. & XXIV. ejuſdem menſis, diplomatibus Regis Chriſtianiſſimi menſe Martio retro proximo, & ſupradicta lege die VIII. ſupradicti Menſis. Majeſtas Catholica ut ſupleret vicia & omiſſa facti, Juris ſtili, aut moris quæ occurere poſſent, confirmat ac approbat omnia acta ſupradicta & jubet ut vim legis ac pragmaticæ Sanctionis habeant, ut accipiantur, cuſtodiantur, obſerventur per tota ſua Regna tamquam lex perpetua à ſubditis & Vaſſalis quibus imperat nunc, & tunc temporis quo hæredes deficerent (quod Deus avertet) ut ſuum Regem ac legitimum principem agnoſcant Principem Domus Sabaudiæ, cujus erit ſucceſſio Regni Hiſpaniæ & Indiarum ſicuti ſtatum fuit actis ſupradictis Majeſtatis Catholicæ & *Cortarum* die V. & IX. Novembris anni M. DCC. XII. & ſupradicta Lege, VIII. die Martii, atque ut eum accipiant & jurent ſe fore ipſi tamquam ſuo Regi ſubditos & ejus defenſionem amplexuros contra omnes, prohibens ne ſupradicti Vaſſali alium agnoſcant, declaranſque Uſurpatorem quemcumque principem qui regnum Hiſpaniæ ſibi vindicare tentaret, bellumque ad id ſuſceptum fore injuſtum; è contra Majeſtas Catholica juſtum & legitimum declarat bellum quod ſupradictus Princeps Domus Sabaudiæ indicere teneretur ad comparandum aut ſervandum Hiſpaniæ Regnum. Qua propter Majeſtas Catholica de novo revocat & quantum opus eſt reſcindit & abrogat nominatim edictum quod ipſa Majeſtas Catholica fecerat Matriti die XXIX. Nov. An. M. DCC. III. in favorem Principis Ducis Aureliæ filiorum ejus & Nepotum; & Majeſtas Catholica jubet ac imperat edictum ſupradictum eſſe & fore irritum ac velut non eventum; ideo confirmans diſceſſionem ac renunciationem à Duce Aurelianenſi factam ſupradicto die XXIX. Nov.; & omnia acta quæ poſſent aut poſſunt adverſari ſupradictis, renuntiationibus, actis & hujus articuli ſummæ, & juribus eodem articulo recenſitis ac ſtabilitis, declarantur hoc articulo irrita & nullius in perpetuum auctoritatis ut repugnantia firmæ paci & tranquillitati Europæ.

Non neceſſe eſt iterare quæ jam dicta ſunt in Hiſtoria Generali Domus Sabaudiæ ubi probatur jus quod habet in regnum Cypri; quidam ſcriptores jus domus Sabaudiæ in Mediolanenſem tractum repetunt ab ipſa Bonna de Sabaudia, & à Valentina de Mediolano uxore Ludovici de Francia Ducis aurelianenſis. Nobis vero & aulæ Sabaudiæ occurrit jus, certioribus nixum argumentis, nempe Tabulæ nuptiales Ducis Caroli Emanuelis cum infante Catharina, quo ſtatutum erat Regem Hiſpaniæ (haud dubio ut dolor quo afficiebatur amiſſione regni Luſitaniæ, levaretur) daturum ducatum Mediolanenſem Mari Primogenito ex hoc matrimonio; ea lege ut poſt mortem Caroli Emmanuelis, hic hæres, addendo tractum mediolanenſem Imperio Sabaudiæ, gauderet titulo Regis Longobardorum. Hic princeps Primogenitus fuit Philippus Emmanuel qui quatuordecem annis natus in Hiſpania obiit. Juxta leges divinas & humanas, ſacras & civiles, juxta jus naturæ & ipſum contractûs ſenſum conſtat, Principe Philippo Emmanuele defuncto, fratrem victorem Amedeum

In Regnum Cypri.

In Mediolanenſem Ducatum.

medeum censeri natu majorem & in vicem ejus successurum. Sed Hispani ad suam utilitatem contractum interpretati se esse hæredes contenderunt nec ad ullam teneri cessionem; attamen hoc jus semper viget.

In Belgium. Ab eadem Infante Catharina domus Sabaudiæ Germaniam inferiorem repetit & contendit; Infante Isabella ejus sorore defuncta, ad se pertinere successionem harumce provinciarum quas Rex utriusque genitor huic Infanti tradiderat.

In Moream & Achaïam. Jam diu domus Sabaudiæ vetus habuit jus in Peloponesum & Achajam, in bello, ut neminem fugit, contra infideles fœderato anno M. CCII. Christianorum arma varios habuere exitus. Balduinus de Flandria factus fuit Imperator Constantinopolitanus, Bonifacius de Monteferrato Rex Thessaliæ, Otho ad *Ognonem* Dux Athenarum & Thebarum, & Godefridus de *Villehardouin* Princeps Achajæ & Peloponesi, quorum ipse potitus est usque ad Isabellam de *Villehardouin* Principem ac hæredem Achajæ ac Pelopenesi, quæ nupta Philippo de Sabaudia Principi Pedemontii, pro dote habuit hos principatus qui ad domum Sabaudiæ sic iverunt & in quos Turcæ postea invaserunt.

In Genevam Civitatem. Domus Sabaudiæ agitat quoque in Genevam jura quæ nituntur, errore facto inter Comitatum Genevæ & Comitatum Genevensem, quorum nomina promiscue fuerunt usurpata & inter quos non sat discriminis apposuimus in primo nostro volumine. Comitatus Genevensis est domus Sabaudiæ à venditione in gratiam Amedei VIII. facta ab Odone Villartio Comite Genevensi, sed hic Comes nullo modo erat Comes Genevæ, cujus Episcopus erat Princeps & à populo administrabatur videre est infra in folio Q. nullum ergo jus in Genevam alienare potuit, eo quod esset fiduciarius Episcopi ut domus Sabaudiæ cui nullum erat aliud jus nisi vicedominatus, à quo decidit, cum civitas defecit ab Episcopo cujus Duces Sabaudiæ erant Vicedomini, hanc dignitatem subripuerant anno M. CCXC. Comiti Genevensi, qui vocabatur *Comes fidelis, Advocatus sub Episcopo.* Cum Ducum Sabaudiæ jus in Genevam à Comitibus Genevensibus, quibus nullum est, proficiscatur, & quoties hi aliquid in Civitatem tentare voluerunt, Comites & Duces Sabaudiæ auxilium Civitati dediderint, inde sequitur omni equitatis habita ratione, domum Sabaudiæ nullum habere jus legitimum in hanc Civitatem quæ libera est Respublica. Rebus ac veris Domus Sabaudiæ juribus ritè perpensis jam incidit ultro noster sermo in ea quæ respectum habent ad Imperia Europæ præsertim ad vicina Sabaudiæ, agitur nunc de Imperatore tamquam duce Mediolanensi, Republica Genevensi, Gallia & Helvetiis, cum olim Hispania possederet Mediolanensem tractum, Regna Neapolis, Siciliæ & Sardiniæ in Italia, tunc Duces Sabaudiæ in ejus contentiones ac bella immissi fuerunt, jam indirectè tantum cum hoc regno habent.

Genuensium & Helvetiorum Reipublicæ politica Civitatum præcepta sequuntur, suis limitibus contentæ eos dilatare non ambiunt, idcirco nihil est timoris Ducibus Sabaudiæ cum illis rem habendi, dum æquum & bonum colentes eos non aggredientur, sin aliter evenerit hæ Respublicæ eisdem privilegiis ac aliæ fruerentur, sui finitimi, qui earum conservationi student, & vicini Ducum Sabaudiæ quorum multi interest eos non fere nimis potentes, haud dubio susciperent partes rerum publicarum, quarum salus sæpe pendet ex invidia, quam finitimi inter utrosque, illarum causâ, concipiunt.

At vero si Ducum Sabaudiæ permagni refert harum pacem non turbare, ob invidiam suorum vicinorum quæ pertetuo in mora erit ne ullum commodum indè percipiant, illorum pluris interest Helvetios fœderatos habere; qui ob Regionis situm multa bona aut mala facere possunt, quia quotiescumque duces Sabaudiæ cum Gallia fœdus ineunt, nihil impedit quominus Helvetii (nisi cum domo Sabaudiæ confœderati) Imperatori dent transitum simul & Copias non solum ad Mediolanensis tractus defensionem, verum etiam ad principatus Sabaudiæ ex hac parte invadendos.


Jura inter Galliam & principem qui potitur Mediolanensis tractus decidi facile non possunt. Dum hic Ducatus sub hispaniæ dominio mansit, id est ab ætate Ducis Emanuelis Philiberti usque ad pacem Ultrajectensem, neminem fugit quantis rixis Duces Sabaudiæ laborati fuerint. Sollicitati, quotiescumque dissidia oriebantur inter Galliam & Hispaniam, partem alterutrius Regni suscipere, quia tunc Gallia in Ducatum Mediolanensem jus repetebat. At nunc Res non sic se habent, & si Jurgia inter Galliam & Hispaniam commoveri possent, tamen prior non jus habebit in Italiam bellum ferrendi, eadem ratione statim atque aliquæ contentiones, inter Galliam & Austriam surgent, posterior ad hostiles copias distrahendas, & ad suum hostem ex omni parte occupationibus detinendum, non solum ad Rhenum & in Germania Inferiori in illum impetum facere poterit, verum etiam operam dabit ut illi in Italia hostes concitet. Ad hæc, auxilio Papæ, Venetorum que uti non poterit, Duces Parmæ, Mutinæ & Sabaudiæ supersunt. Duo primi in ultimo bello suis damnis experti sunt, contentiones habere cum Imperatoris militibus, esse erga illos fabulam vasis fictilis cum ferreo, superest igitur sola Domus potens Sabaudiæ quam Gallia haud dubio invitabit, urgebit, instigabit ut suas partes suscipiat, & vice versâ, eisdem causis à Domo Austriæ erit exoptata.

In omnibus Bellis à Francisco I. & Carolo V. observatum fuit Duces Sabaudiæ victimas fuisse, quotiescumque partem Galliæ oppositam amplexi fuerunt, sic ex præterito futurum spectantes, perpetuo deberent partem Galliæ sequi ne eorum Regna easdem invasiones iterum periclitentur. At res cum circumstantiis mutantur & in præsenti casu hæc mutatio maximi est momenti.

Cardinales Richelius & Mazarinus & post eos Ludovicus XIV. illorum politicis præceptis im-


imbutus, Galliam ad summum auctoritatis apicem proveherant adeo ut formidabilis facta fuisset suis vicinis quorum, clandestinis Consiliis, politice victoriis primis utentes, aliquos in ignominioso servitio tenebant velut in illos dominium quoddam haberent: ita Marchionatus Salutiarum sub imperio hujus Monarchiæ, & post onerosam hujusce Marchionatus commutationem, Pinarolii simul & Casalis emtionem, hæc omnia, inquam, in tali statu Galli constituerant ut pro sua voluntate semper potuerint in fines Sabaudiæ irrumpere, cum sub potestate sua ejus propugnacula essent, at Monarchiarum potestas, secuti Rabies fluctuum Maris, suos habet terminos, usque ad certum pervenit culmen, ubi vel minimum punctum impedit ne ultra progrediatur, res in omnibus nunc immutatæ sunt. Duces Sabaudiæ qui politicâ periculosâ ex Gallis uxores sibi procaverunt, suo damno experti sunt, has affinitates ipsis dominum præbere; & successores illorum qui Regni claustra vendiderant ea dextrè recepetunt è manibus vicini qui ad illorum utilitatem eis non uteretur, ita ut dici potest eos ex ephebis abhinc exiisse. Præterea cum adversus Galliam fœdera cum Hispania inibant, vix poterant auxilia accersere ex Monarchiâ, cujus benevolentia sæpe à ventis & procellis pendebat, quæ efficacissimas suppetias dispellebant. Non sic de Imperatore, ad januam stat, ut ita dicam, quòd in ultimo Taurini obsidio visum fuit; si subsidia ex Neapoli aut à Valentiâ desiderata fuissent non ne Galli hoc Regni caput expugnavissent? His rationibus altera succedat, terra ex duobus Solibus est Caloris impatiens: necesse est Italiam esse sub potestate aut Imperatoris aut Galliæ Regis, utriusque nimia potentia ipsi est exitio, unde sequitur Italiæ principum fœdus inire cum domo Sabaudiæ permagni referre quotiescumque Gallos in Italiam aditu arcere volent, præterea maxima pars horum principum Imperatori studet, ergo ex his concluditur, domum Sabaudiæ ad optionem coactam inter Gallum & Imperatorem, illius interesse partes Imperatoris præferre, at si Imperator libertatem Italiæ petere vellet, tunc ut omnium principum & rerumpublicarum hujusce Europæ partis verè interesset illi obstare, & ad hoc ab adversario Domûs Austriæ opem exposcerent, quo casu Sabaudiæ Dux minimè dubius de principum vicinorum Concordiâ, potentiam Imperatoris adæquare sufficiente, merito posset cum Gallia consulere; & eo minus illius est locus timendi potestatem Domini Ducatus Mediolanensis, quod sua potestas totius Montisferrati adeptione, & omnibus aliorum amissis est corroborata.

Quamquam Hispania & Gallia eadem Domo regantur, harum tamen nationum eadem non sunt jura, quod evenit, evenire iterum potest, & novissime vidimus Galliam armavisse adversus Regem, quem ipsa super Thronum collocavit. Facile contingere potest primum Regni administrum iisdem rationibus politicis non usurum quibus duo Principes ejusdem sanguinis, potest igitur fieri Galliam Hispaniæ bellum indicturam & vice versâ Hispaniam Galliæ; tunc cum in Italia nihil amplius supersit Hispaniæ, non esset causa cur Gallia in suas partes Domum Sabaudiæ traheret, at Hispania jure merito illam sollicitare poterit suam causam amplecti ut utiliter ad Alpes versus hostiles copias distrahat. Quam partem tunc Dux Sabaudiæ est suscepturus? Ratio dictat si Hispania in bello Galliæ indicando, fœdere cum Austriæ Imperatore se muniverit, non amplius Duci Sabaudiæ eligere licebit, cum præsertim illius referat tueri Regnum cujus sua Domus est prior hæres. At est modus in ombus rebus, videtur enim Regem Sardaniæ nunc regnantem acquisitis in Monteferrato & Mediolanensi tractu suam Domum adduxisse ad Consilia politica Rerumpublicarum, quæ in eo consistunt ut pacem bello præponat & ab omni parte integram se servet. Solus non potest Galliæ aut Austriæ bellum inferre, sed sat potens est ut hi principes soliciti intercedant ne alteruter in ejus Regna quid suscipiant, suo igitur oportuno situ potest pace utilissimâ uti, & dum sui finitimi furoribus belli subjicientur poterit illorum opibus in Regno suo frui, cum secundo neutrius partis studio, ejus subditi illis omnibus suas annonas venumdare possent. Uno verbo nullius juris est illum ad bellum impellere, nam ut res se habent, quandoquidem Gallia Imperatori bellum declararet, non susciperet, ut olim, Ducem Sabaudiæ cogere ut illi in Italiam transitum daret, cum in necessitatem illum adduceret, sese illius inimicum præsture. O! principis nimia felicitas, qui in tali statu permanens & neutri parti favens arbiter simul & pacis sequester à suis vicinis rogari potest, felices talis principis subjecti, dum sanguinis humani minimè profusior Patriæ Pater habeatur.


TABVLA
Generalis
SABAVDIÆ.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
FRANCHE COMTE
LAC LEMAN.
DUCHE DE CHABLAIS
BAILLAGE DE GEX
DUCHE DE GENEVOIS
LAC D'ANNECY
LAC DU BOURGET
Mandement de Beaufort
Mandement de Montoye
COMTE DE TARANTAISE
DUCHE DE SAVOYE
BRESSE
BUGEY
DAUFINE
WALAIS
VAL D'AOSTE
MARCHESAT DE SUSA
LES GLACIERES
Chamberry
Annecy
Geneve
Moutier
Mont Senis
SAVOYE
GENEVOIS
FAVCIGNY
BEAVFORT
CHABLAIS
MAVRIENNE
TARANTAISE
BEVGEOYS
Milliaria magna Sabaudiæ
Milliaria Italica communia
Milliaria Germanica
Ioannes Blaeu excudit cum Privilegio Ordinum Hollandiæ et Westfrisiæ
Thomas Borgonius invenit.
Ioannes de Broen Sculp.

DESCRIPTIO
GEOGRAPHICA
SABAUDIÆ.

De nomine.



Ullum forsan reperitur Regionis aut Urbis nomen quod evidentius testetur, quàm illud quod *Sabaudiæ* tribuitur, Etymologistarum somniis parùm fidendum. Si Tonso credatur *Sabaudia* oritur à Beroldo Saxone qui regionem illam perviam fecit, undè nuncupata fuit *Saxonis-via*, hinc *Saxvia*, *Saxvoïa*, *Savoye*; Carolus Bouille à gallicâ voce *Sauve-voye* aut *Sans-voye*, *Savoye* originem duxisse ait. At quàm turpiter errarunt scriptores illi indè patet quod *Sabaudiæ* nomen ipsorum Antoninorum temporibus cognitum constet ex antiquissimâ inscriptione Romanâ quæ in Meyserio Chablasii vico servatur in columnâ propè Templi januam.

.·.·.·.·.· EPISEVER.·.·.·.

.·.·.·.·.· CAI SABADIÆ B.·.·.

.·.·.·.·.· DESIC.·.· III. P. P. ET.·.·.

.·.·.·.·.· ET ANTONIN.·.·.·.·.·.

TII.·.·. P. C. IIII. COS. DESG.·.·.·.·.·.

In Notitiâ Imperii occidentalis *Sabaudiæ* nomem sortitur eadem hæc Provincia; ibi enim legitur *Præfectus Classis Barcariorum Ebredani* SABAUDIÆ; Ammianus Marcellinus cum de Rhodano flumine agit, *per* SABAUDIAM, inquit, *fertur & Sequanos, longèque progressus Viennensem latere sinistro perstringit, dextro Lugdunensem*; Mediæ Geographiæ temporibus hoc ipsum nomen eidem regioni tribuitur, eam enim SAPAUDIAM nuncupant Prosper Tyro in Chronicis, & Ennodius Paviæ Episcopus anno D. XXI. denatus. In diplomate quo inter liberos suos Imperium Carolus magnus divisit, vocatur SABOÏA; denique ultimis temporibus nuncupata est etiam *Ager Savoyensis*, *Comitatus Savoyensis* aut *Savoyæ*.

Etymologistæ qui antiquum illud nomen non ignorarunt, originem ejus sedulò investigavere; illam à *Baccaudiâ* per corruptionem ductam Fauchetius Præses arbitratur, Saxius verò à JOVE SÆBADIO quem ab Alpium incolis adoratum Pausanias refert, Pingonius à *Saba*, Buttetus à *Sabadio* Romanorum præfecto, Papirius Masso à *Sebusis*, *Sabaudia*, inquit ille, *quasi Sebusia & Savoisiani quasi Sebusiani*; illud à Legione *Flava Sabauda* ortum vult Chieza Senator, meliùs forsan si à regione Legioni nomen inditum dixisset. Omnium optima videtur mihi Volaterani Merulæque sententia; *Sabaudos*, inquit ille, *ex* SABATIIS *vadis ac Populis*, *Ptolomeo* cæterisque inter Alpes positis; de *Vadis Sabatiis* sic alter loquitur, *existimant autem non malè plerique* SABADIÆ *Duces hinc dici*, *& Regionem* SABAUDIAM *quasi* SABATIAM. Ut ut sit Regiæ Sabaudorum Principum familiæ Regio hæc nomen suum dedit.

Sub Generali *Sabaudiæ* nomine comprehenduntur quæcumque Duces possident intra & cis Alpes Franciam versùs. Ea olim pars magna erat antiqui regni Allobrogum populorum, collimitaturque ad septentrionem Lacui Lemano, Rhodano & Comitatui Burgundiæ; ad orientem finitima est Valesia, valli Augustanæ & Pedemontio; ad austrum Delphinatus; ad occidentem separatur ac distinguitur Rhodano & Guyero fluminibus à Bugeæ Territorio & Delphinatu. Longitudo ejus est ergo à limitibus Comitatûs Burgundiæ usque ad Magnam Crucem super Monte Cenisio 110. milliarium Italicorum, & latitudo 90. à Ponte Bellovicino ad Montem minorem D. Bernardi. *Divisio, magnitudo, limites.*

Hæc Regionis porrectio propriè non est nisi concatenatio Montium undè nascuntur plures jucundissimi prospectus. Quandoque illi Montes cumulati excurrunt in nubes: aliquando distinguuntur in complura fastigia rupium in præcipitio pendentia, quasi in aëre suspensa & casum in capita viatorum minantia. Non nunquam intertexuntur & intersecantur anfractibus inviis; ut plurimùm autem separati valles constituunt feraces Cerere, Baccho & exquisitissimis fructibus, & circundatas colliculis plenis scaturiginibus seu fontibus salientibus, quibus planities irrigatur, undè sensim extolluntur; quidam prata ferunt *De Montibus.*

runt in quibus paſcuntur Armenta & Greges, ex quibus incolis ſuppeditantur Lanæ, Coria, Butyrum & Caſei in proprium & finitimorum uſum; alii condenſi ſunt arboribus aptis ad cujuſcumque generis ædificia & malos maximarum navium. Sunt qui gaudent venis Cryſtalli & marmoris nec non auri, argenti, & plumbi fodinis; omnes fermè alunt copiam Aprorum, Rupicaprarum, Caprearum, Leporum, Perdicum, Attaginum, Phaſianorum, & ſuppeditant abundè quæ ad victum requiruntur octingentorum millium hominum qui eos incolunt.

Sub generali Sabaudiæ nomine continentur tractus novem; nempè, Mauriana, Tarantaſia, Sabaudia propria, pars Bugeæ ditionis, Bellofortii & Focunatum Baroniæ, Genevenſis Ducatus, Chablaſius, atque Vallis Cheſerina.

Antiqui incolæ. Provinciam illam olim incolebant Allobroges, interquos numerantur *Brannovices* in Mauriana, quorum *Bramantum* civitas fuit; *Centrones*, in Tarantaſia quibus vicini erant *Garulli* & *Carturiges*; in Fociniaco habitabant *Focunates*, in Chablaſio *Antuates* ſeu Nantuates, in Genevenſi verò Ditione Allobroges, Cæſar enim Genevam *Extremum Oppidum Allobrogum* vocat. De unaquâque Provinciâ notari poteſt.

Mauriana. Mauriana ad Auſtrum vergit inter Montana Delphinatûs & Tarantaſiæ. Vallis eſt 40. milliarium longa, figura Lunæ creſcentis, quæ extenditur à magnâ Cruce in vertice montis Ceniſii uſque Aquambellam, & quamquam tranſitum videtur præbere arctiſſimum, nihilominus in Montibus ſpacioſiùs & liberiùs excurrens continet plurimas valles habitatas & cultas centum & viginti admodum parochiis. Quæ maximè notatu digna ſunt, occurrunt in via ducente in Italiam. In ingreſſu conſpicitur *Aquabella* ad Arcum, deinde Carboneriæ caſtellum exſtructum in rupe prærupta, Argentina, Camera; Oppida, S. Joannis Metropolis & ſedes Epiſcopalis, S. Michaëlis, & S. Andreæ, Modana, Bramantum, Terminio, Lanneburgum ad radicem montis Ceniſii.

Tarantaſia. Tarantaſia à Maurianâ in Septentrionem vergit. Longitudo eſt 24. milliarium, latitudo 12. Parochias continet 80. in compluribus exiguis vallibus concluſis ambitu præcelſſorum montium, præter ſalinas Monaſterienſes quibus inclareſcit. Non ita pridem detecta eſt ſalina in Monte Darbonnæ nomine inſignito, & proximè illam fodina carbonum excoquendo ſali inſervientium. In vallem intramus per Confluentiam, & adverſo Iſara vectis occurrunt *la Baſtie*, *Civeri*, S. Thomas, *Aigue-Blanche*, Monaſterium vulgò *Mouſtiers* Metropolis & Archiepiſcopi ſedes, *Ayme*, *Belentie*, *S. Maurice* & *la Val-d'Iſere*.

Sabaudia ſpecialiter ſic dicta. Sabaudia, accepta pro Ducatu ſeorſim & coünita minori *Bugey*, contermina eſt Tarantaſiæ & Baroniæ Bellofortii ad Orientem; ad Auſtrum Maurianæ; ad Occidentem Rhodano & Guiero; ad Septentrionem Ducatui Gebennenſi: nullo gaudet Epiſcopo, ſed diſtributa eſt per diœceſes Tarantaſienſem, Gratianopolitanam, Maurianenſem & Bellicenſem.

Camberium. Chamberium ejus eſt Metropolis, hinc Libonotum verſûs occurrit Miana, cœnobium Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, cum Eccleſia dicata S. Virgini celebri miraculis ibi patrari ſolitis; *Les Marches* burgum & caſtellum exſtructa à Comitibus Sabaudiæ; Oppidum & Caſtellum Montis-Meliani ſita ad ripam Iſaræ, trans quem Auſtrum verſûs invenies *Montmyeur*, *la Rochette*, *Luille*, *Chamon*; deinde trajecto eodem amne occurrit Vallis *Miolans*, cui nomen impoſitum ex caſtello exſtructo in faſtigio rupis inter S. Petrum *d'Elbigny* & *Greyſii.* Inde cùm adverſo flumine aſcendimus, Turnono & S. Ægidio pervenimus Confluentiam, ad introitum Vallis Tarantaſiæ, relictis ad Septentrionem *Vgine*, & ad Occidentem *Chevron* & Abbatiâ *Fumié*: poſtea repetitâ viâ quæ eſt ſupra *Miolans* intramus in Baugeſium, ubi ſunt *Chatelar* & *Leſcherennes*, terræ non contemnendæ: dein ſecundo flumine Serano, qui ibi oritur, delati videmus Romilliacum, & caſtellum Annunciatæ. Porrò deſcendentes in minorem regionem Bugeyenſem inter Rhodanum & lacum Burgeti conſpicimus plurima caſtella, per omnem regionem diſperſa, ut *Lucey*, *Chevelu*, Draconerium, præter Oppida S. Geneſii Auguſtani & Yennam. Abbatia Altæcumbæ conſpicua eſt ad oram lacûs in declivi montis. *La Chautagne* eſt ad Septentrionem, Burgetum & *la Serra* ad Auſtrum verſûs angulum Auſtralem lacûs; Aquæ Gratianæ trans lacum ad Orientem ſitæ ſunt, ubi reperiuntur thermæ ſulphureæ ſaluberrimæ, quarum frequentiſſimus eſt uſus. Trans montem Aquambellettam verſûs Guierum eſt Pons Bellovicinus, cujus media pars ad Galliam pertinet, altera ad Sabaudiam, nec non Oppidum Scalarum & celebris via ad Crottam. Cùm talis ſit Provinciæ hujus ſitus, ut montibus in colles declinantibus incluſos habeat campos ſatis ſpacioſos, indubium eſt eſſe fertiliſſimam; in primis verò vina profert, inter quæ excellunt, Cautaniacum & Montis-Emeliani.

Fociniacum. Fociniacum terminatur Chablaſio ad Septentrionem, Bellofortio & Tarantaſia ad Auſtrum, Valle Auguſtæ & parte Valleſiæ ad Orientem, ad Occidentem Gebenneſio. Parochiarum ejus numerus nonaginta ſuperat. Dividitur in decem ditiones, vel in ſuperius & inferius. In ſuperiori ſunt *Flumet*, *Megeue*, *Monjoye*, *Salanches*, *Chamounis*, *Samoën*, *Entremont*, *Sixt* Abbatia, *Boege* & *Taninge*: In inferiori Cluſa & Bonavilla ad Arvam, *S. Joire*, *Bonne*, *Lucinge*. Montes ſunt altitudinis immenſæ, inprimis Valleſiam, & Vallem Auguſtanam verſûs; ibi exurgit *Les Glacieres*, quem incolæ appellant Montem maledictum, quia nunquam non opertus eſt nive & glacie.

Gebennenſis Ducatus. Gebennenſis Ducatus ſitus eſt Sabaudiæ ad Septentrionem, à qua ex parte ſeparatur fluvio Serano. In eo (Baroniâ Bellofortii comprehenſâ) numerantur 230. Parochiæ; ut plurimùm Caſ-

Castella cum titulis Marchionatuum, Comitatuum & Baroniarum. Annessiense Oppidum extructum ad sinum Lacûs ejusdem nominis ejus est Metropolis, hodieque sedes Episcopi Gebennensis; alia loca majoris momenti sunt *Faverges*, *Thosne*, *Taloire* Prioratus, *Menthon*, *la Roche*, *Montoux*, *Chaumont*, *Clairmont*, *Montrosier*, *Albie*, *Croissille*.

Chablasius Ducatus porrigitur in Septentrionem juxta lacum Lemanum. Exhibebimus particularem ejus descriptionem ad Paginam notatum, nec non Bailivatuum Terniaci & Galiardi, ut & Vallis *de Chesery*.

In eâ Provinciâ Archiepiscopatus duntaxat unus reperitur nempè Tarantasiæ, Episcopatus verò tres ut pote Maurianæ, Niceæ & Genevæ, hujus Episcopus Annecii moratur.

Regio irrigatur compluribus lacubus & fluminibus, quæ non parùm faciunt ad ejus pulcritudinem & fœcunditatem.

Primus & maximus lacus occurrit Lemanus seu Gebennensis, intrantibus à parte Septentrionali, cujus Descriptionem exhibebimus ad Tabulam ejus particularem.

Lacus Annessiensis est in medio Ducatûs Gebennensis: Longitudo ejus porrigitur juxta Meridianum in tres leucas, latitudo in unam ab Oriente ad Occidentem. Origo ejus est in paludibus Vertierensibus, & exoneratur per duos alveos, quos vocant majorem & minorem *Thiou*; major mediam interfluit civitatem Annessiensem distinctus in plures minores rivulos. Minor lambit mœnia: & uterque evolvitur in Ferum.

Lacus Burgeti ejusdem quidem est longitudinis, sed majoris latitudinis: Abbatia Altæcumbæ conspicitur ad oram ejus Occidentalem, haud procul à Monasterio & Fonte miraculorum, qui fluxum & refluxum maris imitatur. Adfluit jam horam dimidiam, jam integram, minùs hyeme quàm æstate, & satis aquæ præbet in usum moletrinæ & Serræ Abbatiæ. Lacus ille exoneratur in Rhodanum per alveum unam leucam longum; abundat piscibus præstantibus; præ aliis verò alosa quasi peculiaris ei est.

Lacus Aquæbellettæ est in ingressu Sabaudiæ ad radicem montis ejusdem nominis: Lacus autem Montis Cenisii est in planitie, quæ est in dorso montis ultimò superandi transituris in Italiam. Sunt & alii lacus minoris momenti, quos in tabula videre est.

Plerique amnes Sabaudiæ rapido volvuntur fluento ab Austro Septentrionem versûs declinantes ad Occasum, & feruntur vel in Rhodanum, vel in Isaram.

Rhodanus scaturit in monte *de la Fourche* prope montem S. Gothardi. Postquam interfluxit Vallesiam & lacum Lemanum, Baroniam Gexensem & Sabaudiam dividit; in Sabaudiâ verò augetur aquis Arvæ, Valserinæ, Guieri, Serani & *des Usses*: deinde arctiore alveo per præcipitia delatus absorbetur voragine; undè amplior & tumidior propè pontem *de Lucey* emergit, & continuo cursu se in Mare Mediterraneum exonerat.

Arva oritur in monte *Chamounis* sub monte *Les-Glacieres*, & postquam incrementa cepit ex *Gifre*, *Menoge* & *Des-Bornes*, irrigatis Clusâ & Bonavilla, subterfluit pontes *d'Etrambieres* & Arvæ prope Gebennam, ferturque tam rapido cursu in Rhodanum, ut aliquousque eodem alveo aquis non communicatis devehatur. *Arva.*

Valserina in montibus Comitatûs Burgundiæ scaturiens, irrigat vallem *de Chesery*, subterfluit pontem Bellægardæ, & devolvitur in Rhodanum propè pontem *de Lucey*. *Valserina.*

Les Usses oriuntur supra pagum *la Mure* in Gebennesio, & Rhodano commiscentur prope *Regonfle*. *Les Usses.*

Seranus profluit ex stagno quodam *Beugesii*, commiscetur Fero, qui scaturit in montibus *de Serraval*, & cum eo exoneratur in Rhodanum supra Seycellum. *Seranus.*

Guierus distinguit Sabaudiam à Delphinatu, producitur ex duobus rivulis, quorum alter oritur propè magnum Monasterium Carthusianorum, alter ex montibus *d'Entremont*: iste appellatur Guierus mortuus, hic Guierus vivus; commiscentur supra Scalas, & postquam subterfluxerunt pontem Bellovicinum, fluunt in Rhodanum. *Guierus.*

Isaræ scaturigo est in monte Isarano infra Vallem *de Tignes*, interfluit Monasterium Oppidum, lambit radices rupis Confluentiæ & Montis-Meliani; ad aliquot leucas inferiùs, postquam recepit Confluentiæ Arlium Umbrâ fluvio auctum, quorum iste devolvitur ex Fociniaci, hic ex Bellofortii montibus, Sabaudiæ finibus elabitur. *Isara.*

Isara etiam commiscetur Fretærivæ Arco, qui oritur in adverso latere montis Isarani, & mediam vallem Maurianæ interfluit figura arcûs.

Eussea oritur in montanis deserti, lambit suburbia Chamberii sub ponte lapideo, & exoneratur in lacum Burgeti cum Orbanno, qui etiam est rivulus interfluens Chamberium pluribus alveis. *Eussea.*

Quod ad Sabaudorum mores attinet, mites & multi laboris habentur, verùm nec Ingenii acumine, nec dexteritate pollent. Nobiles, seu Proceres, quorum magnus numerus est, honestam & liberalem speciem præ se ferunt, bello dediti. Eodem studio non tenetur vulgus ad id tamen aptissimum, omnia incommoda omnesque labores sufferre capax, præterquam quod omnes frugales sunt, gulæ mirum in modum temperantes. Quid plura? Conspicuâ sunt in Principem fidelitate quem, etiam aliis servientes, adorant. *Mores.*

Judicia exercet Camberiensis Senatus, in quo Præsides quatuor sunt, præter abbatem Altæcombæ qui jure suo Senator est, præterea fisci Advocatus & Procurator, tabularii duo, totidemque scribæ. Ad hoc Tribunal provocant ab inferioribus aliis totius Provinciæ ultrà Montes, nam Taurini altero Senatu gaudent Pedemontani, altero Nicææ Nicæenses. *Senatus.*

CHAMBERY.



1. Castrum.
2. Sacellum Regium Sacratiss.ᵃ Sindonis.
3. Fons marmoreus in medio Castri.
4. Camera Computorum S. Reg. Celsit.
5. Templum Parochiale S.ᵗⁱ Petri.
6. Templum Parochiale S.ᵗⁱ Leodegary.
7. Templum, & Cœnobium S.ᵗⁱ Francisci.
8. Templum, & Societas Spiritus Sancti
9. Templum, & Monasterium S.ᵗᵃᵉ Claræ in Urbe.
10. Templum, & Collegium Societatis Jesu.
11. Templum, & Cœnobium S. Antonij Abb.
12. Palatium Urbanum.
13. Fons Marmoreus mira arte elaboratus in medio Fori.
14. Templum, & Cœnobium S.ᵗⁱ Dominici.
15. Aula Regia Sabaudiæ Senatus.
16. Templum Confraternitatis S.ᵗᵃᵉ Crucis.
17. Porta Montis Meliani.
18. Porta Reclusy.
19. Porta Maceti.
20. Templum, & Cœnobium Capucinorum
21. Templum, & Monasterium D. Bernardi.
22. Templum, & Monasterium Visitationis.
23. Xenodochium Peregrinorum.
24. Templum, & Monasterium S. Claræ extra Urbem.
25. Templum, & Monasterium S.ᵗᵃᵉ Ursulæ.
26. Templum, & Cœnobium S.ᵗᵃᵉ Mariæ Ægyptiacæ.
27. Templum, & Monasterium Carmelitarum.
28. Xenodochium Charitatis.
29. Templum, & Monasterium S.ᵗᵃᵉ Virginis Annunciatæ.
30. Templum, & Cœnobium S. Berna
31. Templum, & Cœnobium S. Augustini.
32. Templum, & Cœnobium F.F. Carmelitarum
33. Publicum Verneti Ambulacrum.
34. Leitia Fluvius.
35. Albana Fluvius.
36. Origo fontis S.ᵗⁱ Martini Universam Urbem magno publici commodo irrigantis.

fe,

DESCRIPTIO
URBIS
CAMBERII.



Amberium, Metropolis non solùm Ducatûs Sabaudiæ, sed & omnium Dominiorum Cisalpinorum, tantæ est vetustatis, ut de ejus origine nîl certi reperiri possit. Sunt qui civitatem hanc appellârint *Forum Coconium*; Cænali & Castilionæo venit nomine *Civaronis*; Malumbra in Ptolemæum vocat *Forum Neronis*; *Camberiacum*, seu *Cameriacum* dicitur in tabulis Peutingeri; *Lemnicum* à Cluverio, quod tamen propriè est *Camerianum Lemnicorum:* uti egregiè animadverterunt Historici nostrates antiqui & recentiores. Situ gaudet amœnissimo, aëre leni, duobusque rivulis, quorum alter, vulgò dictus *Laisse*, eam haud procul præterlabitur, alter Albanus alveis per medias plateas devectus omnes secum trahit sordes.

Aditus ejus maximè commodi sunt & incolis & peregrinis, tam in Italiam, Galliam & Germaniam, quàm in Provincias finitimas iter facientibus. Colles & montes, quibus cingitur, partim fertilitate suâ, partim quod ad multa necessarii sunt, climati huic jucunditatem eximiam conciliant, præcipuè æstate cum autumno: Camberium verò, utpote in valle situm, jucundissimam civibus habitationem præbet, ob hortos, pascua, arboreta, & ambulacra ulmis consita campi Vernayensis portis civitatis contermini, & quovis anni tempore deambulationi populi inservientis.

Magnitudo ejus est mediocris, mœnia satis alta & turribus justo ordine dispositis munita, Comite Amedæo VI. regnante exstructa & insigni fossâ cincta, quæ pro libitu aquâ impleri potest. Suburbia sunt ampla, & compluribus opificiis exercendis opportuna. Integer ambitus longè superat dimidiam leucam, & numerus incolarum viginti circiter millia exæquat. Honori Urbis datum est, ut Sabaudiæ insignibus utatur, additâ stellâ aureâ, quæ in dextrâ clypei parte fulgeret.

Ex Castello supèr colle sito quaquaversum prospici datur: estque locus ille satis amplus. Thomas I. hujus nominis, Comes Sabaudiæ cœpit id exstruere Anno M. CC. XXXII; aliique Principes ejus successores in eo commorantes tandem supremam operi imposuêre manum. Continet plura habitacula, & duas turres præcipuas, quæ olim tam in propugnationis, quàm habitationis usum fuerant destinatæ. Planitiem soli, nemora & fontes in hoc loco exornando certare diceres; ut plurimùm milite præsidiario munitur, & Gubernationis munus non nisi in viros illustres confertur. Illis oportunitatibus non impeditum quin quoties Saubaudis bellum Galli indixere, toties Camberium jam ineunte bello expugnatum sit, adeo ut vix numerare possis quoties in hostium potestatem devenerit, quibus resistere nunquam par fuit. *Castellum.*

S. Sacellum in eodem castello exstructum, auspiciis Ducis Ludovici & Yolandæ Francicæ, ac nostris temporibus restauratum pietate Regiæ Celsitudinis Ducissæ, admodùm celebre est, quandoquidem in eo S. Sudarium Taurinense initio requievit, plurimaque patravit miracula, hodieque asservantur magno numero reliquiæ pretiosæ cum baculò S. Josephi. Iisdem privilegiis gaudet quibus Sacellum Parisiense & Divionense. Collegium hujus Ecclesiæ Collegiatæ illustre est fundatione Ducum Sabaudiæ, & Nobilibus refertum; cujus Decanus ex speciali privilegio celebrat cum mitra, annulo & pedo pastorali, Episcoporum more. *Sacrum Sacellum.*

Sunt & aliæ illustres Ecclesiæ, quarum illa quæ est in Prioratu S. Petri *de Lemens* post S. Sacellum, ob antiquitatem suam nobilissima est. Sita est extra urbem in vertice collis, fundata per Rudolphum ultimum Burgundiæ Regem, olimque possessâ à Patribus S. Benedicti; nunc Ordinis Reformationis Cisterciensis, quos Galli *les Feuillans* appellant. Fuerunt qui scriberent hîc fuisse Chamberium antiquum, vel certè non longè inde dissitum, *Ecclesia.*


dissitum, idque non sine ratione, tam ob denominationem Camberii veteris, quo nomine hodieque appellatur pagus illi vicinus, quàm ob aditus viasque regias nostro tempore superstites, tendentesque Genevam versùs, & Montem-Melianum, inque montes finitimos. Prioratus S. Antonii Camberii antiquissimus est; Templum Equitum Hierosolymitanorum S. Joannis non ampliùs comparet, ut olim; sed ejus tantùm loco Sacellum quoddam extat sub titulo Commendatoriæ ejusdem nominis. Parochiæ vetustæ sunt S. Petri infra Castellum & S. Legeri in media urbe, quæ nunc dependent à Collegio S. Sacelli.

Monasteria. Monasterium S. Dominici cum Ecclesia ex parte fundatum fuit à Principibus Sabaudiæ, ut & Monasterium S. Francisci: quæ Ecclesiæ totius Provinciæ pulcherrimæ ferè sunt. Ecclesia Franciscanorum Observantium extra civitatem sita amœnissima est, exstructa tempore S. Bernardini; aditus, situs, locaque circumvicina hujus Monasterii perpulchram & jucundam solitudinem præbent. Monasterium S. Claræ extra urbem fundavit Aimo Comes Sabaudiæ, at illud quod intra urbem conspicuum est, Yolanda Francica. Verùm Collegium Patrum Societatis Jesu, cujus origo accepta fertur Emanueli Philiberto & Carolo Emanueli, procul omni dubio, uti eorum est monumentum gloriosissimum, ita civitatis ornamentum maximum. Monasterium Capucinorum aliquantulò longiùs abest, viâ Lugdunensi, cujus Ecclesia exstructa fuit à Carolota Cypria, Ducissa Sabaudiæ, in usum Monachorum Franciscanorum, qui eam deinde tradiderunt Patribus Capucinis. Monasterium Augustinianorum Reformatorum in suburbio Montis-Meliani à Principe Thoma fuit fundatum. Sunt & præterea alia Monialium Cœnobia, nimirum S. Ursulæ, Visitationis S. Mariæ, Bernardinarum, Annunciatæ, Carmelitarumque monachorum & monialium: quorum duo postrema fundata sunt à Ducissa Ventadurii.

Comites Sabaudiæ olim Camberii ad primam & secundam instantias justitiam exercebant per Judicem (quem vulgò *Juge maje* vocant), qui exinde semper ibi resedit. Verùm Anno circiter M. CCC. XXX. illo in loco fundârunt Consilium residens, quod pòst erectum in Parlementum Anno M. D. LIX. nunquam non celeberrimum, cujus famam Præses Faverius doctrinâ operibusque suis summopere extulit. Hoc Collegium justitiam administrat secundùm Jus scriptum, præque aliis omnibus Dominiorum Ducis Dicasteriis præeminentiâ gaudet. Camera rationum quoque absolutè sine appellatione judicat; in Castello ejus est sedes, camerasque reliquarum Provinciarum ordine antecedit.

Civitas regitur per Scabinos, quorum unum est collegium cum quadraginta octo primariis Consiliariis, qui politicum regimen exercent cum jurisdictione civili & criminali.

Nobiles ut plurimùm sunt strenui, ad res gerendas aptissimi & bene educati. Qui literis incumbunt, eruditissimi; mulieres formosæ & pulchræ: omnisque populus addictus non solùm linguæ sed & moribus Gallicanis ob viciniam. Quamobrem Camberium ea civitas est, quæ omnes peregrinos, qui eam viderunt, in admirationem sui trahat, dilecta Principibus suis ob intemeratam in eos fidem, quam omnes subditi propter dignitatem Magistratuum Justitiam exercentium honore afficiunt, quæque meritò est Metropolis omnium regionum Cisalpinarum.



ARX ET OPPIDUM MONTISMELIANI.



DESCRIPTIO URBIS ET ARCIS MOMMELIANI IN SABAUDIA.



Ommelianum inter municipia bellica dominiorum Sabaudiæ longè præ cæteris famâ eminet. Crediderunt quidam id esse Mantalum, ubi Bozon in regem Burgundiæ creatus fuit circa Annum D. CCC. LXXIX. post mortem Imperatoris Caroli Calvi. Sed multi alii in hâc opinione ambiguitatem animadverterunt, præterquam quòd solâ authoritate Ranchini confirmatur. Verum ejus nomen Latinè sonat *Mommelianum*, (Oppidum antiquissimum, quodque inter prima mœnibus cinxêre Comites Sabaudiæ) vel *Mons Emelianus*, quod quidam observârunt in Inscriptione vetusta Castelli Mommeliani. Amedæus hujus nominis tertius in eo natus est, quanquam Historici Sabaudiæ de tempore minimè inter se conveniant; nec non Amedæus IV. Anno M. C. XCVII. & Thomas II. Anno M. C. XCIX. Exstructum est juxta ripam Isaræ, aditus ejus opportuni ad transeundum in Pedemontium, Delphinatum, Provincias Sabaudiæ, Gebennesium & Fociniacum; mœnia Camberiensibus sunt similia, Ædes satis pulchræ pro municipio bellico. Ecclesiam unicam habet B. Virgini consecratam; Monasterium Dominicanorum fundatum per Aimonem Comitem Sabaudiæ & extra Oppidum conspicuum est Monasterium Capuccinorum. Cives plerique omnes militiæ sunt addicti, ejusque apprimè periti, ceu genio suo in eam proclives. Loca finitima sunt amœna, quippe partim in planitie, partim in collibus & montibus viniferis sita, spatio duarum & quod excedit leucarum; ut taceam de aliis vineis, quæ porriguntur usque in Vallem *de Miolans*; & quidem, pro soli fertilitate, vinum generosum ibi progignitur, quod inde magnâ copiâ ad finitimos exportatur.

Castellum. Castellum Mommeliani, quod jugum montis occupat, inaccessum est, quamvis ad aditum ejus Oppidum versùs sit accessus. Fundamenta ejus rupi imposita, ipsumque munitum est quinque insignibus propugnaculis irregularibus, muro lapideo vestitis, & bene defensis, cum fossis profundis eidem rupi incisis. Continet duo munimenta inferiora, & in medio turrem egregiam; alterum Munimentorum inferiorum partim in planitie situm, partim in declivi est. Turris media ingens & alta domicilium est Gubernatoris. Est quoque ibidem locus militibus assignatus, & area arti equitatoriæ exercendæ opportuna, stadiumque equestri palæstræ destinatum. Inde descenditur in extremum munimentum inferius, quod priore paulo humilius est. Hic locus habitaculis aptissimus est, adeò ut mediis bellis intestinis, Marchione de S. Germano è familia Alladiensi Gubernatore, suæ Celsitudines Regiæ ibi aliquot menses fuerint commoratæ cum aula frequentissima. Tres insignes sunt excubiarum stationes, tam pulchrè ordinatæ, ut ad ad occupandam turrem mediam necesse sit primò expugnâsse alterutrum munimentorum inferiorum. Aër loco est saluberrimus, adeoque subtilis, ut sæpe æstate mediâ habitu hyemali utendum sit. Præterea locus hic non solùm magni momenti est, eò quòd sit quasi clavis regionis, sed & æstimatur invincibilis ob disciplinam militarem ibi frequentem, & victûs abundantiam, copiamque munitionum bellicarum. Habet puteum


Munimenta inferiora duo.


puteum profundum & pulchram ciſternam, in quibus aqua nunquam deficit. Milites præſidiarii ut plurimùm ſunt CCC. qui periti ſſimis rei militaris in tota Europa meritò accenſeantur. Nobiles quoque ibi ſemper occupantur, non tantùm qui in dignitatibus militaribus conſtituti ſunt, ſed & plurimi, qui ſtipendia merent. Cùm Rex Galliæ Franciſcus I. Anno M. D. XXXV. occuparet Territoria Sabaudiæ, Mommelianum adeo parùm defendebatur, ut Franciſcus Claramontius Neapolitanus, tum temporis ejus Præfectus, id dederet ad primum hoſtis conſpectum, tranſiretque ad Gallos ad evitandas ignaviæ pœnas. Carolo Emanueli I. Duci Sabaudiæ haud majorem fidem ſervavit, qui dicti Caſtelli Præfectus erat Anno M. D. C. corruptus enim argento ab Henrico IV. Rege Galliæ, Duci *de Crequi*, Exercitus Præfecto, quem in Sabaudiam miſerat Henricus, Mommelianum tradidit; quod fœdere Lugduni ſancito reſtitutum eſt. Verùm Rex Ludovicus XIII. Anno M. D. C. XXX. haud quaquam pari facilitate rem agebat, Comite de Santena tum temporis Caſtelli Præfecto ſtrenuâ defenſione fideque ſummâ obſidionem tredecim menſium ita eludente, ut tandem, ictu cuniculi pyrii nonniſi rupis parte propugnaculo contiguæ everſâ, Galli compulſi fuerint obſidione decedere. Et iſta obſidio uti celebratiſſimis, quæ noſtro ſeculo acciderunt, accenſeri meretur, ita tam Caſtelli robur, quàm obſeſſorum fortitudinem demonſtravit. Exinde reſtauratum adeoque munitum eſt, ut nemo non id in omnibus admiretur, ceu maximi momenti locum inter omnia dominia Ciſalpina ſuæ Regiæ Celſitudinis Sabaudicæ. Hoc tamen non impedivit quominus Ludovici XIV. exercituum Dux *de Catinat*, arcem illam mediâ hyeme anno M. D. C. XCII. occupaverit; quam tamen Galli Rex *Victori-Amadeo* Duci reſtituit, cum Princeps ille a Fœderatis deficiens à Gallis ſtaret. Verum ultimo ineuntis hujuſce ævi bello, expugnata iterum à Gallis Mommeliana arce, Exercituum Præfectus à Rege juſſus eſt eam funditûs evertere, undè cuique conjectare licet quantos ſumptus fecerit Rex Sardiniæ, ut eam repararet.

Obiter etiam monebimus ad diſtantiam dimidiæ leucæ à Mommeliano eſſe Cœnobium Patrum Franciſcanorum Obſervantium, celeberrimum ob devotionem erga B. Virginem Matrem *de Myans*. Duæ ibidem conſpicuæ ſunt Eccleſiæ, quarum altera ſuper alteram eſt ædificata. Sub inferioris ſplendidè ornatæ altari, loco ſummam devotionem inſpirante, requieſcit Imago Sanctæ Virginis in nigro ligno, opus, ut credunt, D. Lucæ. Monachi officia celebrant in ſuperiori. Fidem omnem ſuperare videntur miracula in loco illo patrata, & continuæ gratiæ ibidem receptæ. Loca finitima appellantur Abyſſus Myanenſis, porrecta in intervallum unius ferme leucæ: quoniam præter colliculos & concavitates, ſæpe aquâ repletas, ſolumque admodum ſterile nihil ibi comparet. Olim illic loci erat inſignis civitas dicta de nomine S. Andreæ, in qua erat Sacellum B. Virginis Matris *de Myans*, cum Cœnobio Monachorum Auguſtinianorum: ſed ſub regimine Thomæ I. Comitis Sabaudiæ oppidum illud cum campis vicinis fuit abſorptum, ſolo Sacello & Imagine B. Virginis Matris reliquis, inde nomen Abyſſi Myanenſis in hodiernum diem perſeverat: quemadmodum hiſtoria iſta fusè enarratur in Chartulario dictæ Eccleſiæ.

B. V... de My...

Abyſſ... Myanen...





A. *Inſcription de Monſieur l'Abbè Teſaure ſoubs les Armoiries de S. A. R. en Marbre blanc.*

B. *Cauerne par ou ſortent les eaux, qui gaſtoient anciennement le Chemin.*

LE GRAND CHEMIN ROYAL DE LA CROTE.

C. *Acquedut pour receuoir les eaux, qui tombent du Get de la Rauoyre.*

D. *Village de la Crote.*

E. *Pont de S.t Martin ſur la Riviere de Guyer.*

F. *Chemin du coſtè de Lion.*

DESCRIPTIO
VIÆ NOVÆ
AD
CROTTAM
IN
SABAUDIA.



Romanorum irritus conatus in via hac aperienda.

Um eos, qui ex Lugdunensi Gallia in Sabaudiam, atque indè in Italiam progredi festinabant, arduum olim alicubi iter remoraretur, Romani, priscis sæculis rerum Domini, non longè à Scalarum Oppido, Gallis *les Eschelles*, viæ in viva rupe aperiendæ videntur animum addixisse, divisis secus Guierum flumen ingentibus ferro scopulis, quà ineluctabili horrescebant Montis crepidines præcipitio. Quamvis tamen nihil non cedere Romanæ potentiæ videretur, primâ appositâ, postremam operi manum nequaquam apposuerant. Nam neque Vallium anfractibus, erecto, ubi res poscebat, aggere obviam itum est; neque summi Jugi angustias adeò dilatarunt, ut non homines, ac jumenta modò, verùm etiam currus, quadrigasque admitteret; neque quod caput est, eidem viæ per Montes sibi invicem succedentes, continuatâ munitione ita consuluerunt, ut liber redderetur viatorum ultrò citroque commeantium transitus.

Carolus Emanuel II. eam aperuit.


Id debebatur CAROLI EMANUELIS II. Allobrogum Ducis magnificentiæ, qui, cùm eo esset ingenio, ut nihil intentatum relinqueret, resque, quò magis ab aliis desperatas, faciliùs, feliciùsque amplecteretur, ut primùm animadvertit, se eo facto, non suorum modò, verùm etiam exterorum commodo consulturum, rem adeò urgere aggressus est, ut antequam diem extremum clauderet (quod nimis properè in ipso juventutis flore Anno Christi M. DC. LXXV. contigisse dolendum est) eandem cum summa omnium admiratione, ac sæculorum omnium plausu, ad finem exitumque perduxerit.

Igitur excisâ primùm altiùs eâ, quam Romani centum, non amplius, pedes tentârunt, Scalarum rupe, munitam novis aggeribus, fornicibus, pontibus viam ibidem aperuit, per quam licèt, sic exposcente situ, modò ascendendum, modò descendendum sit, tamen, vel à sibi invicem occursantibus bigis, & curribus, securè commodèque transitur: continuatâ ad marginem, pectore tenus exsurgente, loricâ, ut lapsûs in præcipitium, quod semper in conspectu est, periculum avertatur. Quia verò arduus admodum Aquæbellettæ Mons, per quem transeundum erat, ascensum habebat, descensumque duarum leucarum spatio perdifficilem, ubi autem recedebant introrsum Valles, imbrium injuriâ, hominumque incuriâ fatiscentibus priscis substructionibus, ægrè admodum itabatur, relictâ ad sinistram ex Gallia venientium Aquabellettâ, viam novam ad dexteram excogitavit, quæ à Ponte Bonivicini, cujus media pars ad Gallos, media ad Sabaudos spectat, per Crottæ, quem dicunt Montem, Camberium usque Sabaudiæ Metropolim, flexu faciliore, quamvis nonnihil fortasse longiore, perduceret.

Obstabat audaci cœpto solum alicubi sic depressum, stagnans, ac paludosum, ut sustinendis equorum ungulis par non esset, alibi verò Montis conscensio sic prærupta, ut vel pediti-

peditibus ipſis invia, horrorem præ impendentium ſcopulorum inſuperabili altitudine incuteret intuentibus. Cuncti propoſitum laudare, pleriquè exitum deſperare. At ille, quà erat animi magnitudine, poſtquam aggeſtis, ubi locus ſtagnabat, altè lapidibus, ſabuloque, ductâque hinc inde, ad avertendam aquarum redundantiam, foſſâ, ita planitiem elevâſſet, ut nihil à cœno lutoque, quod non parùm viatoribus jumentisque officere ſolet, timendum eſſet; crepidinem montis incredibili impenſâ aggreſſus, diductis trium mille paſſuum ſpatio ſcopulis, erectis muris, jactis pontibus, viam aditu facilem, ad verticem ejuſdem Montis uſque perduxit. Ibi cùm per ducentos, eoque ampliùs paſſus immani præcelſum Jugum horreſceret præcipitio, perfractis in immenſum ferro flammâque imis rupium viſceribus, adjecto ad æquandam loci declivitatem muro, ſexaginta alicubi pedes alto, ac ex ſectis lapidibus loricato, nec non ductis ad haurienda supernè decidentium rivulorum impedimenta, cœcis ad latus canalibus, Viam duodecim pedes latam aperuit, munivit, ſtravit, quâ liberè eam intercurſantibus viatoribus, vehiculis, ac quadrigis, continuatis indè in Maurianenſem uſque Vallem, Ciniſiumque Montem operibus, publica gentium commercia, Italiæ cum Gallia junctionem, vel reluctante per Alpium ſepta naturâ, quin immò Orbis totius commoda, proprio nutu, proprio ſumptu, proprio ingenio ſtabilivit. Hujuſce æterni beneficii index, loco præfati Montis editiore, inter marmorea, quæ hîc ad vivum repræſentata voluimus, ornamenta ſeſe offert Inſcriptio.




RUMILIACUM vulgò RUMILLY
A. Templum Parochiale Sanctæ Agatæ, & Prioratus Benedicti.
B. Templum, & Cœnobium FF. Capucinorum.
C. Templum, & Monasterium Sancti Bernardi.
D. Templum, & Monasterium Sᵗᵉ Mariæ Visitationis.
E. Xenodochium, & Sodalitium Nominis JESU.
F. Pons lapideus, ubi Sacellum Sancti Josephi.
G. Fons marmoreus in medio Fori.
H. Forum mercatorium, ubi Propugnaculorum vestigia.
I. Porta Camberiensis.
K. Castri vestigia.
L. Sacellum, et Prioratus Sᵗᵉ Mariæ Charitatis.
M. Sacellum B. Virginis Gratiarum.
N. Seranus Fluvius.
O. Nepha fluvius.

DESCRIPTIO
OPPIDI
ROMILIACI.
IN
SABAUDIA.

Situs.



Endentibus, usitatiore viâ, Camberium Anneſſiaco, occurrit poſt duarum leucarum ſpatium Romiliacum, Allobrogibus *Rumilly*, Ducatûs Sabaudiæ Oppidum, in edita planitie, ſitu tamen amœniſſimo, ædificatum, inter Ceranum & Nephum fluvios, quorum alveus, altioribus hinc indè ripis coërcitus, agris minùs officit circumſtantibus, quoties multo tumeſcunt imbre, quàm alibi ſoleat evenire. Utrumque fluvium premit firmiſſimus ſecti lapidis pons: Nephum quidem unico tantùm conſtructus fornice, Ceranum verò duobus, plusquam triginta pedum altitudine, ob profunditatem, quam dixi, alvei, arcuatus. Elegans Sacellum utrique ſuperædificatum addit, cum religioſa veneratione, decôrem, ac tutamentum. Cingebatur olim Oppidum veteris ſtructuræ muro, habebatque ex uno quidem latere ſuper prælta rupe turritum Caſtrum; ex alio verò, ad memoratorum fluminum confluentes recentioris operis Arcem à Carolo Emanuele I. Sabaudiæ Duce ſtructam, quæ omnia Ludovicus XIII. Galliarum Rex Anno M. D. C. XXX. dum Montem-Melianum obſidione premeret, ſolo æquari juſſit. Superſunt privatorum aptiſſimè diſpoſita, oculiſque mirificè arridentia ædificia, non magno ſtrui ſolita ope lapidis in hoc ſolo frequentiſſimi, quem mollatium vocant. Hic dum effoditur, facillimè ferro cedit, effoſſum, ſectum, atque ad aërem obdureſcens, ferri naturam induit. Ea porrò ædificia à tribus

Ædificiorum materia.

circiter incolarum millibus habitantur, inter quos multi præſtant avitâ Nobilitate, utpote Proceres *de Beaufort*, *de Salagina*, *de Mouxii*, *de Maillard*, aliique circumpoſitorum Domini Caſtellorum.

Civium numerus & præſtantia.

Non ita facilè dictu fuerit, quantum ex loci opportunitate, nec non ex mercium importatione ac exportatione incolæ lucrum capiant, juncto præſertim Mercatuum, ut vocant, ac publicarum, ſtatis anni temporibus Nundinarum commodo, ad quas ex valde remotis partibus conveniunt Mercatores, juncto etiam admodùm amplo Foro ſive Plateâ, porticibus undique circumdatâ, tabernis, & officinis, in quibus abundè, proſtant quæ veneunt emunturve. Præcipuum tamen Romiliacenſibus provenit à tritici venditione emolumentum, cujus cùm ſit tanta agrorum vicinia, ea imprimis, quæ Albaneſii dicitur, feraciſſima, magnam in Alpinos Cerere deſtitutos ejus tranſmittunt copiam. Abundant etiam cæteris fructibus, qui non modò ad vitæ ſupplendam neceſſitatem, verùm etiam ad delicias expetuntur. Hinc fit, ut advenas ſæpe trahat hujus Patriæ incolatus: præcipuè cùm inibi habeant, quò pietas, ac religioſus ergà Deum cultus commodè exerceatur.

Romiliarum Emporium celebre.

Etenim præter Templum loci primarium, Prioratûs titulo inſigne, juriſque Benedictinorum Taolerienſis inſtituti Monachorum, ubi tamen ſæculares Presbyteri vacant parochialibus miniſtrandis, ornatur duabus Virorum Regularium Domibus, duabus etiam Fœminarum: Capuccinorum videlicet Cœnobio, nec non Collegio Oratorii Clericorum, qui inter cætera pia ſtudent informandæ bonis moribus, ac litteris juventuti: Sanctimonialium denique Viſitationis B. Ma-

Templa.

riæ Virginis, atque earum, quæ Divi Bernardi nominantur, Cistercienſium.

Dominorum mutatio.

Parebat Romiliacum ad Annum M. CCC. XC. Petro Comiti Gebennenſi, qui cùm abſque maribus obiiſſet, Oppidum ceſſit in Dotis Margaritæ Januillanæ ejus Uxoris, quam Viro tulerat, reſtituendæ, compenſationem. Ab ea Amedeus VIII. Comes Sabaudiæ Anno M. CCCC. XI. emptione idem Oppidum acquiſivit, Friderico Lotharingo, quem illa iteratis nuptiis Maritum ſibi fecerat, venditioni conſentiente: ex quo tempore Romiliacum, reliquo Sabaudiæ Ducatui annexum, legitimè posſederunt Amedei poſteri ac ſucceſſores.




C N
D.VALERIO GRATO
L.CATIO AGRICOLAE
P. ATIAE L.F. SECVNDIE AM.M.
C.POMPEIO IVLIO FRAT M.PARENTIB.
VOLVNTIL C.F. CENSAE AVIAE AVITAE
C.SENTIO IVSTO. AVC AMAT
D.CANTIO A.F IA. CO PERESSO
L.POMPEIO CAMP.CAMP. ET SENT.FI
L. POMPEIVS CAMPANVS
VIVVS FECIT
ARCVS
MARMOREVS
Apud Castrum
AQVAR. SABAVD.

AYX

A Eglise Collegiale de S.ᵗᵉ Croix
B Eglise Parochiale de S.ᵗ Paul.
C Chasteau du Marquis d'Ayx.
D Grande Sale de Pierre de taille. ou estoit le Temple des Idoles.
E Arc de Marbre fait par les Romains
F Bain de Souffre
G Bain d'Alum
H Bain Royal
} ou sont les Masures des Galleries de Marbre faites au temps des Romains.
I Porte de Chambery
L Porte de Chautagne
M Porte de Rumilly
N l'Hospital, et la Chapelle des Penitens

A B C D E F G H I L M N

DESCRIPTIO URBIS AQUARUM GRATIANARUM IN SABAUDIA.



Situs. AD ſextum à Camberio, ſecundumque à Burgeti Lacu, Boream versùs, lapidem, occurrit illuſtre Oppidum *Aix*, quò, non ex Sabaudia modò, verùm etiam ex tota Gallia, Helvetia, Italia convenire quotannis ſolent non pauci, interque eos primates viri, quos curare malè affecta corpora thermarum beneficio juvat. *Nominis origo.* Aquæ inibi ſaluberrimæ, uberriméque ſcaturientes nomen loco (quod alibi per Europam contigit) indiderunt. Aquas Allobrogum dixit Romana Antiquitas, ſive, ut nonnemo aſſerit, Gratianas, à Gratiano videlicet Auguſto inſtauratore, quo tempore is intra Galliarum fines verſatus, Gratianopoli ampliatâ, loca finitima exornavit, priùsquam Maximi Tyranni inſidiis necaretur. Ab hiſce Aquis Oppidani Aquenſes dicti, veteri lapidi, ibidem priſca inter rudera invento, commemorantur, quem Pingonius, dum patrias Sabaudiæ antiquitates luſtraret exſcripſit hujusmodi:

Inſcriptio.

D. M.
D. TITI DOMITINI
POSSESSOR AQVENSES
ET D. TITIVS DOMITIVS
PATRI.

Alia quamplura videre eſt intra eundem locum, non modò ſignata notis ſepulcralibus, cenotaphia, & poſitos priſcis titulos, verùm etiam integras ferme adhuc, mirandæ molis ſubſtructiones, indubia Romanorum, hanc olim regionem frequentantium, magnificentiæ argumenta.

Arcus Lucii Pompeii Campani. Ea inter, omninò viſendus Arcus marmoreus, quem hic Lectori ex archetypo effigiatum repræſentamus, à Lucio Pompeio Campano ſuperſtitioſâ oſtentatione poſitus, non alium ad uſum, quàm aſſervandis propinquorum ſuorum cineribus, quos octo urnæ ſummam inter, mediamque coronam ordine recto diſpoſitæ continebant. Nunc, ex parte labefactato, Barbarorum invidiâ, ſive aliâ temporum injuriâ, eodem ſupernè Arcu, reſtant ſolùm totidem, inter ſe æqualis ſtructuræ cellulæ, ſarcophagis ſuis vacuæ, ſuperſtite tamen adhuc ſub unaquaque earum titulo, ſeu dicere mavis appoſitâ à ſtructore Inſcriptione. Viſitur etiam alia, prægrandibus ſaxis compacta, quadrata moles, Deorum credita quondam Fanum, quæ impræſentiarum ei, quod commemorabimus infra, adhæret Caſtro.

Aquæ trifariàm intra Oppidi ejusdem ſepta diviſæ, ſuis etiam ipſæ muniuntur circumquàque operis priſci, non tantùm muris, fornicibusque, verùm marmorearum etiam deambulationum, aliorumque hujusmodi ornamentorum reliquiis. Id generis ædificia Romani quondam ſtruxêre ſumptuoſiſſima, quà aprica, quà opaca, ſoli ſcili-

cet, umbræve, prout morbi, curationisve ratio exigebat, excipiendæ. Fontium eorundem ille, qui uberibus admodum venis medio ferme Oppido proſilit, cujusque ſuperſtructionem recentioris ævi additamento credimus inſtauratam, Thermarum indigitatur vocabulo Regiarum, *Le bain Royal.* Reliquorum, quos delineatos vides ponè Oppidi ejusdem muros, unus quidem à ſulphure, cujus odore infectas emittit aquas, alius verò ab alumine, cujus ſaporem atramento ſutorio mixtum profert, cognominatur.

Fontium nomina & natura.

Loci totius ſpatium, quod inæqualiter rotundam, ac ab imo in ſummum ſenſim gradientem figuram exhibet, vetuſti operis ex ſecto lapide, atque ad certa ſpatia quadratis diſtinctus turribus, murus claudit: præterquam ad Auſtralem plagam, ubi potiori ex parte eodem disjecto muro, aquæ in unum alveum confluentes, foſſæ ac mœnium vicem præſtant. Ad Orientem peramplo, ſive Palatio, ſive Caſtro, partim veteris, partim recentis ſtructuræ munitur, decoraturque, additis hinc inde viridariis peramœnis, ubi loci Toparcha ex Seycellenſi familia, & ex inclytis Marchionibus Cameræ, *de la Chambre*, ut perhibent, oriundus proprios lares habet. Non longè à Caſtro patet princeps Oppidi Porta Camberium Sabaudiæ Metropolim ſpectans; ex adverſo verò illa, quæ dicitur *de Chautagne.* Inter utramque, forum admodum ſpatioſum, quotidianis mercimoniis, atque annuis nundinis opportunum. Supereſt tertia montanæ proximior regioni, dicta de Rumiliaco, quam ingredi, egredique aſſolent ii, quibus in circumpoſitos Pagos, & loca in montibus ſita lubet excurrere.

Oppidi forma & ſtructura.

Ager, cùm partim in planitiem extendatur, partim leniter aſſurgat in colles, diverſisque aquarum ductibus irrigetur, paucis (dummodo ſedula incolarum accedat induſtria) cedit fertilitate: unde fit, ut diverſa ex hoc ſolo gignantur fructuum genera ad humanæ vitæ neceſſitatem non modò, verùm & delicias. Venationi, ob ſilvarum infrequentiam, non adeò aptus locus; hunc tamen defectum ſupplet in vicino Burgeti lacu piſcatio copioſa. Soli amœnitati reſpondet aëris, cælique ſalubritas, & clementia, quæ, accedente thermalium aquarum uſu, præſente contra morbos remedio, in cauſa eſt, ut incolæ credantur diu vivere, ſerò mori.


Agri adjacentis natura.

Quod ad juriſdictionem attinet, in temporalibus Duci Sabaudo paret: in Spiritualibus, Gratianopolitani Aquarum Gratianarum Oppidum eſt portio Epiſcopatûs. Nobilitatur verò in Matrice, ſub invocatione S. Crucis, Eccleſia, ſubque Decani unius, ut vocant, primaria Dignitate, Canonicorum Collegio, cujus, ſive dotator, ſive ditator fuiſſe creditur toto orbe notiſſimus ille Claudius à Seycello, ex Illuſtriſſimorum, quos dixi, Loci Toparcharum ſanguine procreatus, juris utriusque, hiſtoriæ, atque eloquentiæ laude conſpicuus (uti teſtantur non pauca ab eo edita quondam volumina, quà ſæpiùs typis cuſa, quà manu ſcripta) Ludovici XII. Francorum Regis Conſiliarius, & ſupplicum libellorum Magiſter, Præſul deinde Maſſilienſis, poſtmodum Abbas S. Pontii Nicienſis, ab eodem Francorum Rege ad Lateranenſem Synodum Anno M. D. XIII. Legatus, ac demum Archiepiſcopus Taurinenſis.

Juris-di... *Clau... Seycel...*

Habet prætereà eidem Collegiatæ junctàm adminiſtrationem Sacramentorum: extra Oppidum aliud minoris ſtructuræ Templum D. Paulo Apoſtolo dicatum Parochiale: Domum, intra murorum ſepta excipiendis pauperibus hoſpitalem, ac Laicorum, quos Pœnitentes vocant, juxta poſitum Sodalitium: quibus ſacris ædificiis conſtruendis, priſca, quæ identidem occurrunt, rudera, materiam magna ex parte ſuppeditârunt, quam oculis cernere datur in magnæ molis ſaxis, in quibus à Romanis inſculpta plerumque Symbola, & characteres.




CIVITAS SANCTI JOANNIS MAURIA-NENSIS.
A. Basilica S^t. Joannis Baptistę.
B. Templum Parochiale B^{tæ}. Virginis Assumptę.
C. Turris et Horologium Publicum.
D. Palatium Episcopale.
E. Domicilia Canonicorum.
F. Templum, et Cœnobium Capucinorum.
G. Collegium Lambertinum.
H. Templum, et Cœnobium Virginum D. Bernardi.
I. Turris
L. Xenodochium, et Societas B. Virginis
M. Xenodochium, et Confrater S. Antonii Abbatis.
N. Templum Societatis Augustissimi Sacramenti.
O. Xenodochium Charitatis.
P. Templum Parochiale S. Christophori.
Q. Templum B. Virginis
R. Sacellum
S. Arvan Fluvius.
T. Arcus Fluvius.
5.

DESCRIPTIO CIVITATIS S. JOANNIS MAURIANENSIS.



MAuriana, five, ut nonnulli fcriptores efferunt, Maurienna, ea Sabaudiæ pars eft, quæ à Montis Cinifii jugo ad Ifaram ufque flumen XL. M. P. diftantiam dimetitur, Cottias inter, ac Grajas Alpes. Totam Regionem Arcus fluvius præterlabitur, per quem, commeatu quotidiano, breviorique, ac faciliori viâ, ex Italia aditur Gallia Lugdunenfis.

Incolas quamvis nonnulli putent eos effe, quos Plinius, ac Strabo Medullos appellaverunt, feu qui Brannovices Cæfari memorantur, nos tamen in ea fententia fumus, ut effe credamus ejufdem Cæfaris lib. 1. Belli Gallici Garocellos, medios inter Vocontios, ac Centrones, id eft, inter Montanos, Delphinates, & Tarentafios: eòque magis huic fententiæ adhæremus, quò in antiquis tabulis, ac monumentis S. Joannis Garocellii vocabulo appellari legimus Civitatis primariæ, qua de agimus, Ecclefiam Cathedralem.

Pofterioribus fæculis, voce priftinâ abdicatâ, nomen obtinuit Maurianæ: non tamen deductâ, ut quidam putant, denominatione à Mauris, qui circa nongentefimum Chrifti annum, à Fraxineto Alpinos, Subalpinofque adorti cuncta ejus tractûs oppida vaftaverunt, tefte in Chronicis Frodoardo. Conftat fiquidem Maurianæ vocem effe excurfionibus Maurorum, five Saracenorum antiquiorem, cùm in Concilio Romano fub Julio Papa I. ad Annum noftræ falutis CCC. XLI. federit Lucianus, ac Matifconenfi ad annum D. LXXXI. fubfcripferit Iconius, indigitatus Epifcopus uterque Maurianenfis. Affentimur verò iis, qui fic vocatum funt arbitrati à Militibus Mauris Alaribus, five Fortibus, qui quondam Romanis rerum potitis intrà Galliarum limites excubabant, non femel nominati apud Pancirolum in Notitia Imperii Occidentalis, potiùs quàm à foli colore fufco, quo ut plurimùm illa nigrefcit, præcipuè ubi fectiles lapides ad faftigiandas domos, Templaque aptiffimi effodiuntur, tranfmittunturque Camberium ufque & Taurinorum Auguftam; atque ubi æris, ferri, chalybifque fodinæ metalli probatiffimi copiam præftat Modanenfibus, atque Argentinenfibus officinis; unde in varias Mundi plagas omnis generis inftrumenta magno incolarum commodo diftrahuntur.

Soli fertilitas. Alpini Maurianenfium Montes, licèt alicubi fqualidi horroris nonnihil admixtum habeant, tamen eâ gaudent pabuli ubertate, tantâque armentorum, ac lactis copiâ, ut lanificii inde, ac lacticiniorum vis maxima efferatur. Iidem ad Septentrionem fylvofi arbores enutriunt mirandæ proceritatis, conficiendis trabibus perquam aptas: qua verò Meridiem fpectant, non carent vineis, amygdalis, tritico, filigine, cæterifque ad victum jumentorum atque hominum neceffariis.

Civitas S. Joannis. S. JOANNIS Civitatem, quam diximus effe totius primariam Regionis, nullus tuetur murorum ambitus, nec fumptuofis illuftratur ædificiis Civium privatorum, qui mediocritatis, ac parfimoniæ ftudiofi lucrum ex mercimoniorum exercitio facientes malunt effe divites, quàm videri. Inter publica verò ædificia eminent Ecclefia Cathedralis, ac Palatium Epifcopale. *Ecclefia.* Illa D. Joanni Baptiftæ Urbis Tutelari, ac Titulari facra duos ejusdem Præcurforis digitos, quibus Chriftum Dominum baptizavit, fervat venerabunda, ab Anno ufque D. C. XIII. fi Chronicorum fcriptori Sigeberto habenda fides, qui virtutem ac nomen S. Joannis Baptiftæ miraculis eo Anno declaratam fuiffe narrat apud Urbem Galliæ. Maurienam, unde eorundem digitorum figurâ eadem Civitas adhuc utitur pro fuorum infignium publico Symbolo tefferaque. Bafilica ftructuram habet operis antiqui, eoque ipfo, nec non decem & octo Canonicorum, nonnullo-


rum Capellanorum, minorumque Clericorum numero, qui ſacris inibi navant operam, maximè commendatur. Viſitur in ea ſepulcrum Ludovici de Gorrevodo Maurianenſis Præſulis, S. R. E. Cardinalis, ac Ducis Sabaudiæ ad Lateranenſem Synodum quondam Oratoris; nec non Ogerii ante Annum M. CCCC. XL. atque Petri Lamberti, Anno M. D. LXXX. Maurianenſium ſimiliter Epiſcoporum. *Tumulus Marmoreus.* Marmoreus, qui ante fores Eccleſiæ eminet, antiquitatem redolens tumulus, ſinu ſuo fovet oſſa Humberti, Amedei I. à Cauda cognominati, atque Bonifacii Comitum Sabaudiæ, & Maurianæ, quibus eò quòd viventes in eandem Eccleſiam Regiâ munificentiâ plurima contuliſſent, poſteriori ævo Canonicorum Collegium, grati animi ergò hoc ibidem appoſuit, quod reſcribere non piget, perennis memoriæ monumentum.

HVMBERTO, AMEDEO CAVDÆ, BONIFACIO,
MAVRIANÆ PRIMVM, DEINDE SABAVDIÆ COMITIBVS,
QVI ADEPTA REBVS GLORIOSE GESTIS IMMORTALITATE,
HOC TUMVLO QVIESCVNT,
CANONICI MAVRIANENSES,
TVM, NE TAM INSIGNIVM PRINCIPVM MEMORIA
TEMPORE DEPERIRET,
CVM, VT AB ILLIS IN ECCL̄Æ, ET DIVINI CVLTVS AVGMENTVM
LIBERALITER EROGATA AGNOSCERENT,
PONENDVM CVRAVERVNT.
VIX SATIS VNVS ERAT TRINIS VIVENTIBVS ORBIS;
TRINORVM EST CINERI SOLA SED URNA SATIS.
VIVE ERGO HVMANÆ MORTIS MEMOR, ATQVE PERENNE,
VIRTVTES PRÆTER, DISCE MANERE NIHIL.

Turris Campanaria. Propè Templum eminet altiſſimæ molis Turris campanaria ex ſecto compacta lapide, quam ante Chriſtianæ fidei introductionem, à Romanis ex veterum traditione, nonnulli fuiſſe poſitam arbitrantur. Non longè occurrit peramplum Palatium Epiſcopale, *Palatium Epiſcopale.* cujus ædes Philibertus Millietus Maurianenſis Antiſtes, vel auxit, vel inſtauravit: eas verò qui nunc vivit, Præſul vigilantiſſimus, Hercules de Berzetis, novis ſtructuris cumulatiùs exornavit. Superſunt ad Occidentale Urbis latus Eccleſia, Divo Chriſtophoro dicata, Parochialis: ad Orientale verò Fratrum Capuccinorum Cœnobium, Petri Lamberti Maurianenſis Epiſcopi, cujus ſupra fecimus mentionem, munificum opus, Viri non minùs pii, quàm docti, & liberalis, quippe qui informandæ in litteris Juventuti etiam Collegium excitavit. Adeſt denique è regione Baſilicæ Cathedralis, Sanctimonialium Ciſtercienſium, ſub Divi Bernardi titulo Monaſterium; ut omittam Domum excipiendis pauperibus hoſpitalem, ac Laicorum, quos Pœnitentes vulgus nominat, ſodalitium.

Diœceſis eſt ſatis ampla, cùm centum circiter Parœciis Epiſcopus jus dicat ſpirituale; interque eas celebrantur, ſive commerciorum frequentiâ, ſive populi numeroſitate, ſeu denique priſcâ Dominorum ſuorum nobilitate, Cameræ Aquæbellæ, Argentinæ, S. Andreæ, Modanæ, Terminionis Oppida. Quod ad ipſum Epiſcopum attinet, is eſt unus è ſuffraganeis Archiepiſcopi Viennenſis, uſus aliquando titulo Principis. Præfert etiamnum titulum Comitis, ob nonnulla, ut vocant, feudalia loca, quæ poſſidet clientelari Ducis Sabaudiæ beneficio. Paruit olim Civitas, cum toto Comitatu, Burgundionibus ad Annum uſque M. XXXVIII. quo Rex Romanorum Conradus illam ſolo tenus penè everſam ſubmiſit Guidoni, qui à ſuis partibus ſtabat, Epiſcopo Taurinenſi. Recuperavit tamen brevì, ſimul cum ædificiis, Præſulatûs honorem, & dignitatem, claruitque deinceps magis, ex quo Beroldi Saxonis poſteri illam ditioni ſuæ adjicientes, fauſtis ominibus, dicti ſunt Comites Maurianæ.




MOSTIERS
A. Eglise Cathedrale de S. Pierre.
B. Palais de l'Archeuesche.
C. Eglise Parossiale de Saincte Marie.
D. Monastere de S Claire.
E. Eglise, & Convent des Capucins.
F. Les Salines.
G. Eglise, & Prioré de S. Martin.
H. Le Seminaire.
I. Chemin d'Ayque blanche.
K. Riviere d'Isere.
L. Riviere Doron.
M. Faubourgh de Salin.
N. Chapelle de S Madelene.
O. Eglise de Nostre Dame de la Croix.
P. Eglise Paroissiale de S George.
Q. Eglise, & Convent des Cordeliers.
3.

DESCRIPTIO
MONASTERII
TARENTASIENSIUM,
OLIM
CENTRONUM
METROPOLIS.

Nomina ſca.



MOnaſterium Civitas, Sabaudis *Mouſtier*, cujus nomen priſcis ſæculis omnino ignotum, Ptolemæus Forum Claudii, Antoninus Darentaſiam, poſteriores Imperii Notitiæ, Tarentaſiam Civitatem Centronum pronuntiârunt, eo loci in vetere Itinerario ſita eſt, unde ex Italia in Galliam Germaniamve per Alpes Graias eſt iter, Bergintrum inter ex quo M. P. XIX. ac Oblimum, unde M. P. XIII. diſtantiam notavit ejusdem Itinerarii compilator. Jure Fori à Romanis donata, ejus tractûs populis legem dixit, qui olim *Centrones*, ſive *Ceutrones*, Cæſari, Ptolemæo, Plinio, Straboni cogniti, nominis veſtigium adhuc ſervant in Pago ignobili nunc, olim primario Regionis Oppido, *Centron*, medio inter Forum Claudii, de quo agimus, atque *Aximam*, dictam modò incolis *Aixme*. Hîc occurrunt non pauca venerandæ antiquitatis rudera; atque inter cætera duo, Imperatoribus Nervæ, Trajanoque inſcripti lapides, quos ex ſchedis Caroli Auguſti *de Sales* Epiſcopi Gebennenſis, Samuel Quichenonus Sabaudiæ Hiſtoriographus publici juris fecit. Utrumque Foroclaudienſes Ceutronum dedicavêre: primum quidem Nervæ, ad Annum Chriſti XCIX. hiſce inſculptis notis:

Lapides duo Nervæ & Trajano inſcripti.

IMP. NERVÆ CÆSARI AVG. PONTIFICI MAX.
TRIBVNIC. POTEST. COS. III. P. P.
FOROCL. CEVTRON.

Alterum verò poſt aliquot annos, Trajano Dacorum victori:

IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ F. NERVÆ TRAIANO AVG.
GERM. DACICO PONTIFICI MAX. TRIBVNIC. POTEST. XII.
IMP. VI. COS. V. P. P. DEVICTIS DACIS
FOROCLAVD. PVBL.

Centrones nunc Tarentaſii appellantur.

Nunc à primaria Civitate Tarentaſii appellati, confinesque ab Oriente Salaſſis, ab Occidente Sabaudis, ab Auſtro Maurianenſibus, à Septentrione Focuatibus, atque undique altiſſimis montium anguſtiis circumſepti, non admodum latè patent, cùm eorum ſoli longitudo XXIV. latitudo verò XII. P. M. non excedat. Attamen pabulorum ubertas in cauſa eſt, ut opimi gregis copiam alant, pratorumque amœnitate gaudeant, ubi vallium declivitas in modicam planitiem deſinit; ubi in colles aſſurgit, non infructuoſam Cererem experiantur; ubi verò in ſumma evadit juga, ſylvis abundent cæduis. Quamobrem T. Pomponius Victor, Auguſto imperante in ea Provincia Proconſul, pro ſuo ſuorumque felici in Urbem reditu, mille magnas arbores ſe SYLVANO Deo dicaturum ſpondet voto elegantibus hiſce carminibus nuncupato, quæ in D. Martini Templo proſtant, antiquo inciſa lapidi.

T. Pomponii Victoris votum.

MONASTERII DESCRIPTIO.

SILVANE SACRA SEMICLVSE FRAXINO.
ET HVIVS ALTI SVMME CVSTOS HORTVLI.
TIBI HASCE GRATES DEDICAMVS MVSICAS.
QVOD NOS PER ARVA PERQVE MONTIS ALPICOS.
TVIQVE LVCI SVAVEOLENTIS HOSPITES.
DVM IVS GUBERNO, REMQVE FVNGOR CÆSARVM.
TV ME MEOSQVE INCOLVMES ROMAM SISTITO.
DAQVE ITALA RVRA TE COLAMVS PRÆSIDE.
EGO IAM DICABO MILLE MAGNAS ARBORES.
T. POMPONII VICTORIS PROC.
AVGVSTO T.

Isara fluvius (cujus ortus in summis Centronum Alpibus) dictus Planco ad Ciceronem scribenti, flumen in finibus Allobrogum maximum, mediam intersecat Civitatem, lapideo ponte, ex unico fornice, utrinque junctam. Pars, quæ ad fluvii dextram protenditur, Metropolitano Templo, atque Archiepiscopali Palatio est insignis, huc enim, deleto Centrone, concessisse creduntur, simul cum profanis, juris Ecclesiastici Administri. S. JACOBUS, ex Lerinensis Insulæ Asceterio, ac magni illius Archimandritæ D. Honorati, postmodum Arelatensis Antistitis, disciplina assumptus, ad Annum circiter CCC. LXXX. primus inter Tarentasienses Episcopos numeratur. Ejus Successores Suffraganeos habuit, ex dispositione Divi Leonis Magni summi Pontificis, Metropolis Viennensis, donec Anno DCC. XIV. Tarentasiensis Ecclesia Archiepiscopale à Sede Apostolica, consultatione in Synodo Francfordiensi habitâ, privilegium impetravit, atque à Viennensi exemptionem, cum jure Provinciæ in finitimos Augustensem, Sedunensemque Episcopos, ac Ecclesiis in propriâ Diœcesi supra sexaginta Parochialibus. Quamobrem in tabulis testamenti Caroli Magni Imp. ad Annum DCCC. X. inter XXI. ejus Regni Metropoles post Viennam proximè recensetur.

S. Jacobus primus Tarentasiensis Episcopus.

Ecclesia Tarentasiensis Archiepiscopalis quando facta.

Tarentasiensium Præsulum plures vitæ sanctimonia commendavit. Præter S. Jacobum, cujus mentio facta est, ac S. Thomam, ambos Lerinensis Monasterii quondam alumnos, nec non SS. Marcianum, sive Marcellum, atque Heraclium, hanc Urbem maximè illustravit S. PETRUS, D. Bernardi in Cisterciensi Ordine Discipulus, ac maximum totius Catholicæ Ecclesiæ ornamentum. Hic ex Abbate Stamedei, quod Cœnobium in eadem Diœcesi Tarentasiensi situm creditur fundavisse, factus Tarentasiensis Archiepiscopus, cùm in eadem Urbe Regulari vitæ suos Canonicos addixisset, auctorque fuisset, ut, Monachorum instar, communi uterentur claustro & mensâ, nocturnæque ac diurnæ unà insisterent psalmodiæ, Civitas, toto ex parte denominato, paulatim Monasterium dicta est, quod nomen ejusdem Civitatis proprium fecit usus quotidianus. Porrò idem Antistes Petrus, non modò Cathedralem Ecclesiam novis ædificiis ampliavit, exornavitque sacrâ omnis generis supellectile, verùm etiam in loco Aximæ Templum D. Sigismundo Regi Burgundionum, quod adhuc visitur, dedicavit. Evocatus demum ad Superos Anno M. C. LXXV. in Monasterio Bellævallis est tumulatus, ut liquet ex sequenti inibi apposito perbrevi Epitaphio:

STIRPE VIENNENSIS, FUIT ABBAS STAMEDIENSIS,
MAXIMUS ALPENSIS PRÆSUL TARENTASIENSIS.
ANNO MILLENO, CENTENO, SEPTUAGENO
QUINTO. TRANSIVIT, AD COELOS PETRVS IVIT.

Non minorem eidem Sedi, atque Urbi contulit splendorem alius ex Dominicana familia PETRUS, dictus de Tarentasia, qui ex Archiepiscopo Lugdunensi ad Metropolitanam suæ Patriæ Cathedram sublimatus, atque inter Purpuratos Patres adscitus, creatusque Episcopus Ostiensis, demum Anno M. CC. LXXVI. Apostolicam Sedem ascendit, dictus INNOCENTIUS V. Vir ingenio, & scientiâ singulari, ac Reipublicæ Christianæ, si per fata licuisset, promovendæ studiosissimus. Numerat præterea inter suos Antistites, Eduardum, Petrum, Joannem Ludovicum Sabaudi sanguinis Principes, nec non Antonium de Chalant, Joannem d'Arsy, Ludovicum de la Palù, Christophorum de Ruverè, Dominicum item de Ruvere S. R. E. Cardinales Eminentissimos. Exeunte ultimo ævo. Ecclesiam illam gubernavit Franciscus Amedeus Milhetus, cujus piâ munificentiâ, Metropolitana Basilica Divo Petro Apostolorum Principi Sacra, temporum injuriâ, atque hominium incuriâ jam fatiscens, in eam pulchritudinem exsurrexit, ut, si operis molem, marmorea ornamenta, statuarum numerum, quà sculptas, quà pictas tabulas attenti consideremus,

deremus, fateri procul dubio cogamur, illam nulli, quàm longè latèque Alpina patet Regio, cedere, multis verò præstare structura suâ quadrifariam divisâ, cui Turres quatuor ex secto lapide, horis designandis, sustinendoque æri campano destinatæ, ad quatuor ejus angulos, coronamentum addunt, ac majestatem. Quod verò idem præclariùs Templum ornat, Canonici numero viginti, Clericique cæteri, sacris inibi religiosissimè, atque exactissimè operantur.

Supersunt in eadem Urbe, præter Ecclesiam Parochialem, Minorum D. Francisci de Observantia sub invocatione S. Michaëlis Archangeli, atque Capuccinorum Cœnobia; nec non Sanctimonialium Clarissarum, quorum primum, sive ædium, tribus, ut vocant, Claustris septarum, elegantiam spectes, sive hortorum, quos opaca nemora, irriguique fontes cingunt, amœnitatem, hilarem quandam inspirat visentibus venerationem, mixtamque divinarum rerum contemplatione animi voluptatem.

Cæterùm nil aliud est, quod specialiùs oporteat meminisse præter eas, quæ propè Urbem prostant, Isaram inter fluvium, ac Doronem torrentem, dispositæ sali conficiendo, longo ordine, officinæ, magno totius regionis commodo, Principisque emolumento. Materiam præstant Fontis cujusdam aquæ non longè positi, quæ salis naturam induunt, quoties artis auxilio excoquuntur. Ut omittam alterius salis admodum probati fodinas, ex salsis nimirum rupibus, quarum venas natura in cæcis circumstantium montium visceribus occultavit.

Quod ad jus populo dicundum attinet, id præstat toti Provinciæ Judex major, sic Magistratum vocare consueverunt, à quo appellationes ad supremam Camberiensem Curiam devolvuntur; idem præstatur ab altero peculiari Judice, quem Archiepiscopus constituit, pro ea jurisdictionis parte, quam in Urbe habet, dominioque temporali super nonnulla suæ Diœcesis Oppida, unde Comitis gaudet titulo, Ducis Sabaudiæ, qui toti Regioni dominatur, Fiduciarius ac Vassallus. Olim Regibus Burgundiæ clientelare persolvebat Sacramentum, à quibus dominium post exactos Saracenos, pulsumque ex Brianſonensi Castro, ut fertur, Tyrannum quendam, in Sabaudos Principes desiit, unde factum est, ut Humbertus II. Comes Sabaudiæ in Tarentasiensi Ecclesia, cùm jam in ea Urbe acquisitionis titulo imperaret, condi jusserit suos cineres Anno M. C. III.


Familiæ Nobiles.

Numeravit hæc eadem Patria, numeratque adhuc non paucas primariæ Nobilitatis familias, quæ dominium avitum in circumstantibus Oppidis exercuêre sub Principis clientela, utpote Dominos Bellifortis, de Duyno, Marescallos, & Cumbæfortis, quorum nonnulli Tarentasiensium Vicecomitum, alii Vallis Isaræ Comitum titulum assumpserunt, eorum decora, resque præclarè gestas enumerare non est hujus loci, nec instituti.

Burgum S. Mauritii.

Parcimus etiam plura loqui de nonnullis ejus viciniæ Oppidis amplioribus, quæ antiquitate commendantur, vel frequentiâ incolarum. Inter quæ, de Burgo, ut vocant, S. Mauritii, supra Monasterium Urbem sito, non pauca essent, quæ dici possent, nisi improvisus, qui impendebat desuper, montis cujusdam lapsus, imbribus, ut perhibent, cogentibus, exeunte superiori ævo, simul cum ædificiis, faciem loci pristinam obruisset. Id Oppidum, titulo Marchionatûs insigne, nunc temporis possidet nobilissima Familia de Chabò, ex qua progenitos Heroas, eorumque in pace, belloque gesta Historici Itali, Gallique ex parte referunt. Ex ea progeniti nostrâ, Patrumque nostrorum, memoriâ, tres Torquati, Sabaudici Ordinis, Equites, Guilielmus Franciscus, Claudius Hieronymus, Thomas, Avus, Pater, Filius, tales se præstiterunt, quà Principi suo fidelissimè gubernandis Arcibus, Urbibus, Provinciis, quà prudentissimè obeundis Legationibus, quà militaribus expeditionibus fortissimè dirigendis, ut scriptoribus materiam laudis abundè suppeditent, posteris exemplum ad virtutis incitamentum. Hæc de Monasterio Urbe, Tarentasiâ Provinciâ, satìs.




BONNE VILLE.
A. Chasteau du Souverain.
B. Eglise Paroissiale, et Collegiale.
C. Eglise, et Convent des Barnabites.
D. Maison de Ville.
E. La Riviere d Arue.
F. La Riviere Borne.
G. Porte du costè de Geneve.
H. Porte du costè de la Roche.
10.

DESCRIPTIO URBIS BONÆVILLÆ IN FOCUNATIBUS.

Fociniaci nomen.




Ociniacum, aliàs Falciniacum, Sabaudis *Faucigny*, olim inhabitavisse putantur ii, qui dicuntur in Pliniana Trophæi Alpini Inscriptione Focuates, sive, ut quidam malunt legere, Focunates. *Confinia.* Terminantur ab Oriente Salassis, Veragrisque, *Val d'Aouste*, *Valey*; ab Austro Centronibus, *Tarentaise*; ab Occasu, Ducatu Genevesii, *Genevois*; à Septentrione, Antuatibus, *Chablays*. Regio, quæ XII. circiter in longitudinem, atque IV. in latitudinem Germanicas leucas patet, à fluviis Drancia, & Arva intersecatur, qui ex altissimis, æternâque glacie rigentibus Montium rupibus ortum ducunt, miscenturque, ille quidem Lemano Lacui Ripaliam inter, ac Aquianum, hic verò Rhodano amni infra Genevam Urbem, cursu longiore, ac transversùm obliquiore; ambo terris, quoties immodicis augentur imbribus, ruinosi. Quamvis autem eadem Regio sit continuatis montibus ut plurimùm intersepta, in ea præcipuè *Soli natura.* parte, quæ Fociniacum superius nominatur; quæ tamen interjacent valles, gaudent pabulis adeò exquisitis, ut boum, ac pecoris plurimos nutriant greges, carniumque, ac lacticiniorum admodùm probatorum transmittant, quantum vix credi possit, non modò ad Genevenses, Lugdunensesque, verùm etiam in Helvetios, ac Germanos. Hâc præcipuè industriâ incolæ habent unde ditescant, frumento cæteroqui minùs abundantes, quippe quibus montium asperitas, frigidumque cælum opimam Cererem interdicunt: cujus tamen loco non desunt aliæ tritici species, seriùs licèt maturescentes, quibus panem conficiant, alanturque.

Dominium penes quos. Oppida porrò, ac Pagi Parochiales, quorum numerus ad nonaginta circiter computatur, parent in spiritualibus Episcopo Genevensi, in temporalibus verò agnoscunt Regiam Ducis Sabaudiæ Celsitudinem ab Anno M. CC. XXXIII. quo Agnetem, Natam, ac Hæredem Aymonis Fociniaci Reguli, Uxorem duxit Petrus Sabaudiæ Comes. Ab eo tempore hanc Provinciam possident successores, quamvis à Delphinis Viennensibus sæpe bello tentatam. Ornatur ea titulo Dynastiæ, seu mavis dicere Baroniæ, distribuiturque in decem Decurias, quas vulgò nominant Mandamenta.

Inter ea, quæ ad Fociniacum superius pertinent, primum facilè locum obtinet Salancia *Salanche*; inferioris verò primaria est, suo non indigna nomine, cujus hîc repræsentamus faciem, Bonavilla, ad dexteram Arvæ fluminis, in triangularum ferme formam, amœno, ac plano loco ædificata. *Bonævillæ situs & forma.* Ad Septentrionem, situ editiore, habet veteris structuræ Castrum expugnatu non ita facile, rotundis quatuor ad angulos Turribus ex secto lapide circumseptum, quas ædificavisse Bona de Borbonio Uxor Amedei IV. Sabaudiæ Comitis, cognomento Viridis, perhibetur. Inde ad Orientem simplex, absque aggere terræ, murus; ex alia parte, fluvii altioris alveus, ponte longo coërcitus, præstat Oppido tutamentum. Medio loco visitur amplum forum, in quod desinunt tres, juncto ad invicem spatio distinctæ, ac in latitudinem satis patentes viæ, elegantibus hinc inde ornatæ ædificiis (quorum non pauca Palatiorum nomine quis dignetur) Parochiali insuper Templo, Barnabitarum Collegio, Majoris Judicis, qui toti, tam superiori, quàm inferiori Fociniaco, jus dicit Tribunali, ac demum frequentiâ bis mille, eoque ampliùs incolarum.

Civium quorundam Nobilitas, & delitiæ. Inter hos plerique Nobiles inprimis Pobelli Proceres, Comites S. Albani, quorum superbæ ædes Urbanis minimè cedunt Palatiis ma-

magnificentiâ, atque architectatione: nec non Millietti, ex quibus progenitus Ludovicus, Magnus priore sæculo Sabaudiæ Cancellarius, cujus Filium Philibertum, ac Nepotem Paulum Episcopales, Archiepiscopalesque Tiaræ Patrum nostrorum memoriâ decorârunt. Hîc sedem fixerunt alii, quos brevitatis causâ omittimus, armis conspicui, sive togâ. Mirum verò, quantum ingenii acumine in litterarum studiis profecerint non pauci ex hac patria oriundi, quos longum esset enumerare. Non reticendi tamen Petrus Monodus, ac Philibertus Monetus, ambo è Societate Jesu, ambo rarioribus exculti disciplinis, qui doctissimis omnis generis voluminibus nomen suum consecrârunt æternitati.



SALNCHE

1. l'Eglise Collegiale de S. Jaques la premiere des Collegiales du Diocese du Genevois.
2. La Chapelle des Penitents blancs
3. l'Hotel-Dieu. et Maison de Ville
4. l'Eglise et Convent des RR. PP Capucins
5. l'Eglise et Convent des Ursulines.
6. l'Eglise parroissiale de Notre Dame du Chateau.
7. Le Chateau dite Bourbonge des Seign.rs Comtes de Menthon.
8. La Tour dite, des Rubins du S.r Baillif de Loches.
9. La Tour dite, de Montagny du S.r de Loches de Montagny.
10. La Grande Place du Marche
11. Le Tirage
12. La Tour dite Pormonar des S.rs de Loches.
13. Maison dite le Clos de Serve du S.r de Belletour.
14. La Tour dite Disenche du S.r Juge Maje du Faucigny
15. La Tour dite la Frasse du S.r Marquis de la Serra.
16. La Tour dite Bellegarde du S.r de Beauregard.
17. Paroisse de S.t Martin de l'Orme.
18. La Riviere d'Arve.
19. Montagne dite Aiguillevarun
20. Les Glaciers

9.

DESCRIPTIO OPPIDI SALANCIÆ IN FOCUNATIBUS.



Alancia (quam nonnulli memoratam Planco, M. T. Ciceronis Epistolarum lib. 10. ep. 23. Civaronem putant) dicta Sabaudorum vulgò *Salanche*, primarium Fociniaci superioris, ac amplissimum ejus Provinciæ Oppidum, situ montoso sedet super sinistram Arvæ amnis propè labentis ripam. Loci structura, quamvis mœnibus destituti, venerandam præfert antiquitatem, etsi bellorum injuriâ non semel labefactatam. Antiquitatis indicia sunt plura, quæ prostant, prisci ævi rudera, inter quæ duæ ad Passiacum, vulgò *Passy*, qui locus, vini generosi copiâ celebratus, non multùm distat, marmoreæ Inscriptiones, testes peculiaris veterum incolarum erga Martis nomen superstitiosæ religionis. Utramque in sua Historia Sabaudica exhibet Samuel Guichenonus; priorem quidem, in qua mentio Lucii Vibi Vestini Duumviri juri dicundo, ac Triumviri loco Præfecti Prætorio, hisce conceptam verbis:

Inscriptio.

MARTI AVG
PRO SALVTE
L. VIBI L. FIL.
FLAVINI
L. VIBVS VESTINVS
PATER
IIVIR IVR. DIC
IIIVIR LOCA P.P
EX VOTO.

Alteram verò, memorem Auli Isucti Voltuaturi Flaminis Augustalis, ac Duumviri Ærarii, his notis insculptam:

Inscriptio.

MARTI
A. ISVCTVS A F
VOLTVATVRVS
FLAMEN AVG
IIVIR AERARI
EX VOTO.



Civium Numerus. Pro sui amplitudine, Oppidum frequentissimè habitatur: quippe quod quatuor animarum millia, eoque ampliùs, numerare perhibeatur. Nec desunt plures familiæ inter Nobiles meritò computatæ, quæ circumsitis Castellis, Pagisque, Ducis Sabaudiæ Beneficiariæ dominantur.

Mercatorum, aliorumque advenarum huc acces- *Proventus.*

acceſſus quotidianus, ad hebdomadaria mercimonia, vendendi emendique ſtudio, confluentium, ad ſtatas præcipuè ſtatis anni temporibus nundinas, quarum beneficio ingens equini, ac bubuli gregis numerus, caſeorum, reliquorumque lacticiniorum, lanificii præterea, ferramentorumque omnis generis magna vis, aliæque merces ad exteros exportantur, pecuniæ verò, ſingulari incolarum utilitate, importantur. Hinc fit, ut ſicuti Salancia eâ, quam dixi, amplitudine ſuperat cetèra Fociniacenſis Oppida Ditionis, ſic opibus nulli cedat.

Ædificia publica. Argumento ſunt (præter intrinſecus, extrinſecuſque ornatas privatorum ædes) publica ædificia, inter quæ eminet primarium loci Templum, inſigne Canonicorum Collegio, quibus unus Decanus præeſt, & qui Campimoniti, Sabaudorum idiomate *Chamonis*, loci in eo tractu non poſtremi, reditus admodùm pingues percipiunt. Proſtant inſuper publica gymnaſia, deſtinata erudiendæ bonis litteris juventuti; elegans Fratrum minorum D. Franciſci, quos Capuccinos vocant, Cœnobium; ac demum Urſulinarum Sanctimonialium Monaſterium. Quod ad juſtitiam populo miniſtrandam attinet, ſervatâ utitur in Sabaudica Ditione conſuetudine, provocandi ſcilicet à majori, quem habet, Judice ad Senatum Camberienſem.



ANNESSIUM vulgo ANNESSY

1 . Le Chasteau de S. A.R.
2 . l'Eglise Parochiale de S.t Maurice .
3 . La Porte de S.te Claire .
4 . l'Eglise, & Convent des Religieuses de S.te Claire Refugiéz de Geneve .
5 . La Porte de la Perriere .
6 . Le Grand Canal de Tiou .
7 . Le Pont de la Hale .
8 . Les Ponts, & Palais de l'Isle, dans le quel sont les Prisons, & le Siege du Iuge Maje de Genevois .
9 . Le Pont Mourens .
10 . Le Pont de la Boucherie .
11 . Le Convent des Cordeliers, & l'Eglise de S.t François, dans la quelle est refugièe la Cathedrale de S.t Pierre de [illegible]
12 . Premiere Eglise, & Convent des Religieuses de la Visita[illegible] repose le Corps de S.t François de Sales .
13 . Le Convent des Iacobins, & l'Eglise de S. Domi[illegible]
14 . Le College d'Eustache Chapuis, ou sont les Escho[illegible]
15 . l'Eglise de S.t Iean Commanderie du Genevois
16 . l'Eglise Collegiale de Nostre Dame .
17 . l'Hostel de Ville & l'Hospital .
18 . La Porte du Pasquier .
19 . La Porte de Beuf .
20 . l'Eglise, & Convent des Dames de bon lieu .
21 . l'Eglise, & Convent des Religieuses Bernardines .
22 . Le Pasquier Place publique, ou sont les Ieux de l'Arc .
23 . Ieu de l'Arbaretz .
24 . Ieu de l'Arquebuse .
25 . l'Eglise, & Convent de la Nonciade
26 . l'Eglise, & 2 Monastere de la Visitation .
27 . Maison, ou a commencée l'Ordre de la Visit.n 1610 .
28 . l'Eglise, & Convent des Capucins .
29 . Iardin du Premier Monastere de la Visitation .
30 . Partie du Lac qui se vuide dans la Riviere de Tiou .
31 . l'Eglise du S.t Sepulcre, ou repose le Corps du B. Xenobite Andre Prince d'Antioche .
32 . Le Pasquier du Sepulcre .

DESCRIPTIO CIVITATIS ANNESSIENSIS IN GEBENNESIO.



Enevesium alias Gebennesium, Gallicè *Genevois*, confines habet, à Septentrione & Oriente Faucíniacum, ab Austro Sabaudiam, ab Occidente flumen Rhodanum, ac Beugesium. Tota Regio constat, partim planitie partim montibus; est tamen adeò ubique hominum arte culta, ut tritici, vini, reliquarumque rerum necessariarum humano victui sit fœcunda, & plusquam ducenta numeret Oppida, & Castella incolis, inter quos plurimi Nobiles, frequentissima, quæ Diœcesis Genevensis potissimam partem constituunt. Proprios habuit quondam Regulos, Comitum titulo insignitos, qui in Roberto Gebennensi, postmodum Clemente VII. summo in sua obedientia Pontifice desierunt. Verùm Anno M. D. LXIV. Ducatûs titulum indulsit Dux Sabaudiæ Emanuel Philibertus, in gratiam Patruelis sui Jacobi à Sabaudia Nemorosii Ducis, servato tamen sibi, suisque in Ducatu Sabaudiæ Successoribus, supremi in totum Gebennesium jure dominii.

Primarium Provinciæ Oppidum, quod Cathedra ornatur Episcopali, ex quo Præsul Genevensis ex sua sede, Calvinistarum odio, pulsus est Annessium, seu mavis dicere Annessiacum, *Annessy*, quasi annexum aquis, (sic nonnulli etymon ejus vocis interpretantur) eò quòd proximè annectatur Lacui, qui, sumpto inde nomine, diversis abundat piscibus, triumque leucarum longitudine ac unius tantummodo latitudine, in intima regionis sinuosus excurrit. Inde derivatis, quà naturâ, quà arte, aquis, mirùm quantum commodum proveniat Civitati, ex lintrium, victualia aliaque mercimonia hinc inde convehentium, appulsu quotidiano; nec non ex molendinorum publicorum incessanti rotatione, viarumque per immissos canales jugi mundatione. Mirum etiam, quantùm jucundo circumfusi Lacûs aspectu, ex circumstantibus ripis, atque eminentioribus, tam intrà quàm extra Civitatem ædificiis, oculi delectentur. Ad Boream qua parte ager alluitur Fluvio rapidissimo, quem appositè vocant Ferum, *Le Fier*, per ostia dicta *Thiouz*, in eundem fluvium lacus exoneratur, is vero demum in Rhodanum, post emensum circiter unius diei iter.

Ex ea, inquam, parte locus est, quem Annessium vetus nominant; ibi enim, antequam Oppidum, de quo agimus, ad Lacûs exordium, sive terminum conderetur, fama est Oppidanos habitavisse, docentque plura venerandæ antiquitatis rudera, marmoreæque Romanis signatæ notis, propè Divi Laurentii inibi situm Templum Parochiale, fragmentum Inscriptionis. Occurrunt verò in tota vicinia murorum veterum fundamenta, marmorum effractorum, columellarum, statuarum, tempore exesæ reliquiæ, urnæ sepulcrales, testacea prisci operis vasa, lucernæ fictiles, numismata Romanorum Cæsarum effigie, & titulis consignata, quæ facilè arguant antiquam incolarum frequentiam, atque hujusce Oppidi amplitudinem. Porrò non procul à Ponte S. Clari, quem subterlabitur Ferus fluvius superiùs memoratus, vivo scopulo incisa sese offert Inscriptio hujusmodi:

Antiquitatis varia rudera.

L. TINCIVS PACVLVS PERVIVM FECIT.

perenne nominis, publicæque munificentiæ Lucii Tincii Paculi monumentum, qui, quo tempore Romani rerum potiebantur, per inviam antea rupem ferro excisam, iter toti Provinciæ peropportunum aperuit. Nec tacendum, quòd intrà Civitatem Ecclesia S. Mariæ collegiata, habetur mentio Aræ ibidem positæ à Viniciis quibusdam Fratribus Deorum alicui, cui sacrum id Templum, antequam ad Christianos ritus transferretur, creditur exstitisse. Id docet sequens fragmentum:

CIVITATIS ANNESSSIENSIS DESCRIPTIO.

VINICIVS SEVERVS
SVO ET L. VINICI LATINI
FRATRIS SVI NOMINE
DAT ARAM.

Hæc de loci antiquitate ſat dicta ſunto. Agri planities, ſatis diſtincta, & pratis admodum latè paret: eſtque in ea ante Portam, quam dicunt Pabuli, *Le Paſquier*, locus ubi juventus ſolet in curſu, ſaltu, jaculo, balliſtâ, ſclopeto, cæteriſque ludicris omnis generis corporis exercitationibus exerceri. Planitiem aprici circumcirca coronant colles, vitibus, ac pomiferis nemoribus identidem conſiti, in quibus quoties ſecedere à curis juvat, Cives jucundiſſimâ perfruuntur ruſticatione, ſaluberrimâ Cæli clementiâ ſolique lætâ amœnitate.

Le Paſquier.

Civitatis elegantia.

Civitas etſi Nobilitate atque incolentium numero cedat Camberio, totius citramontanæ Ditionis Metropoli, ab illa tamen proximum locum obtinet ambitu ſpatioſo, elegantibus ædificiis, diſpoſitis hinc inde porticibus, directis in rectum viis, & frequentiâ Civium. Muros habet ex ſecto lapide ſtructuræ veteris turribus intermixtis. In eos ingreſſum præbent quatuor Portæ ad quatuor Orbis plagas, ex quibus patet egreſſus ad quatuor invicem disjuncta ſuburbia. In eis frequentes Artificum Officinæ, quorum plerique cudendis gladiis, cultris, forcipibus, aliiſque ferreis hujuſmodi inſtrumentis egregiam navant operam. Caſtrum, quod eſt in editiore Civitatis loco Meridiem verſus ſitum, maximo eſt huic Patriæ ornamento, ac tutamento. Cingitur undique præaltis firmiſſimi operis Turribus, & quas ædificatas veteres voluêre æternitati. Ibi mirabere junctam Floræ Bellonam, deliciis terrorem, ac majeſtatem. Hoc videlicet fuit Gebennenſium Comitum, qui fixam ibi habuêre ſedem, hoc poſteriori ævo, Gebennenſium Ducum, quoties pro tempore huc divertere ex Gallica Aula placuit, habitaculum; Eorum nomine, juri dicendo præerat Conſilium, utì nuncupabatur, Præſidiale, in quo Præſes unus, duoque Senatorii ordinis Conſiliarii aſſidebant. Computorum iidem Cameram conſtituerant pro Fiſci, patrimoniique ære adminiſtrando, Camberienſi utrumque Curiæ ſubalternum. Nunc verò ſublato è vivis abſque marium ſucceſſione ultimo Gebenneſii Duce Henrico à Sabaudia, ſuppreſſiſque Anno M. D. C. LIX. duobus hiſce Tribunalibus, ſolus ſupereſt Judex major, à quo appellare licet ad ſupremum Senatum Camberii reſidentem.

Caſtrum.

Judicii forma vetus.

Nova.

Cæterum, licèt olim hanc Civitatem pesſum dederint Gothi, poſtmodum etiam Saraceni: demum verò Anno M. CCCC. XLVIII. ſexto nonas Maji fortuitò penè tota incendio conflagraverit, ſubſtitit hucuſque tamen res Eccleſiaſtica non modò ſarta recta, verùm etiam aucta & ampliata. Nam ut omittamus Præſulis Genevenſis Cathedram huc, quamdiu per Novatores repetere Genevam non datur, tranſlatam, unà cum ampliſſimo Genevenſium S. Petri Canonicorum Collegio, qui Nobilitate non minùs, quàm ſcientiâ, & morum probitate commendantur, habet in primis propriam, ſub invocatione B. Virginis Deiparæ Canonicalem Baſilicam, in qua ſub Decano uno Canonici ſacris quotidie operantur. In ea videas tumulos poſtremorum Genevæ Comitum, nec non omnium à Philippo Sabaudo ad Henricum II. uſque Gebenneſii Comitum, atque Ducum, è regione majoris Aræ, holoſerico tectos operimento. Occurrit ſecundo loco, propè ſummum Caſtrum, antiquitate venerandum, Divoque Mauritio Thebæorum Ductori ſacrum, Templum Parochiale. Tum in inferiori Civitate, Eccleſia, Cœnobiumque Fratrum Prædicatorum, Fundatore, ad Annum circiter M. CCCC. X. Joanne Alermetto, dicto de Embroniaco, oriundo ex hujus nominis Pago non longè ſito, qui natalium obſcuritatem ſingulari doctrinâ egregiiſque animi dotibus illuſtrans, ex Epiſcopo Vivarienſi, dein Genevenſi, creatus Archipræſul Arelatenſis, ac S. R. E. Cardinalis, Cancellarius, Epiſcopus Oſtienſis, atque Veliternenſis, fundatis etiam in commodum Scholarium Sabaudorum duobus Collegiis, Avenione uno, Genevæ altero, legatâque Arelatenſi Eccleſiæ ſuâ Teſtamento Bibliothecâ, immortalia reliquit ſui nominis monimenta.

Eccleſiæ & Cœnobia.

Inter Religioſos hujus Cœnobii alumnos numeratur B. Guilelmus de Orliaco, qui Prædicatorum Ordini adſcriptus Anno M. CCCC. XLVI. poſtquam Angelicam potiùs, quàm humanam egiſſet vitam, longè ab hominum conſortio, de Superiorum ſuorum licentia, in Eremo, ad ſuperos evocatus eſt Anno M. CCCC. LVIII. tranſlato inde ſacro ejus ad hanc Eccleſiam corpore, ubi fulget famâ miraculorum. Addendi Fratres Minores Divi Franciſci Conventuales, quorum Eccleſia agnoſcit unum de Lambertorum familia Epiſcopum fundatorem: in eaque Canonici Genevenſes divina pro tempore perſolvere officia diſtinctis horis conſueverunt. Addendi etiam Clerici D. Pauli, quos Barnabitas vocant, quorum Collegium erudiendæ Philoſophicis, ac Theologicis ſtudiis Juventuti, ære proprio excitavit hujus Patriæ Civis D. Euſtachius de Chappuis Abbas S. Angeli in Guille, libellorum ſupplicum in Belgio Magiſter ſub Carolo V. Cæſare, à cujus liberali dextera prodiit etiam Collegium aliud, pro Sabaudorum Studentium inopia ſublevanda, excitatum in Lovanienſi Academia. Supereſt Domus Canonicorum S. Auguſtini Regularium, in S. Sepulcri Eccleſia divinis inſervientium, in qua aſſervari fertur Corpus Viri Dei Andreæ Prin-

Principis Antiocheni, quem commendat gratia ſanitatum. Domus etiam Militiæ S. Joannis Hieroſolymitani, annexa Præceptoriæ Gebenneſii, Equitum Ordinis Melitenſis: nec non Fratrum Capuccinorum, ſitum extra mœnia, elegans Aſceterium. Religioſarum Fœminarum ſex omnino Monaſteria numerantur, Clariſſarum ſcilicet, quæ Anno M. D. XXXV. Genevâ pulſæ, amicum Anneſſii refugium invenerunt; Viſitationis B. Mariæ unum intrà, aliud extrà muros ſitum, in quorum priore peculiarem habet venerationem Corpus S. Franciſci Saleſii Præſulis Genevenſis, earumdem Sanctimonialium Fundatoris, Viri prudentiâ, ſcientiâ, & animarum Chriſto acquirendarum zelo celeberrimi, quem hæc Civitas habuiſſe Civem, accepiſſe Antiſtitem, coluiſſe viventem, ſervare extinctum, ſuſpicere Cælitem meritò gloriatur; præterea quæ Belliloci, unde prodiêre, dicuntur, Ciſtercienſes, ac quæ D. Bernardi inſtitutum ſub arctiore obſervantia profitentur: denique ſextum B. Virginis Annunciatæ, huc ex Burgundiæ Comitatu traductæ non ita pridem. Non eſt hujus inſtituti enumerare plures, quæ in Genevenſi Ducatu occurrunt, veteres Abbatias, ac Monaſteria, nec plurimas, quæ jure clientelari inſignia poſſident in eodem Caſtella, atque, ut vocant, Feuda, Nobilium familias: id enim officeret ei, quam in hâc compendiaria enarratione ſectari cupimus, brevitati.

Fœminarum Monaſteria.



RUPES ALLOBROGUM vulgo LA ROCHE.

Index rerum notabilium.

1 *Borne Fluvius.*
2 *Arva Fluvius.*
3 *Bonavilla.*
4 *Prioratus, vulgo de Contamine, ubi pons.*
5 *Castellum Fociniaci.*

A. *Castri Antiqui Turris, & vestigia.*
B. *Templum, & Collegium Societatis JESU.*
C. *Templum Parochiale S^t. Jo. Baptiste.*
D. *Templum, & Monasterium Monialium S^t. Bernardi.*
E. *Templum, & Cœnobium Capuccinorum.*
F. *Confraternitas Augustissimi Sacramenti.*
G. *Palatium Urbanum.*
H. *Xenodochium.*

12

Decker. Fec.

DESCRIPTIO OPPIDI ROCHIÆ IN GEBENNESIO.

Situs.



Bi extrema Gebennesii Ducatûs Ora nectitur Fociniaco, non procul à Borno Fluvio, qui modico intervallo in Arvam exoneratur, suspiciendam se præbet Rochia, sive Rupes, Sabaudis *la Roche*, Patrum nostrorum memoriâ celebrata, quippe quæ vigente inter Sabaudos & Gallos bello, admodum firmo eorumdem Sabaudorum Ducis præsidio, ac copiis teneretur. *Nominis origo.* Nomen dedit ingens Rupes ad Oppidi partem Orientalem, solo hinc inde avulsa, eique imposita olim lapidea formæ rotundæ Turris præcelsa, atque adeò eminùs illam undecunque prospectantibus loci index.

Agri circumsiti amœnitas. Circumsiti, ac pro tractûs angustiis satis patentes agri, lætâ gaudent amœnitate, variique generis fructuum ubertate, campis distincti, ac pratis, nec non etiam viridariis, quibus gratiam addit commoda, aquarum allabentium beneficio, irrigatio, ac solers incolarum industria.

Oppidum ipsum, in collis declivio situm, sensim ascendit, eòque magis reddit ædificiorum suorum spectabilem elegantiam, & non spernendam ambitûs amplitudinem, muro, veteris quidem, adhuc tamen consistentis structuræ circumdatam, absque interiori, ut nunc fieri assolet, terræ aggere: cujus vice, distinctæ æqualibus spatiis Turres mœnibus coronam addunt, ac tutamentum.

Habitatorum numerus & studia. Habitatorum duo circiter millia inibi numerantur, quos inter non pauci Nobiles, reliqui mercatores, Artificesque Coriarii præcipuè, sutoresque, qui, conficiendis calceis peculiariùs studentes, eos in regiones longè positas distrahere consueverunt.

Nec Mercurii tantùm incolæ studiosi, verùm etiam Apollinis, ac Minervæ: ut enim adolescentes possint litteris commodiùs informari, R. P. Philibertus *de la Taverge*, ex hujusce Oppidi Nobilissima familia oriundus, loco opportunissimo Collegium aperuit, Scholam curâ Societatis Jesu Patribus, quorum institutum profitebatur, demandatâ. *Ædificia publica.* Hi verò præter litterarias disciplinas, viam salutis edocent populum, confessiones audiendo, Catechismum explicando, atque frequenter concionando. Superest ea, in qua parochialia ministrantur, Basilica satis ampla D. Joanni Baptistæ sacra, Canonicorum duodecim numero, quorum prima Dignitas Primicerius, secunda Archidiaconus, tertia custos, insignita: præterea ad Oppidi extremitatem Orientalem propè Turrim recenter structum Capuccinorum Cœnobium: nec non Fœminarum Cisterciensi Regulæ, sub Divi Bernardi vocabulo addictarum, situm extra Oppidum, Monasterium.

Jurisdictio penès quos sit. Jurisdictio, loci districtûsque, suprema est penès Regiam Sabaudiæ Ducis Celsitudinem, ad cujus Curiam Camberii residentem, ut in reliqua Sabaudica Ditione, à minoris, majorisque Judicis placitis provocatur. Infimam, ceteraque jura feudalia, titulo Baronatûs ornata, possidet Maria à Geneva Pancalerii in Pedemontana Regione Marchionissa, quæ à majoribus suis, unà cum opulentissimo patrimonio, pietatem, largitatemque, ac, supra sexum, animi magnitudinem accepit hereditariam.




THONON

A. Place ou estoit le Chasteau du Souv
B. La Sainte Maison.
C. Eglise de Nostre Dame de Compa
D. La Grande Fontaine.
E. La Maison de Ville.
F. Hostel Dieu.
G. Porte de Rive.
H. Bourg de Rive.
I. Montjoux Maison des Religieux
L. Eglise, et Convent des Capucins
M. Saint Bon.
N. Eglise, et Monastere des Ursulines
O. Porte d'Evian, et Tuiset.
P. Eglise et Monastere des

Q. Eglise, et Maison des Barnabites, ou est le College de la Se. Maison.
R. Porte de Creste.
S. La Bastie. Palais de la Marqe. de Pancailler.
T. Eglise, et Convent des Minimes.
V. Porte des Allinges.
X. Eglise, et Convent des Annonciades.
Y. Port du costé de Geneve.
Z. Boug de Concise, ou est le Chasteau de la Flechere.
1. Ripaille. Retraite d'Amè VIII Duc de Savoye.
2. Place, et Erage de Creste.
3. Le Lac, et Port de Thonon.
4. Marclàz Chasteau, et Maison de plaisance du Marquis de St. Michel.
5. Pont de la Drance, et Veue du fort des Allinges.

B I L Q 1 — Les Lieux marqueès de ces 5 lettres sont fondations de la Royale Maison de Savoye.

DESCRIPTIO URBIS TONONI, IN CHABLASIIS.



Ntuates, quorum mentio apud Cæsarem Belli Gallici lib. 3. Veragris proximi Sedunisque, nomen priſtinum jam diù amiſerunt, eos enim ex multis ſæculis Chablaſienſes, ſive Chablayſios appellamus. Horum Regio multo anguſtioribus nunc, quàm olim, terminis circumcluditur; ſiquidem numerâſſe perhibitur non modò ſitos hinc indè cunctos ad Lacum Lemanum populos, verùm etiam pleroſque è finitimis Inalpinis, qui à fluminis Rhodani ad Octodorum ripis, ad Genevenſis uſque agri terminos pertinebant. Partem, quæ orientem Solem ſpectat, inferiorque Valleſia dicitur, Seduni, junctis Gallis, Bernenſibuſque per vim occupârunt Anno M. D. XXXVI. quo tempore Carolum cognomento Bonum Ducem Sabaudiæ adverſantis Fortunæ caſus exagitârunt. Illa verò, quæ adhuc pacificè à Regiis ejusdem ſucceſſoribus poſſidetur, in ſpiritualibuſque agnoſcit Epiſcopum Genevenſem, confines habet ab Oriente Veragros, ſeu Valleſiam, quam modò dixi, inferiorem, *Bas Valey*, ab Auſtro Focuates, *Faucigny*, ab Occidente Gebenneſium, *Genevois*, à Septentrione Lemanum Lacum, *Lac de Geneve*, Dranciam inter ac Arvam fluvios, atque eò ulteriùs etiam, ſi Galiardi, ac Terniaci Ditiones, quas Bailivatus vocant, intrà eos terminos includamus. Hanc primam omnium Provinciam Sabaudi Principes ſub Ducatûs titulo poſſederunt, quamvis vulgò Sabaudiæ tantùm Comites dicerentur. Eſt omnium citra Alpes ſitarum, quas nunc iidem poſſident, amœniſſima, atque omnis generis fructuum feraciſſima, tritici præſertim, cujus niſi annonæ caritas obſtat, quod raro admodùm evenit, maximam finitimis populis copiam ſubminiſtrat. Hinc nonnulli Chables, unde poſtea factum *Chablais*, quaſi *Champs à bleds*, ejus nominis etymon interpretantur. Quà continuata ſoli planities ſenſim aſſurgit, vitibus conſitos habet colles, pomiferis nemoribus intermixtos, in quibus edito loco ſita Nobilium Palatia, & Caſtella, jucundo Lemani Lacûs proſpectu, nec non Lauſanenſis Genevenſiſque tractûs, ac circumſitarum vallium oblectantur. Sique aliquando placeat liberiùs ruſticari, præſtat ſylvoſa vicinia ferarum aviumque venationem, quæ loca Sabaudis Principibus, dum citra Alpes degerent, olim fuerant in deliciis. Montes, quos alibi videas horridos, ſterileſque, lætis tantùm abundant pabulis, ut ibi numeroſiſſimos incolæ alant greges, butyrique ac caſeorum vim magnam diſtribuant, maximo ſui ipſorum emolumento, in populos circumſtantes, ad quos, minimo impendio, per Lemanum videlicet, navigio pervehuntur. Hiſce commodis juncta copioſa, exquiſitaque, ex eodem Lacu, piſcatio, confert non modò vitæ neceſſaria, verùm etiam ſoli ſalique delicias incolentibus. Non omittendus Fons, Tonono quinque paſſuum millibus diſtans, fœtens quodammodò, Joſia Simlero teſte, cui cùm quiddam albi, & pinguis ſupernatet, tactu oleoſo, eâ materiâ quidam ad lucernas alendas utuntur.

Regionis Chablaſienſis ...us. — *...onfinia.* — *...ertilitas.* — *Nominis Origo.*

Tononum primarium hujuſce Ducatûs Oppidum, propè eundem Lacum, ſuper editiore planitie in longum protenditur ſitu, cui ſimilem non facilè alibi videas, jucundiſſimo. Nullos habet, qui arceant hoſtem, muros: olim tamen ſecuritatem præſtabat eminens ad Meridionalem plagam firmiſſimi operis

Tononi Oppidi ſitus.

TONONI DESCRIPTIO.

Caſtrum, altis Turribus circumſeptum, in quo diuturnam fecêre habitationem Amedeus VIII. ejuſque Filius Ludovicus, ac poſtmodùm ejuſdem Nepos B. Amedeus IX. Sabaudiæ Duces, quorum poſtremum Anno M. CCCC. XXXV. Cal. Februarii, die albo lapillo ſignandâ, Anna de Luſignano Mater ex Regalibus Cypri, ibidem peperit, ſingulare, ob conſtantem Sanctimoniæ famam, miraculorumque crebram patrationem, hujus Patriæ decus & ornamentum. Hujus Caſtri ædes, Bernenſium incurſionibus, ex Vaudenſium, Genevenſiumque defectione hoſtiliter graſſantium, dirutæ & incenſæ, Patrum memoriâ ſolo tenus æquatæ ſunt, ſuppeditatâ, ex earum ruderibus, Religioſis materiâ ædificiis. Nunc publicæ deambulationi deſtinata patet ibidem, quam Plateam vocant, area ſpatioſa. Privatarum domorum, quamvis antiquitatem ut plurimùm redolentium, ſatìs elegans eſt ſtructura. His tamen omnibus præſtat plus quàm privatâ magnificentiâ conſtructum ab Alberto Eugenio Gebennenſi, Lullini Marchione, Sabaudici torquis Equite, hujuſque Provinciæ, dum viveret, Rectore vigilantiſſimo, ſuſpiciendæ molis Palatium, in quo præter ſpatioſiſſimarum ædium rectam architectationem, præterque inibi congeſtam pretioſiſſimam omnis generis ſupellectilem, ac in primis ea, quæ perita manus, ſculpendo, pingendoque, ſuppeditare potuit, ornamenta, videas ponè conſitum, atque undique muro cinctum ampliſſimo ambitu viridarium, in quo eâ varietate ars luſit ingenioſa, ut, quocunque oculi inciderint, habeant unde maximè delectentur. Miraberis ibi retentas manu arbuſculas, buxos in formas mille deſcriptas, humum ſemper vernantibus plantis, & floribus picturatam, ludicra aquarum ſpectacula, fontes, piſcinas, nymphæa candidis marmoribus ſepta, quæ omnia, extincto eodem abſque liberis Marchione, poſſidet nunc Maria à Geneva, Pancalerii Marchioniſſa, ejuſdem Soror.

B. Amedei IX. patria.

Palatium Marchionis Lullini.

Ejus Viridarium ampliſſimum.

Quæ autem multò magis Oppidum exornant ſunt Deo ſacrata Templa, ædeſque Virorum, atque Fœminarum Religioſæ. Nam præter Parochialem Eccleſiam ſub titulo Beatæ Mariæ de Commiſeratione, vulgò *Nôtre Dame de Compaſſion*, ubi viſitur marmoreum ſimulacrum Beati Amedei Ducis Sabaudiæ, de quo ſupra meminimus, ad cujus hîc populus patrocinium, veneratione ſpeciali, confugere conſuevit, occurrit Domus, *la Sainćte Maiſon* nominata, Clericorum ſæcularium, qui communem ſervantes vivendi modum, communique utentes menſâ, eidem Eccleſiæ inſerviunt. His ab inſtituto Presbyterorum Romanæ Congregationis Oratorii à Divo Philippo Nerio adinventæ non difformibus, Carolus Emanuel I. Dux Sabaudiæ Tononi piâ munificentiâ ſedem delegit, ut doctrinâ & exemplo continerent in Fide Catholicos, ac circumhabitantium Evangelicorum ſtuderent converſioni; quod hactenus egregiè præſtiterunt, præeunte S. Franciſco Saleſio poſtmodùm Præſule Genevenſi, qui ejuſdem Domûs fuit primus Præfectus & Moderator. Ad hoc ipſum autem ſeſe præſtant Coadjutores, Clerici S. Pauli, dicti Barnabitæ, quibus eſt elegans, ſita in Oppidi umbilico, Eccleſia, & Collegium, vacantque erudiendæ pietate & litteris juventuti: D. Franciſci de Paula Minimi, Fundatore Lullini, quem ſupra diximus, Marchione, qui eiſdem è regione ſui Palatii nobile conſtruxit Templum, Cœnobiumque: ac non procul ab Oppido, Capuccini. Fœminarum Sanctimonialium tria Monaſteria numerantur, Urſulinarum ſcilicet, Viſitationis, atque Annunciationis B. Mariæ Virginis nuncupatæ. Quod attinet ad juſtitiam populo miniſtrandam, ſedem hîc habet Judex, quem majorem appellant, à quo, uti à reliquis per totam Sabaudiam Tribunalibus, provocatur ad Senatum Camberienſem.

Templa.

Juſtitiæ miniſtratio.



DESCRIPTIO URBIS AQUIANI, IN CHABLASIIS.

Situs.




Onono tendentibus (quà continuatur via æquior) in Valleſiam, duarum leucarum ſpatio, occurrit Aquianum, Allobrogibus *Evian*, ſumptâ denominatione à pluribus limpidiſſimorum fontium aquis, à quibus jugiter irrigatur, & quæ publicæ ſcaturiunt in hominum uſum ac jumentorum. *Nominis origo.*

Oppidi forma. Oppidi amœna facies aprico cælo ſecus Lacûs Lemani ripam in longum protenditur, ſitu plano. Eſtque vetere muro, quà parte à lacu recedit, ſeptum, licèt alicubi, temporum injuriâ, ruinam paſſo, ſeu fatiſcente. Ultra hunc, ſatis amplo nectitur ſuburbio, & quà reſpicit collium declivia, habet rudera priſcæ ſtructuræ turriti Caſtri, in quo habitâſſe quondam perhibentur ii, qui jure clientelari, ſub ſupremo Ducis Sabaudi, cui Oppidum paret, dominio, jus huic dicebant loco, inter quos fuêre Montis Falconis Domini. Platea hebdomadariis mercimoniis, ac annuis nundinationibus celebris, viæque recto ordine diſpoſitæ habent hinc inde ſat elegantes domos, quæ frequenti incolarum numero habitantur, inter quos plerique jure merito inter Nobiles computati: utpote S. Pauli, Varaſii, Bloniacique Dynaſtæ, quorum ſumptuoſa Palatia, hortique amœniſſimi, Lacûs, cui proximè imminent, Lauſanenſiſque ultra Lacum Provinciæ, aſpectu jucundiſſimo perfruuntur.

Ad Suburbii borealem extremitatem, è regione ejusdem Lacûs, ſe offert locus, leucæ unius longitudine ſpatioſus, nemore infrugifero conſitus oblectationique publicæ opportunus, in quem, arcentibus æſtivum calorem umbris, convenire ſolent quicunque deambulando, ludendove levare cupiunt animum à curis defatigatum. *Ambulacrum publicum.*

Non reticenda ruralia Nobilium in collibus hinc inde adſurgentibus diverticula, quæ Dominis ſuis præſtant ſimul commoda, & delicias. *Ruralia Nobilium diverticula.*

Quod attinet ad ædificia Divino cultui deſtinata, ornatur Aquianum duabus Parochialibus Eccleſiis, quarum una præfert titulum Virginis Deiparæ, alia verò B. Catharinæ Virginis, & Martyris. Harum priori inſerviunt plures Clerici ac Presbyteri Sæculares, eique addit decus, ac majeſtatem præcelſæ molis, viſendæque ſtructuræ Turris Campanaria, ex ſecto compacta lapide, marmoribusque faſtigiata. Ineſt præterea ipſo ſuburbii initio Fratrum Minorum, quos de Obſervantia dicunt, Cœnobium, atque ubi idem ſuburbium Oppido connectitur, Clariſſarum Virginum Monaſterium, cum ſua admodum ornata utrumque Eccleſia: quæ omnia arguant Oppidi ſplendorem, atque incolentium pietatem. *Templa & Cœnobia.*


DVCATVS CHABLASIVS
ET
LACVS LEMANVS
Cum Regionibus adjacentibus.
FRANCHE
COMTÉ
LAC LEMAN.
LE PAIS DE VAVD.
SVISSES
BAILLIAGE
LAVSANNE
MORGES
CHABLAIS
DUCHE DE GENEVOIS
BALIAGE DE GALLIARD
BALIAGE DE TERNIER
BALLIAGE DE GEX
FAVCIGNY
Mandement de Peney
Geneve
Chillion
Thonon
La Dole M. tres haute
4 Milliaria magna Sabaudiæ.
18 Milliaria Italica.
15 Milliaria Pedemontana.
Occidens
Oriens
28


EVIAN.
A. Eglise Paroissiale de S.e Marie.
B. Eglise Paroissiale de S.e Catherine.
C. Monastere de Saincte Claire.
D. Convent des Cordeliers de l'Observance.
E. Ancien Chasteau du Souverain.
F. Hostel dieu.
G. Porte du Costé de Thonon.
H. La grand Fontaine.
I. Abbeye de Mareche.
K. Chasteau, e Parroisse de Nouvesselle.
L. Le Chasteau de Blonay.
M. Le Chasteau de Marsilly.
N. Le Chasteau de S.t Paul.
appartenants au Baron de Blonay.

DESCRIPTIO
LACUS
GEBENNENSIS,
ET
CHABLASII DUCATUS.



Situs. LAcus Gebennensis antiquitùs dictus *Lemanus* occupat ferme totam partem Septentrionalem Sabaudiæ: figura ejus est curva instar Lunæ crescentis. Longitudo ejus exten-
Amplitudo. ditur ab Oriente ad Occidentem ad distantiam quindecim leucarum, latitudo est à Septentrione ad Meridiem quatuor leucarum. Medium interfluit Rhodanus, præter liberum transitum, cum ejus aquis nihil commune habens, si vulgo credatur. Gebenna extructa est ad ejus exitum situ amœnissimo, & ad commercia maximè opportuno, atque oram ejus meridionalem hinc inde occupat hujus Reipublicæ ditio perexigua. Lacus naviculis scaphisque, ut ita dicam, obtegitur mercium deferendarum causâ, longioresque naves quasdam bellicas non modo Gebenna civitas sed etiam Bernenses ad omnia paratas habent.

Ducatus Chablasius. Ducatus Chablasius porrigitur secundùm litora hujus lacûs in parte Australi. Regio est admodùm amœna & fertilis, cujus planities & colles frequentes sunt vineis, omnigenisque arboribus fructiferis. Tononum & Aquianum sunt civitates primariæ, sitæ ad ripam lacûs, ubi portibus ad commercia aptissimis gaudent. Præter has urbes in littore Chablasium versus reperiuntur D. Gingulphi Oppidum, Aquaria, Hermantium, Portus Bellærivæ, Narnium, Coniumque quod Gebennensium est.

In planitie Tononensi ad 1500. passus à civitate exurgit collis separatus ab omnibus montibus circumsitis. In eo exstructum est castellum *des Alinges* pro natura loci munitissimum. Provincia complectitur 110. Parochias, quarum præcipuæ sunt castella & feuda Nobilium Sabaudicorum: irrigatur aquis Dranciæ, distinguiturque à Vallesia rivulo *de Morges*, qui interfluit medium burgum S. Gingoti, cujus altera medietas est in Vallesia. Drancia originem trahit ex duobus rivulis profluentibus ex vallibus Alpium (vulgo *d'Aulps*) & Abundantiæ, Abbatiarum non contemnendarum, subterfluit pontem lapideum 22. arcuum, & post exoneratur in lacum Gebennensem haud procul à tractu terræ ad quingentos passus excurrente in aquam, ubi sita est inter arboreta & hortos celebris eremus Ripaliæ, quò se recepit Amedeus VIII. Dux Sabaudiæ, ibique fundavit Ordinem Equitum S. Mauritii. *Dranciæ fluvii origo.*

Ballivatus Terniaci & Galiardi ad Occidentem Chablasii siti sunt. Sinus Occidentalis Lacûs & Rhodanus eos separant à ditione Gexensi, quæ pertinet ad Galliam, cujus est municipium dictum *Versoy*, ubi diribitorium est. S. Juliani Oppidum est sedes Judicis (dicti *Juge Maje.*) Bellariva est portus novus, quo advehuntur omnes merces ex Helvetia & Germania, quæ inde exportantur vehiculis usque Regonflam supra Seycellum, ubi Lugdunum navibus secundo Rhodano devehuntur.

Vallis de Chefery. Vallis *de Chesery* in longitudinem excurrit à Rhodano usque ad limites Comitatûs Burgundiæ, inter fluvium Valserinam ad Occidentem, & Montem dictum *grand Credo*, ad Orientem. Continet tres parochias, nimirum Abbatiam *Chesery*, *Lancrens* & *Leaz*. Sexdecim pagi ab ea dependent, omnes siti ad dexterum latus fluvii iis, qui eo adverso vehuntur, præter *Maigraz* & *Nerecombe*. Carolus Emanuel I. sibi reservavit hanc regionem ob commercia suarum ditionum cum Comitatu Burgundiæ, cùm ex præscripto Tractatûs Lugdunensis pro Marchionatu Saluciarum cederet Regi Galliæ *la Bresse*, *Bugey*, *Valromey* & ditionem Gexensem.

LACUS GEBENNENSIS DESCRIPTIO.

Lacûs Septentrionale Littus ad Bernenſem Rempublicam ſpectat, cujus eſt Romana ditio armis in Sabaudos uſurpata regnante *Carolo* cognomine *bono*. Hoc littore amœnius nihil effingi poteſt; ibi reperiuntur urbes oppidaque plurima nempe Lauſana, Neomagus, Morgæ, Vibiſcum, Cupetum, Pranginum, Rollæ, S. Pretii fanum, Lutreum, Chilonium, Pilæ Turris, atque vicorum innumera multitudo.

De littoribus ſatis dictum, ad Lacum ipſum revertamur; unda ejus pura frigidaque eſt; unde oriatur non patet niſi ex ipſo Rhodano atque ex multis fontibus qui ex cavis montium aquam ſuam continuò receptam in Lacum exonerant; neque enim credendum quod creduli viatores quidam narrant nempe Rhodanum, non mixtis aquis, Lacum interfluere; errorem facile reperiunt qui rerum cauſas inveſtigantes animadvertunt certis temporibus leves ventos ſufflare quibus hic & illic leviter aquâ movetur, dum aliis locis immota reſidere videtur; hæc Lacûs, illa fluens Rhodani unda creditur. Quibusdam locis quingentis & amplius Orgyis altus eſt Lacus cum imum tentando minime ſentiatur. Venti aliquando furentes ita inſaniunt ut indè horridæ oriantur tempeſtates; rara tamen audiuntur naufragia, propter portuum frequentiam. Multis delicatisque piſcibus fertilis Lemanus habetur; indies tamen deminuuntur, adeo ut ſpecies quædam penitùs deſtructæ ſint, quod tribuitur Luciorum voracitati aliorumque quorumdam piſcium quos Mutalios vocant, qui à quadringentis tantum annis in Lemano reperiri dicuntur, illucque proripuiſſe per ſubterraneos quoſdam meatus è Neocaſtri Lacu. Trutæ, omnium piſcium delicatiſſimi frequentes ibi inveniuntur atque inter eas multæ 30. 60. atque 100. librarum.



DESCRIPTIO
CIVITATIS
ET
REIPUBLICÆ
GENEVÆ.



ENEVA, quæ ſita eſt ſupra inferiorem partem Lacus Lemani, undè fluit Rhodanus, Civitas eſt Antiquiſſima, de cujus origine nulla fit mentio apud veteres Hiſtoricos, quidquid enim dicitur de quodam Lemano Paridis filio, qui hanc urbem condidiſſe putatur ſupra collem juniperis refertum, quâ de cauſâ *Genebra*, aut *Genevra* appellata fuerat, per ſe ipſum ruit ſecuti omnes fabulæ quibus adornantur gentium incunabula, nam juxta ipſorum relationem, hæc fundatio redire deberet ad annum II. M. D. CCC. XXXIII. à Creatione Mundi, hoc eſt, ante Romam conditam & priuſquam foret in uſu lingua latina, unde tamen diſumi dicitur *Geneva*.

Ut ut ſit, conſtat hoc nomen eſſe vetuſtiſſimum, quod primum accepit, ut poſſet affirmari; & licet alia poſtea acciperit nomina, omnia depoſuit, quæ ad primum rediret, itaque ad originem hujuſce urbis demonſtrandam, abſque ullâ inquiſitione fabularum, ſatis erit dicere eam Cæſaris ætate inter clariſſimas Allobrogum civitates habitam eſſe.

Sita erat, ut videtur in deſcriptione hic addita veteris Genevæ, ſupra verticem collis ubi Ædes Sancti Petri & vicini vici jam ſedent, urbs & mœnia ejus figuram triangularem delineabant, tribus decorabatur portis, quarum prima ad Rhodanum vel potius ad Inſulæ Caſtellum, altera ad Arvam, poſtrema ad lacum ducebat: prima unum ex angulis, altera verò media latera quæ eum conſtituunt angulum, occupabant, latus portæ Rhodani adverſum, Templo Apollini dicato erat ornatum, civitatem circumdabant ſuburbia quæ ſenſim ad urbem adjuncta non nihil ad ejus amplitudinem profuerunt. Ut ejuſdem civitatis ferunt annales, quidam Imperator nomine *Aurelius* (quo Aurelio non diſignato) eam reſtauraverat & mœnia ejus valde amplificaverat, quam quidem appellavit *Aureliam*, quod nomen non diu ſervavit.

Lucius Julius Brocchus nobilis Romanus urbem Genevam Lacu Lemano donavit, ut exhibet inſcriptio infra ſcripta quam uſque conſervat paries areolæ cujuſdam domus in vico vulgo Canonicorum.

L. JUL. P. F. VOL. BROCCHUS VAL BASSUS PRÆF. FAB. BIS. TRIB. MIL. LEG. VIII. AUG. II. VIR. JUR. D. III. VIR. LOC. PP. AUGUR. PONTIF. II. VIR ET FLAMEN. IN COL. EQUESTRI VIANIS GENAVENSIBUS LACUM DAT.

Geneva plurima nobis ſuppeditat alia monumenta antiquitatis Romanæ, quæ nimium hic occuparent locum, quapropter unum tantum referam quod videtur eſſe alicujus Philoſophi Epitamium.

VIXI UT VIVIS.
MORIERIS UT SUM MORTUUS.
SIC VITA TRUDITUR.
VALE VIATOR,
ET ABI IN REM TUAM.

Inſcriptum erat ſupra lapidem imi loculi ex Arvæ ripâ eruti anno M. D. C. LXXVIII. alterum fuit adinventum in imam Inſulæ turrim.

DEO SILVA
NO PRO SALU
TE RATIARIOR.
SUPERIOR. A
MICOR. SUOR.
BASIM SANCT.
M. ARRIUS CIVIS HEL.
V. S. L. M.

Stylobata erat imaginis Deo Silvano conſecratæ pro Nautarum ſalute qui partem lacus ſuperiorem habebant. Neptunum quoque colebant Genevenſes, cui aras poſuerant ſupra rupem quæ ſtat in lacu contra urbem & quæ appellatur *Petra Nitonis* per depravationem nominis hujuſce Dei. Hæc civitas ut ex multis inſcriptionibus apparet ſemper fuit ſubdita Romanis quos penes erat Magiſtratus inſtituere ad adminiſtrationem tum civitatis tum Religionis.

Mutatio Reipublicæ.

Ruente imperio; Gothorum, Longobardorum, Burgundionum cæterarumque gentium Barbararum quæ tunc Italiam vexarunt, jugum ſubiit Geneva; quæ cum fuiſſet ſemper ſui juris ac poteſtatis, & ab omni dominatione libera, hanc democratiam diu retinuit præſertim imperantibus Burgundionibus. Tandem Epiſcopi & Provinciarum præfecti Imperatorum impotentiam lucro apponentes ſupremam ſibi arrogarunt auctoritatem, inter quos Epiſcopus Genevenſis annumerandus eſt qui Principis hujuſce urbis titulum uſurpavit. Tunc quidam nobiles Provinciam Genevenſem ſibi quoque aſſeruerunt ſub titulo Comitatus; hinc magna diſſidia & contentiones Comites inter & Epiſcopos quibus finem impoſuerunt pacta conventa, virtute quorum Comites Genevenſes Epiſcopo & Collegio Genevenſi forent ſubditi propter ſuorum partem fundorum, ita ut in quibuſdam reſcriptis ſummi Pontificis Adriani tertii, Comes Genevenſis nuncupatur (*Comes Fidelis Advocatus ſub Epiſcopo*). Circa medium XII. ſæculi Dux à Zeringâ apud Helvetios ab Imperatore Frederico Ænobarbo impetravit Principatum Seduni, Lauſanæ & Genevæ, cujus antiſtes *Ardutius* ad Imperatorem ſe contulit, injuriam hac ceſſione ſibi factam expoſiturus, & fecit ut imperator recentiore decreto donationem hanc tamquam ſubreptitiam revocaverit, hoc decretum altero fuit Confirmatum & ex utroque probatur libertas Civitatis Genevenſis in quâ Epiſcopi auctoritate gaudebant tantum precariâ, cujus Principes erant ad inſtar Antiſtitum Spiræ & Vormatiæ qui harum civitatum ſe Principes jactitant, licet ſint liberæ Germaniæ civitates, & ab ipſis Magiſtratibus gubernentur, ita ut Epiſcopus electus juraret ſe privilegia & immunitates urbis ſervaturum.

Jura in eam iniquè prætenta à Comitibus Genevenſibus.

Quâ ratione Epiſcopi decebantur Do- Civitatis.

Epiſcopus Genevenſis ejuſdem erat ordinis quo ad hanc urbem, ac ſummus præfectus, vulgo *Doge*, quo ad Genuam. Ad ejus electionem convocabatur populus & clerus; Collegium erat triginta duobus canonicis compoſitum in Æde Sancti Petri, quorum plerique erant juriſperiti, cui aſſidebant, ut aſſeſores laici, quatuor Sindici procuratores, viginti Conſiliarii & Queſtor à Civibus electi. His viginti quinque adjungebantur triginta quinque alii ut ſententiam ſuam dicerent de rebus graviſſimis, hinc ad Concilium ducentorum lis deferebatur, & poſtremum ad Convocationem generalem, cunctis patribus-familias compoſitam. Jus erat Sindicis argenti cudendi, ipſiſque committebatur civitatis ſalus & cauſarum capitis judicium, niſi rei forent clerici. Denique in rebus pergraviſſimis nihil ſtatuebatur inconſultâ plebe, cujus Sindici procuratores fœdera & conventa ſæpe compoſuerunt cum principibus exoticis inſcio Epiſcopo; ut patet ex convento anni M. CC. LXXXV. cum Duce Sabaudiæ, & altero annorum M. D. XXV. & M. D. XXVI. cum pago friburgenſi & Bernenſi inito. Hujuſce modi regimen Civitatem hanc prorſus liberam abſque ulla contradictione pluſquam ſatis probat, idcirco Caroli quinti litteræ non inſcribebantur nomini Epiſcopi, ſed Honorabilibus noſtris & imperii ſacri fidelibus dilectis Syndicis, Conſulibus & Civibus civitatis Imperialis noſtræ Genevenſis.

Fœdera cum Sabaudo Dace.

Nullus eſt tamen dubitandi locus quin Magiſtratus & Cives magnam haberent rationem Epiſcopi tamquam Eccleſiæ antiſtitis, hic verò modeſtè ſuo jure & Conſilii indulgentiâ utebatur. *Nantelius*, qui ſedem hujuſce urbis pontificiam tenebat anno M. C. XC. ut quietam ſibi vindicaret poſſeſſionem fœdus icit anno M. CC. I. cum Thoma I. Comite Sabaudiæ adverſus Comitem Genevenſem qui jura patris repetebat, virtute hujus fœderis Epiſcopus Comiti Sabaudiæ tamquam beneficiario ſuo ex formula tradidit poſſidenda quædam caſtella circa Genevam poſita, quæ ſibi eſſe propria contedebat Comes Genevenſis. Hinc belli cauſa inter utrumque Comitem à quo non conquieverunt uſque dum Thomæ ſucceſſores totius Genevenſis Provinciæ potirentur; ſed antea in urbem pedem poſuerant & eam ſenſim invaſerunt. In fœdere inter Epiſcopum & *Thomam I.* icto, ratum ac ſtatutum fuerat quod nec ipſe nec nepotes ullum unquam jus haberent ad Eccleſiæ viduæ conferenda beneficia aut ad libertatem Genevenſem etiam ſi ipſis oblatum foret. Attamen *Amadeus IV.* tot dolis ac machinis uſus eſt ut anno M. CC. LXXXV. licentiam obtinuerit poſſidendi Genevam tamquam arcem ad ſui principatus deffenſionem, ex quo tempore Comites Sabaudiæ ſibi induxerunt nomen *Vicedominorum* * Genevenſium, in quâ Civitate habebant legatum qui vocabatur *Vicedomini Caſtellanus*, hic inſpiciebat proſcipuè quæ propria fuerant in urbe Comitibus Genevenſibus & quæ ultimo pacto ceſſerant Comiti Sabaudiæ pro præſtatione ſumptuum quos fecerat in bello modo ſuſcepto contra Comitem Genevenſem ad commodum

Uſurpationes Sabaudorum.

* *Vocantur alibi* Vidami.

LAC LEMAN
OU
LAC DE GENEVE



Porte de Rive

Porte de Cornevin

Sᵗ GERVAIS

Bastion de Rive

VILLE

Pont aux Meuniers

ISLE

Pont de derriere

Pont neuf

Bastion de Hollande

Bastion Bourgeois

RHOSNE RIVIERE



Echelle de 120 Toises.

20. 40. 60. 80. 100. 120.

Dessiné sur les lieux et mis au jour par

R:C: ALBERTS. A la Haÿe 1725.

dum & utilitatem civitatis : undè odium quod inter utrumque comitem jam interERAT, ita invaluit ut nec ipsi nec posteri usquam deposuerint arma nisi ætate Comitis *Viridis*; qui cum impetrasset à Carolo IV. Imperatore ut munus Vicarii imperii gereret in totâ regione, felicius quodam modo suam firmavit auctoritatem in Genevam quâ non potitus est, si quidem ad Imperatorem paulo post Genevâ transeuntem suplices accessere Sindici & Episcopus & suam exposuere Causam, quâ auditâ cessio repentè fuit revocata. Quod bis & ter iteravit *abrogans in perpetuum quamlibet potestatem, jurisdictionem & jus quod Amadeus Comes Sabaudiæ vel successores ejus in Genevam & accessiones intendere possent*, hanc quidem civitatem adscribens inter *nobilia imperii membra.* Gregorius XI. se socium præbuit Imperatori qui cogerent Comitem ad omnia restituenda, quæ ab Ecclesia Genevensi habebat, vicedominatu excepto, & jure quo gaudebat in Insulæ Castellum, tunc Comes, Imperatoriis decretis & monitionibus Pontificiis stetit, Instrumento Thononi dato & in æde S. Petri promulgato, die festo omnium sanctorum anno M. CCC. XXXI. quæ decreta Caroli IV. rursùs eodem sæculo renovavit ac confirmavit Vinceslaus Imperator. Comitis Viridis successores aliter sese gesserunt ut aliquem haberent aditum in urbem, nempe ab Episcopo & Sindicis petivêre ut ipsis, & Curiæ, seu aulicis liceret Genevæ commorari per aliquot dies definitos, quo tempore exacto, prorogationem ad aliquot iterum dies flagitabant, quod sibi permissum declarabant, salvâ semper ac integrâ civitatis jurisdictione, imo territorium non nunquam obtinuerunt iisdem conditionibus adjectis.

Libertas confirmata.

Oppugnatur ab Amadeo VIII.

Novum vulnus accepit libertas anno M. CCCC. I. Amedeus VIII. Comes, postea Dux Sabaudiæ, & demum Papa; qui tunc erat Parisiis, conventa fecit cum Odone *de Villars*, Comite Genevensi qui hunc comitatum & sua jura in Gratiopolitanum, Viennensem Agrum & Delphinatum ipsi cessit ob XLV. millia nummorum aureorum & dominium Castri novi in Valle-romanâ. Hoc erat jus Ducum Sabaudiæ in urbem, quam eò usque tuiti sunt contra Comites Genevenses qui eodem jure adnixi eam invadere volebant. Sed Sindici & Episcopus de Bertrandis recurrerunt ad Imperatorem Sigismondum qui ipse *Amedeum* VIII. ad dignitatem Ducis Sabaudiæ evexerat, hic jussit ne Dux supradictus quid susciperet quod Caroli IV. & Vinceslai decretis obstrectaret aut libertati Genevæ noceret. Attamen Dux qui contendebat Ecclesiæ Genevensis esse urbis Dominium, cujus donatio pendebat ex arbitrio Papæ, ad ipsum confugit, cui exposuit urbis & Ecclesiæ multum interesse ut sibi suprema daretur potestas, quam Papa illi cessit absque ulla difficultate, sed eâ lege ut Episcopus assensum præberet. Hic Magistratum & plebem consuluit. Coactum est Consilium Generale ex DCC. XXVII. civibus conflatum, qui

Confirmatur ab Imperatore.

consiliis Ducis Sabaudiæ intercesserunt & auxilium Episcopo omnes sunt polliciti in omnes qui ipsius jura aut eorum libertatem labefactare auderint. Tunc nil ultra. Postea Amedeus VIII. factus Papa nomine Felicis V. sibi arripuit sedem Genevensem & Lausanensem; atq; Libertatem, cum videretur in majore esse periculo, firmavit actis publicis quæ paulo post iterata fuere à duce Ludovico ipsius filio, cujus tamen administratio Genevæ fuit exitio: nam Philippus Ludovici filius irâ accensus in matrem Annam Cypri Reginam, cui patrem quærebatur nimis morigerum, clandestina consilia Genevæ, ubi Pater tunc temporis commorabatur, molitus est, quibus perpetrandis in urbem ingressus eò insolentiæ processit ut Ædibus patris non pepercerit. Hic tanta ira fuit percitus postquam deprehendisset audaciæ participes, inter quos duo erant Sindici, ut supplicio horum non placatus, Lugdunum convenerit regem Gallorum, cui deposuit Nundinaria Genevæ instrumenta, quæ abripuerat, ac eum quoque impulerit ipsas transferre nundinas Biturigem deinde Lugdunum, unde Geneva magnum accepit detrimentum.

Nundinas urbs amittit.

Ab anno M. CCCC. XL. III. ad annum M. D. XIII. quo quidam Joannes à Sabaudia Ausciorum Protonotarius Episcopatum Genevensem impetravit, nihil contra libertatem fuit susceptum, Antistes hac dignitate penitus indignus cum Carolo III. conjuravit ad Civitatem dominio Sabaudiæ objiciendam, blanditiis, minis, vi, omnibus tandem rationibus adhibitis sed frustra, omnem abruperunt dissimulationem & apertâ vi agere cœperunt. In duas factiones discesserat Civitas, altera *Eignotorum* vulgò *Eignots*, altera *Mamelorum* vulgò *Mamelus*, priores pro libertate publicâ propugnabant, & ad illius incolumitatem effecerunt ut cogitaretur de fœdere ineundo cum civitate Bernensi & Friburgensi sub nomine Concivium. Posteriores vero *Mameli* sic erant denominati, quia Carolo sese devoverant summo imperio agere cupienti. Dux, cui omnes molitiones non prosperè cesserant, & fœdere à numero superiore inito cum utrâque Helvetiâ, comparat decem millia hominum quos in conspectum civitatis adduxit, in quam misit Caduceatorem *Chablasium*. Hic petiit ut Consilium convocaretur, quo introductus, Loricâ lævum Brachium & virgâ dextram manum armatus, operto Capite, & insalutatâ concione intravit, jussus à Sindicis assideret & suum exponeret munus, ter abnuit, postea ipse sibi sedem elegit non juxta Syndicos, sed in loco excelsiore & hæc fecit verba. Nolite mirari, domini Sindici & Consilium Genevense quod jussus sedere noluerim, & injussus nunc sedeam, rationem meam accipito. Hic adsum nomine clarissimi ac formidandi Ducis Sabaudiæ Domini mei, atque vestri, cui non vos decet dicere ut sedeat, sed ipsum libet ad arbitrium eligere sedem etiam vobis superiorem, quæ omnia gessi personam ejus gerens. Itaque ex hoc subsellio meum vobis expono munus.

Origo Eignotorum.

Usurpationes Caroli III.

Q 2 Prin-

Princeps meus vobis mandat ac jubet in Prætorio urbis ſibi domicilium eâ ſumptuoſâ magnificientiâ quæ principem hujuſce generis deceat, item commeatus neceſſarios pro ſe ipſo & pro comitatu ex decem millibus peditum, præter equitatum, compoſito, accurari. Inſtructus enim hoc comitatu habet in animo hic habitare, qui jus unicuique reddat. Tum juſſus ut ſe reciperet, donec de reſponſione facienda eſſet deliberatum, ſeceſſit & paulo poſt illi revocato reſponſum fuit datum, his verbis.

Dicta tua, Domine *Chablaſi*, noſtrum omnium valde movent admirationem; ſedem tibi oblatam abnuiſti & poſtea alteram ex authoritate tua deſumpſiſti, quia, ut modo audivimus, perſonam gerebas Ducis Sabaudiæ tui principis ac noſtri, quod hactenus eſt inauditum, cum eſſe tuum principem credamus, non vero noſtrum. Nos ſibi addictos tenet, non autem clientes ac ſubditos, & neminem id juris ſibi arrogare intendimus. Imo nobis omnibus perſuaſum eſt, eum eſſe filium nimis ſtudioſum Eccleſiæ noſtræ almæ parentis, cui ſumus ſubditi, ut illius uſurpet juriſdictionem, itaque nec ipſum nec te qui perſonam ipſius geris, decet iſtam occupare ſedem. Jam de tuis ſermonibus agitur. Nomine principis, domicilium in Prætori urbis poſtulas, non ſolum pro ipſo, ſed etiam pro decem millibus peditum præter equitatum, his additis eum hùc venturum qui judicia exerceret, quid hoc ſibi velit non ſatis vidimus. In Prætorio urbis non ſolebat commorari, multo minus cum tanto comitatu; ſi voluerit, ut ais, exercere judicia, non neceſſe eſt tot adducere copias; Judicia enim non ſunt illius juris, ſed Epiſcopi, Sindicorum & Conſilii, juxta immunitates quas non violare juravit. Si quis autem ex nobis dignus fuerit pœnâ, qui capitalem illi vel alteri fecerit injuriam, poſt indicium nobis datum curabimus illum adeo puniri ut querelarum nullus ſupererit principi locus. Ad tantam hominum copiam quam ſibi comitem addit, nutriendam, deeſt nobis culina ſat capax & ſat opima. Verùm ſi ipſum juvat hùc venire cum ſolito comitatu, cui addi poſſunt quingenti homines, tunc bene acceptus, ut antea, veniet & pro arbitrio ſuo eligere poterit quodlibet domicilium, noſtro tamen urbis Prætorio excepto, nobis, non vero illi, peradmodum neceſſario. Eumque, ſi non pro ejus meritis, ſaltem pro tota facultate noſtrâ bene tractabimus.

His dictis, Caduceator ait, non vultis ergo mei principis petitis aſſentire, nec mandatis parere. Negarunt; tum ille loricâ indutus, nomine principis dixit, *declaro vos veſtro principi rebelles igne & ferro puniendos, quâ de cauſâ hanc virgam dimitto, qui voluerit eam tollere, tollat.* Poſt hæc verba virgam jaculatus eſt in mediam curiam & abiit. Vix egreſſus erat, cum duodecim nobiles, qui eadem de re venerant, ocreis & calcaribus inſtructi, in Conſilii auditorium intrantes dixerunt; *vos Sindici, ſenatuſque Genevenſis animo recogitate mandata principis, aliter vobis erit locus pœnitentiæ*, poſtea egreſſi equum aſcenderunt.

Ex exercitu qui erat in conſpectu, credendi locus erat Ducem non minis quieturum, quapropter plebs omnium in ſenatu actorum gnara ad deffenſionem per ſe paratam habuit, clauſis januis, Catenis extenſis, Cuſtodiis ubique poſitis, ad Bernenſes & Friburgenſes legati fuerunt miſſi; at auxilio remoto, Hoſte ad Januam, Copiis deficientibus, tempori ſervire neceſſe fuit. Ad Ducem delegatum, eſt qui omnia ab ipſo exacta promiſit, licet tamen in animo haberet fidem datam fallere. Denique fas illi fuit cum ſuo comitatu ſolito & quingenis militibus in urbem ingredi, ille vero ſpopondit nullum detrimentum ſive generale ſive particulare importaturum. His conditionibus, Januis apertis Comes Genevenſis qui ſuo fratri præibat, primus in urbem intravit per portam ſancti Antonii quam diruere juſſit, ut Dux cataphractus nec tamen galeâ tectus, quam nobilis puer ferebat, ad inſtar triumphantis ingredi poſſet. Omnis exercitus ſequebatur illum & ſecunda hora nocturna, Sindici claves urbis, munimentorum, armamentarique in manus Comitis Genevenſis tradiderunt, poſtridie edictum fuit promulgatum præſcribens civibus ut arma deponerent.

Tandem ſeptem millia Helvetiorum civitati oppreſſæ venerunt ſuppetiæ, ad quos, Morgeſium, ubi Caſtra poſuerant, dux delegavit, & jam ſibi metuens ad pactionem quoque deſcendit, promittens ſe nunquam jus conceſſum virtute ſui *Vicedominatûs* exceſſurum, at vix illos mellitis verbis ad reditum induxerat ut non ſolum fidem violaverit, verùm etiam omne nefas perpetraverit uſque dum peſtis hanc civitatem miſeram devaſtans Thononum eum demum expulit; nec tamen deſtitit adverſus civitatis libertatem machinari, quod *Berthelier* & *Lavrery* ſummo exitio fuit. Hæ vexationes & antiquæ libertatis violatio ad decem annos perductæ fuerunt, Petro *de la Baume* ſedem occupante, qui Antiſtes levis ac vacillantis animi, licet à Duce nimis vexatus, modo ad rationes illius ſe adjungebat, modo ab illo deficiebat.

Interim vigente Reformatione apud Helvetios, Bernenſes, Genevæque fœderatos, aliquot Evangelici præcones in hanc urbem tranſierunt à civibus lubenti animo auditi. Farel & Saunier ab Eignotis * adjuti primum de reformatione concionem habuere. Tamen in exilium projecti fuerunt, *Fromentus*, qui illis ſucceſſit adeo negotia religionis acceleravit, ut minus tribus annis ſecta Evangelicorum aliis fuerit ſuperior, prima verò menſis Martii Anni M. D. XXXV. *Farel* ab exilio Genevam revocatus verbum divinum palam diſpenſavit, ita ut Monachi ipſi & Sacerdotes induti exemplo, maxi-

* Vox illa, corruptâ pronuntiatione oritur ab *Eydgnoſſen* Germano-Helvetico vocabulo, quod ſignificat *Fœderatos*, quod nomen audiebant fœderati Helvetiorum Pagi. Haud dubio ab iſtis *Eignotis*, qui fœderi cum Helvetiis favebant atque poſtea primi omnium Reformatæ Relligioni manum dederunt, oritur gallica vox *Huguenots* quâ nuncupantur Calvini ſectatores, quibus *Geneva* caput habetur ut *Roma* Pontificiis.

maximaque Bernensium protectione erga illos qui reformationem suscipiebant, Religionem Ecclesiæ Romanæ ejuraverint, ac primi populum instigarint ad Imaginum eversionem, reliquiarum fractionem, templorumque destructionem, tandem die vigesimâ septimâ Augusti, promulgatum fuit edictum quod cultum quem libet Ecclesiæ Romanæ in urbe Genevensi penitùs abolebat. Bellum inter Ducem & Civitatem Genevensem huic revolutioni successit. Bernenses septem millia hominum miserunt subsidio suorum fœderatorum, sed nihil illis felicius evenit quam bellum quod Franciscus I. Duci Carolo III. denuntiavit, ita ut hostes Ducis possent suam spem in Rege Galliæ reponere. Tum temporis Geneva omnia sua in ordinem digessit & Regimen democraticum liberumque restauravit.

Ausus Sabaudorum in Genevam. His argumentis, ni fallor, satis confirmata videtur hujusce urbis suprema potestas in quam Duces Sabaudiæ Caroli III. successores plurimas sed incassùm adhibuere machinationes auctoribus suis perniciosas, de quibus jam facta fuit mentio in historia Domus Sabaudiæ quæ prima parte primi voluminis hujusce Theatri legitur; harum periclitationum in muros scalis irruptio anno M. D. C. VI. fuit audacissima unde optimates urbis non satis munitæ munimenta sustulere eamque de novo munivere. Hæ munitiones diversis temporibus fuerunt ædificatæ in anno M. D. C. LX. D. Ivoy directione, qui quatuor magnorum saxeorum aggerum ex parte pleni *Paleix* à Rhodano usque ad sancti Ligeri aggerem ichnographiam delineavit, hæc opera circum urbem prolata fuerunt, simul & alia meditata ad quæ decem abhinc annis munitores se occupant. Descriptio quam hodie in lucem edimus, cunctas includit, scilicet veteres, novas, & futuras, sic Genevæ inter urbes validissimas in Confiniis Galliæ, Sabaudiæ & Helvetiæ æstimari potest.

Hæc Civitas à quatuor Sindicis regitur quorum potestas assimulari potest auctoritati Tribunorum militum qui cum imperio Consulari per aliquod tempus ad Reipublicæ gubernacula sederunt. Sindici id est summi Magistratus pro salute Civitatis excubant, Judicia exercent & decretis Senatoriis parere cogunt. Tria sunt Consilia scilicet *supremum* ducentis Senatoribus compositum, *parvum* octoginta quinque, alterum tandem sexaginta, *secundus senatus* illos qui ad *supremum* ascendere debent eligit, ultimus verò primum inspicit. Religionis negotia à Consistorio Consiliis subjecto sunt dirempta.

Academia Genevensis Imperatorem Carolum IV. fundatorem habuit & instaurata fuit tempore quo cives Religionem Romanam abjuraverunt. Joannes Calvinus aliique doctores adeo Scientias coluerunt præsertim Theologiam, ut litterarum studiosi, quoquo versum in hanc urbem affluxerint, & Galliæ Germaniæque inferiori erudidissimos Concionatores suppeditarint. Sic Geneva diu fuit Sorbona Evangelicorum, non tamen sunt approbanda aliquot facta, quæ apud omnes sunt in odio sicuti supplicium *Serveti* & *Antonii*. *Academia.* Hæc inhumanitas, gratia Deo, è Genevâ se recepit, ubi clerus rerum peritus divinarum has sævitias, cum de fide agitur, minime probant, nec igne nec supplicio, suadetur veritas, & si Calvino primisque reformatoribus dogmata instituta in dubium vocare licitum fuit, cur *Serveto* & *Antonio* eadem libertate à Dogmatibus Calvini ejusque Discipulorum desciscere nefas erit. Dogmata tamen infelicium virorum approbare aut refutare non aggredior, à me tantum referuntur ut exemplum facinoris à Calvino & Magistratu, qui manum auxiliarem illi præbuit, patrati. *Tolerantia.*

Plurimæ Epigraphæ tum veteres tum novæ simul & quædam Epitaphia in Civitate Genevensi leguntur inscripta, ex quibus hæc duorum magnorum virorum, quos Historia celebrat, meo judicio, sunt elegantissima. Primum est in honorem D. *Daubigné* viri clarissimi, sivè negotiis quæ suo tempore tractavit, sive scriptis, sive quia clara domina *Maintenon* Poetæ *Scaronis* Vidua & apud Gallos percelebris illum pro avo habuerit: hujus Epitamii ipse auctor fuit. *Antiquitates.*

D. O. M.
TESTOR, LIBERI, QUAM VOBIS APTUS SUM,
SOLO FAVENTE NUMINE
ADVENTIS VENTIS, BONIS ARTIBUS
IRREQUIETUS QUIETEM EAM
COLERE, SI DEUM COLITIS,
SI PATRISSATIS, CONTINGAT;
SI SECUS SECUS ACCIDAT.
HÆC PATER ITERUM PATER
PER QUEM NON A QUO VOBIS
VIVERE ET BENE DATUM
STUDIORUM HEREDIB. MONUMENTO
DEGENERIBUS OPPROBRAMENTO
SCRIPSIT
THEODORUS AGRIPPA ALBINATUS
OCTOGENARIUS, OBIIT ANNO
CIϽ. IϽ. XXX, APRIL. DIE XXIX.

Hoc Epitaphium, alterumque quod sequitur in pulcro Rohani Ducis monumento scriptum, in Templo divi Petri leguntur.

D. O. M. S.
HENRICUS
ROHANI DUX INCLITUS
PRISCORUM ARMORICÆ REGUM GENUINA ET
MASCULA PROLES
NAVARÆ ET SCOTIÆ PRINCEPS
SUMMIS EUROPÆ DYNASTIS AFFINITATE INNEXUS


HIC

DESCRITIO CIVITATIS &c.

HIC JACET
O VIATOR NOLI IN GESTA ALTUM INQUIRERE;
NON SUNT ILLA MAUSOLEI,
MANENT IN ANIMIS HOMINUM
FAMA RERUM, ÆTERNITATE TEMPORUM.
ABI CONTENTUS QUOD STRICTIM TIBI EDISSERO
ANNO ÆTATIS XVI. FATIS OSTENSUS.
SUB AMBIANI MOENIBUS OBSESSIS.
ANTE HENRICI MAGNI ORA EQUO PROSTRATO CÆSOQ.
AUDAX JUVENTA OPIMA REPORTAVIT.
APUD BELGAS GROLLACENSI
APUD SICAMBROS JULIANA OBSIDIONE ILLUSTRIS
IN TAURINIS AD FELISSANUM FELICITER PUGNAVIT,
GERMANOS ET IBEROS IN RHOETIA ET INSUBRIA
QUADRUPLICI PRÆLIO DEBELLAVIT
AD RHENUM IN CAMPIS RHINFELDIACIS, IN DEVEXO
HIRCINIÆ KALENDIS MART. ANNO M. DC. XXXVIII.
CÆSARIS EXERCITU FUSO.
CONFOSSUS VULNERIBUS,
PARTÆ VICTORIÆ SUPERSTES,
MACTUS GLORIA.
OBIIT KUNIGSFELDÆ IDIB. APRIL
ANNO ÆTATIS LIX.
FELIX CLARITATE LETHI,
FELICIOR CLARITATE VITÆ,
MORTALITATIS EXUVIAS TOTUM PER ORBEM DIVIDENDAS SUPREMA VOLUNTATE
IN URBE DILECTA PERPETUUM SERVARI VOLUIT.
EX DECRETO SENATUS POPULIQ. GENEVENSIS
MARGARETA BETHUNIA
MAXIMILIANI BETHUNII SULLIACI DUCIS FILIA,
CONJUX TANTI MARITI FATA INTREPIDE SECUTA,
MENTEM INGENIO ASSECUTA
MANDATA INVICTO ANIMO EXECUTA.
DOMI MILITIÆQ. IN FLUCTUS ET BELLA COMES;
POSUIT INFELIX ÆTERNUM ÆTERNI LUCTUS MONUMENTUM;
QUOD MANES CINERESQ. DEI TESTETUR AMATOS.

Geneva Helvetiorum ſocia, ſub Francorum tutela degit; ita ut ſi quæ ei injuriæ inferrentur eas ulciſci, illæ Poteſtates tenerentur. Urbis ſecuritas eſt ipſius ſitus, nemo enim vicinorum eam alterius dominio ſubjici patietur. Exiguo territorio gaudet ſed amoeniſſimo in quo municipia, vici, caſtellaque reperiuntur. Horum nomina vulgò ſunt.

Gaillard.	*Viry.*	*F. de l'Arve.*
St. Julien.	*Germagny.*	*Fontenay.*
Ternier.	*F. S. Catherine.*	*Colligny.*
Beaumont.	*Lully.*	*Veſſy.*
Pernon.	*Bernay.*	*Reſey &c.*
Agnelu.	*Sacouex.*	



ABBAYE D'HAUTECOMBE.

A. *Porte de l'Abbaye.*
B. *Eglise.*
C. *Chappelle des Princes.*
D. *Grand corps de Logis.*
E. *Lac du Bourget.*
F. *Ancienne porte de l'aumosne.*
G. *Fontaine de Merueille.*
H. *Sainct Innocent.*
I. *Aix.*
L. *Colline de Tresserue.*

13.

DESCRIPTIO
ALTÆCUMBÆ
ABBATIÆ
IN
CHABLASIIS.



Ltæcumbæ Diœcesis Genevensis inclyta Abbatia, ad radices Cati montis sita, super Burgeti lacûs ripam Meridionalem, propiùs ipsum Lacum primùm constructa est, situ humiliore, uti Cumbæ Francicum nomen sonat, postmodum ad aliquantò altiorem, ubi nunc est, locum translata; propè celebrem scilicet quendam Fontem è vivo Saxo scaturientem, qui cùm identidem maris fluxum, refluxumque imitatus, prosiliat, resiliatque, Fons admirationis ab incolis causæ nesciis appellatur.

Fons admirationis.

Abbatiæ fundator.

Abbatiam fundavit Anno Christi M. C. XXV. Amedeus III. Comes Sabaudiæ, deductis eò loci Monachis, qui ad Sessinæ Montis crepidinem, propè Grangensem Pagum, quà Rumiliacum itur, degebant, ab Alpium, vulgò *d'Aulps*, Monasterio dependentibus, qui cùm olim profiterentur D. Basilii institutum, hortatore D. Bernardo Abbate Claravallensi, arctiorem Cisterciensium Regulam sunt amplexi, fueruntque per plura sæcula religiositate morum, ac vitæ innocentiâ commendati.

Viri Illustres qui hinc prodierunt.

Hinc prodierunt non pauci toto orbe illustres Viri, quos inter censentur duo summi Pontifices; Cælestinus IV. ad Annum M. CC. XLI. olim Gaufridus Castilioneus, Mediolanensis, ut vulgò indigitatur, seu, ut nonnemo scripsit, ex illustri Familia Dominorum *de Chastillon*, qui locus ab Altacumba non multùm distat, oriundus: nec non ad Annum M. CC. LXXVII. Joannes Cajetanus de Ursinis Romanus, qui post adeptum Pontificatum dictus est Nicolaus III. pietate uterque, scientiâ, atque Apostolicâ sollicitudine laudatissimus.

Abbatem quis nominet, & ejus privilegia.

Ex quo Abbatia in Commendam, ut vocant, redacta est, jure Patronatûs ex fundatione, Abbatem pro tempore nominat Dux Sabaudiæ, à quo obtinet privilegium speciale sedendi, uti Senator natus, in Curia, sive Senatu Camberiensi; eidem Principi jure Clientelari adstrictus, ob Dominium præcipuè Meiriaci in Sabaudia Oppidi, ex Thomæ I. Sabaudiæ Comitis gratiosa donatione, Galliarumque Regi ob Lavorium ultra Rhodanum Fluvium in Beugesio, ex Ludovici I. à Sabaudia Vaudii Baronis pia largitione.

Monasterii ipsius descriptio.

Monasterium ipsum, quod longè latèque super utramque lacûs prædicti ripam prospectum habet, eidemque annexum Templum, structuram præ se fert antiqui operis, quæ Gothicum redolet, satis amplam. Decorabatur olim picturis, signis, columnis, æreisque, ac marmoreis ornamentis, ibidem Sabaudorum Principum liberalitate collatis: at potissimam eorum partem temporum vicissitudo, ac, ex quo Abbatia Regulari Abbate destituta est, hominum incuria labefactavit.

Capella Principum.

Capella, quam vocant Principum, ab Aymone Sabaudiæ Comite constructa ad dexteram ingredientium, adhuc integra perseverat, commendatque structoris sui acceptam ab Avis jure hæreditario junctam magnificentiæ pietatem. Aliud intrà Ecclesiam Divis Benedicto, & Bernardo Abbatibus sacellum eleganti structurâ posuit Bona de Borbonio Amedei VI. Uxor, Sabaudiæ Comitissa. Sacra hæc septa visere consueverunt, quicunque scrutari gaudent Regiæ Domûs Sabaudicæ propaginem, transmissaque ad nos ex priscis sæculis monumenta, insignia, tesseras, symbola, inscriptos titulos, epitaphia, cœnotaphia, quæ omnia non modicum afferunt scribentibus Historiam adjumentum.

Sacellum D. Benedicti & Bernardi.


Principum Sabaud. æ sepulchra, & simulacra.

Videas ibi in Capitulo, Claustrum inter, atque Ecclesiam, ab Anno usque M. C. LXXXVIII. candido marmore elegantissimè expressum


expressum Humbertum III. Comitem Sabaudiæ, & Maurianæ, probitatis eximiæ, Principem. Intrà Ecclesiam, propè Altare majus, ære ad amussim elaborato Bonifacium de Sabaudia, qui Anno M. CC. LXX. obiit Archiepiscopus Cantuariensis, atque Angliæ Primas, uti notatur additâ inscriptione. In Principum, cujus meminimus, Capella, Aymonis Sabaudiæ Comitis, ejusque Uxoris Yolantis de Monteferrato, marmorea, quæ ab Anno M. CCC. XLIII. pios servant cineres, simulacra. Non longè Ludovici I. de Sabaudia, Vaudii Baronis, unà cum Conjuge Joanna de Monteforti repræsentatam post Annum M. CCC. II. eodem marmore, quod cedere nescit tempori, spectare licebit animi fortitudinem. Ac demum Humberti Sabaudiæ Nothi, Anno M. CCC. XCVII. ad superos evocati, iis, quibus toties hostem vicit, indutum armis, quibus adhuc vel jacens, vel marmoreus timeatur. Legitur hactenus epitaphium Amedei IV. Sabaudorum Comitis Anno M. CC. LIII. inibi tumulati. Periit verò non ita pridem illud, quod ejus fratri Wilelmo Præsuli Leodiensi, ac Valentinensi post Annum M. CC. XXXIX. positum legebatur. Nec jam ampliùs spectare datur peculiaria monumenta Heroum, quos præclarè gesta immortalitate donârunt, Petri, Philippi, Amedei V. cum Sibilla de Baugiaco Uxore, atque Joanne Filio, Eduardi, Amedei VI. cognomento Viridis, Amedei VII. dicti Rubei, Philiberti I. Philippi II. ab Anno M. CC. LXVIII. ad M. CCCC. LXXXII. Sabaudiæ Comitum, sive Ducum: Thomæ Comitis Maurianensis. Ludovici II. Vaudensium Baronis, aliorumque Principum Sabaudorum, adeò ut, Ausonio teste Epigr. 55. frustra

Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt.
Mors etiam saxis, nominibusque venit.

Hi enim, licèt eorum tumuli non appareat certus locus titulusque, postquam dum viverent, in Altæcumbæ ornatum effuderunt thesaurorum & patrimonii sui partem, iidem dum morerentur, elegerunt sibi ipsis apud Altacumbenses Monachos sepulturam, ut ab eis haberentur apud Deum in quotidianis precibus commendati. Superest visenda Sacra gaza intimæ Sacristiæ: ibi enim qui curiosiùs contemplabitur veneranda Lypsana Sacrorumque Reliquias plures auro, argentoque inclusas. Phrygio textu picta Ecclesiæ paramenta, donaria pretiosa, interque ea aureum colli gestamen Amedei VI. superiùs memorati, Ordinis Sabaudici, quem Collaris, seu Virginis Annunciatæ, dicunt Institutoris, facilè arguet ex ea quæ nunc est, qualis, quantaque olim fuerit Altacumba.








1. Pons Petreus inter Vrbem.ee Suburbium.
2. Arcus.
3. Collegialis SS. Petri et Vrsi.
4. Prioratus prædictæ Ecclesiæ.
5. S.tus Laurentius.
6. Sanctissima Trinitas, et Porta eodem nomine dicta.
7. Palatium Antiquum Prætoris dictum
8. Moniales S.ti Augustini sub titulo Beatissimæ Virginis Mariæ.
9. Palatium et turris Balliuatus.
10. Moniales S.ti Augustini sub Titulo S.tæ Catherinæ.
11. Prioratus SS. Iacobi et Bernardi.
12. Sancti Francisci. Conventuales.
13. S.ti Benigni Collegium Servorum Beatissimæ Virginis Mariæ.
14. Palatium Episcopale
15. Ecclesia Cathedralis, sub titulo Beatæ Mariæ.
16. S.tus Stephanus, Ecclesia Parochialis.
17. Moniales Visitationis.
18. Porta Ripæ.
19. Confraternitas disciplinatorum sub titulo S.ti Vincentii.
20. Palatium Baronis Roncas.
21. Suburbium Ripæ vulgo dictum de le Rive.
22. Porta Plot.
23. Turris de Voudan.
24. Porta Beatrix.
25. Porta S.ti Benigni.
26. Porta Pertus dicta.
27. Pons Duriæ.

INNOCENTE GVIZZARO delineavit.

DESCRIPTIO URBIS AUGUSTÆ PRÆTORIÆ IN VALLE AUGUSTA.



D geminas radices Alpium Penninarum, & Graiarum, locò amœno, plano, aquæ ductibusque irriguo, ſita eſt Auguſta Prætoria Civitas, à qua denominationem ſortita fuit Vallis Auguſtæ, vulgo dicta; longa triginta quinque circiter mille paſſibus, à S. Martini, ſive Bardi ſcilicet anguſtiis, ubi Eporedienſis tractûs confinia, atque Inſubriam ſpectat, ad montem uſque Jovis, nunc S. Bernardi minoris, ubi confines habet Centrones, ſeu Tarentaſienſes, & Focunates: quam Vallem lætis paſcuis, omniſque ferme generis fructibus divitem Duria Balthea alluit, à cujus dextra, lævaque ripa antiquiſſima viſuntur Caſtella, & Turres, ſitu, manuque fortiſſimæ, familiarum Nobilium, quæ, ut dicemus, in hac Patria multæ ſunt, ut plurimùm diverſorium.

Vallis Auguſtæ.

Tota ea Regio, cujus Incolæ dicuntur nunc Italicè, *Val d'Oſtani*, ex pluribus ſæculis Sabaudiæ Principibus, cum Vallis Auguſtæ Ducatûs Titulo, ſubditi; olim à populis Salaſſis habitabatur, qui cùm ſe geſſiſſent ſæpius hoſtiliter in Romanos, miſſus contra eos Terentius Varro, Alpium ſummitatibus, locorumque, quibus Salaſſi nimium fidebant, anguſtiis occupatis, totam gentem in Populi Romani poteſtatem redegit, pluraque eorum millia, ſive in triumphum reſervavit, ſive abduxit in ſervitutem.

Incolæ hodierni.

Antiqui.

Auguſtus verò Cæſar, divenditâ Salaſſorum juventute, Civium Romanorum Coloniam eò deduxit, diviſo Prætorianis Militibus agro, additoque Prætore, qui circumſtanti Regioni jus diceret, unde ea Civitas dicta eſt Auguſta Prætoria, Ptolemæo, Livio, Plinio, Straboni, Antonino, Dioni, reliquiſque priſcis ſcriptoribus memorata, cùm anteà Cordellam à Cordello Statielli Filio, ſive Oſtiliam, veluti Italiam ex Germania, Galliaque ingredientibus oſtium, appellatam fuiſſe ſint qui ſcribant, nullo tamen adducto ſcriptorum veterum teſtimonio.

Auguſta Prætoria unde ſic dicta.

Poſtquam Barbaris fines Italicos peſſumdantibus res Romanæ exciderunt, ea Regio Gothorum primùm, deinde Longobardorum jugum ſubire coacta eſt, ex quibus hi Ducatûs Sedem Auguſtam Prætoriam conſtituerunt, uti alterius Ducatûs Auguſta Taurinorum Sedes ab eiſdem Longobardis in ingreſſu Italiæ facta eſt. Exactis Longobardis, ad Francos, atque Burgundiones, inde ad Eporediæ Marchiones, qui pro Germanorum Imperatoribus Italicis in eo tractu confiniis præerant, demum, ut dixi, ad Maurianenſes, ſive Sabaudos Comites, non donationis, ſed ſucceſſionis titulo, pervenit: Oddo enim Comitum tertius Adelaïdam Secuſini Marchionatûs Hæredem duxit, ad quam etiam pertinebat Au-

Dominorum varia mutatio.

gusta Prætoria cum ejusdem tractu, ut pluribus monumentis patet, præsertim Epistolâ quadam Petri Damiani ad hanc Principem. Tractum, urbemque Ducatûs Titulo donavit *Fredericus* II. Cæsar anno M. CC. XXXIII. in gratiam Amadei IV. & ipsius Posterorum.

Civitatis descriptio.

Civitas, licèt satis amplo mœnium operis antiqui, passim tamen dirutorum, cingatur ductu, neque est admodum populosa, neque Domibus frequens, Palatiisque, quorum loco habet in Civium commodum, atque oblectamentum cultissima prata, campos, & viridaria. Supersunt tamen antiquæ Romanorum potentiæ, Incolarumque veterum opulentiæ indicia, Arcus marmorei, Amphitheatri, Prætorii, Turrium, Portarum, Pontium, Viarumque reliquiæ omnino admirandæ, licèt ab ævo magna ex parte labefactatæ.

Strabonis testimonium de Salassis.

Quid olim præstiterint, quantum floruerint Salassi, apertissimè indicat Strabo Geograph. lib. 4. *Tellus Salassorum*, inquit, *aurifodinas habet, quas Salassi, cùm olim potentiâ valerent, possidebant, sicut & ingrediendi dominium obtinebant. Magnam quidem illis opem ad effossiones ærarias, aurumque diluendum Duria fluvius afferebat.* Paulò infrà: *Potitis inde rerum Romanis, Salassi quidem, & aurificium simul, & agrum amiserunt. Verùm Montium jura tenentes, adhuc aquam publicanis, & aurifodinam capessentibus venundabant. Adversus istos verò propter publicorum vectigalium avaritiam assiduæ disceptationes gerebantur; Hoc pacto Romanis, qui Prætores, aut locorum Præfecti mittebantur, occasiones semper abundè præstabantur, quibus bella susciperent: Postremò ad hæc usque tempora, nunc impugnati, nunc soluto bello Romanis conciliati, potentes tamen erant, & multis damnis ab ipsis latrocinantibus affecti sunt, qui per eorum montes trajecerunt: quippe à quibus Decius Brutus ex Mutina fugiens, data viritim Drachma sese redemerit. Messalla quoque, cùm juxta illos hyemaret, pro raptis ad comburendum lignis, itemque ad hastilia, tyronibus exercendis, ulmis, pretium pendere coactus est. Hi quoque Mortales quandoque Cæsaris pecunias diripuerunt. Factisque semitis, aut junctis ponte fluviis, præcipites exercitibus rupes commoditatem apponebant. Posteriùs Cæsar Augustus eos funditus delevit, & universos sub corona venundedit, ad Eporediam Romanorum Coloniam deportatos: quam ideo inhabitandam curaverunt, ut Salassis præsidium esset. Cæterorum quidem corporum millia sex, & triginta censa sunt, qui autem ferre arma poterant, octo millia implevêre. Terentius Varro Imperator cunctos illos acie victos sub hasta vendidit. Tribus Romanorum millibus Cæsar Augustus missis, Urbem* AUGUSTAM *habitandam tradidit, quo in loco Varro Castra jam habuerat. Nunc autem finitima Regio, usque ad summa Montium cacumina, pacata vivit.* Hactenus Strabo.

Redolent in Augustensi tractu Augusti memoriam pleraque vetera monimenta. Extat inter cætera marmorea Inscriptio hujusmodi intra Urbem:

IMP. CÆSARI. AVGVSTO
PONTIFICI. MAX. COS. XIII.
TRIB. POT. XXIII. PATRI. PATR.

Extra Urbem verò, supra Amavillæ Castrum, non procul à S. Leodegarii Ecclesia Parochiali, in recessu Vallis, spectandæ molis extat Pons, dictus incolarum vocabulo *le Pont d'E*, miræ altitudinis, unicoque fornice, torrenti profundissimo superstructus, cujus forma talis est, ut non modò hominibus, jumentisque ultrò citroque commeantibus, duplici ad extremitates aperto ostio, supernè tectus, concameratusque inserviret, verùm etiam aquam copiosissimam ex Occidentali in Orientalem Vallis partem derivaret, maximo circumstantis agri, Amavillæque prædictæ commodo, & incremento. Ejus, Augusto imperante, structor Cajus Avillius, à quo forsitan Amavilla denominata, uti ex Inscriptione liquet, quæ prægrandibus insculpta saxis extat adhuc in Pontis ejusdem facie boreali, cujus tale initium.

IMP. CAESARE. AVGVSTO. XII. COS. DESIG.
C. AVILLIVS. Q. F. &c.

Ludorum item, nec non sodalium in Augusti honorem Augustalium meminerunt aliæ Inscriptiones. Harum una in ædicula Castri Argentei sic habet:

QVINTO PETILIO EROTIANO. PETILIAE QVINTI
LVCILII..... AVIAE. QVINTO PETILIO CLEMENTI
PATRI SEXTVMVIRO. LVCIO PETILIO MARTIALI
FRATRI. FIRMIAE QVINTI FABII TERTVLIANI
MATRI. FLAVIAE ASCANIAE VXORI. QVINTVS
PETILIVS Q. F. SATVRNINVS
MIL. LEG. AA. II. PRIMIGENIAE.
SEXTVMVIR AVGVSTALIA EDIDIT
TRIVMVIR TESTAMENTO FIERI ROGAVIT
ARBITRATV QVINTI PETILII....

Aliam præfert lapis ad D. Laurentii Templum intrà Urbem, hisce notis signatus:

FAVSTVS SEXTVMVIR. ET AVGVST.
QVI INTER PRIMOS AVGVSTALES A
DECVRIONIBVS AVGVSTALIS FACTVS EST
VIRIÆ MAXIMÆ VXORI KARISSIMÆ: &c.

Et à latere Portæ Prioratus S. Ursi hæc inspicitur Inscriptio, nempe:

D. M.
VALERIÆ
MANSVETÆ
VALER. SEVERVS
CONIVG. ET
VALER. SEVERA
MATRI PIISSI
MÆ

Propè eandem Ecclesiam in pariete ejusdem Sacelli:

D. M.
L. POMPVLII
PRIMITITI
L. POMPVLIVS
IANVARIVS
ET PVLLIA.
ARESSVSA
PARENTE.

Item ibidem & in Ecclesia B. Virginis hæc quæ sequitur:

ANNIES EVRI
DIS G. AN
NIVS VALERI
ANVS CONIV
GI.

AUGUSTÆ PRÆTORIÆ DESCRIPTIO.

Sub fenestris Domus Propræfecti Augustensis in S. Ursi Suburbio:

D. M.
IVLI SATVRI
ONIS IVL. SATV
RIANVS PATRI
KARISSIMO.

Juris dicundi ratio.

Moderatur hanc Patriam sub Ducis Sabaudiæ supremo Dominio Commissorum, ut vocant, primarium Consilium, cujus Caput est Augustensis Episcopus. Juri dicundo numerat quatuor Ducalia mandamenta, à quibus ad Senatum residentem Chamberiaci in Sabaudia provocatur.

Vallis Augustæ quatuor Ducalia Mandamenta.

Primum est ipsiusmet Augustæ Civitatis, constans Præfecto, ordinario Judice, sive Locum tenente justitiæ, & Curiâ cognitionum, quam componunt Pares, Impares, & Consuetudinarii, sive Practici: Secundum Vallis Dignæ, Incolarum nobilitate, locorum, quà arte, quà naturâ munitorum securitate, balneorum salubritate, auri, ferri, aliorumque metallorum fodinis, in toto Augustano Ducatu dignissimum. Tertium Bardi, ubi Arx inexpugnabilis ad transitus loco angustissimo necessariò faciendi tuitionem: Quartum Montis Joveti, viâ per altissimum Montem ascensu perquamdifficilem prægrandibus saxis à Romanis stratâ, munitissimaque in vertice summo Arce memorabile.

Floruerunt, & ex magna parte adhuc florent in hoc Ducatu quam plures Familiæ nobilissimæ Comitatuum illustrium, sive Baroniarum titulo insignitæ. Antiquissimi numerantur Comitatus duo, nempe Comitatus

Comitatus duo: 1. Vallis Coniæ.

duo, nempe Comitatus Vallis Coniæ, tredecim Villis constans, in quo immediatè dominatur Dominus Episcopus Augustensis, qui pro tempore fuerit: Reguntur hujus Comitatûs Incolæ consuetudine eorum peculiari, quotannisque eos adit prædictus Episcopus, sive ejus Vices gerens, querelas lites intentare volentium auditurus, summarièque definiturus.

2. Chalandi.

Comitatus alter est Challandi erectus ab Amedeo Sabaudiæ Duce Primo circa Annum M. CCCC. XVII. unde familia de Chalant totius hujusce Ducatûs primaria, ex Montisferrati Marchionibus, ut creditur, oriunda, utpote quæ Vicecomitatum totius Augustensis Ducatûs diù possederit, & non modò quondam multarum opum, atque dominiorum potens, sed quæ Ecclesiæ Romanæ Purpuratos Patres, reliquis Ecclesiis Antistites, Urbi Senatores, supremis Principibus Equites, Cancellarios, Mareschallos, Civitatibus, Regnis, Provinciis Gubernatores, Exercitibus Imperatores abundè suppeditârit, quos enumerare narrationis hujus compendiariæ angustiæ non permittunt.

Baronias habet novem, Amavillæ, Fenisii, Castellionis, Vallesiæ, Clyti, Quarti, Ghignodi, Castri Argentei, denique S. Stephani attiguam Civitati, vulgò dictam *le Bourg de la Rue*, cujus Dominus fuit Petrus Philibertus de Roncatio, Marchio Casellarum, vir domi, forisque præstans, cui quamplura alia parebant in toto Augustensi Ducatu à Sabaudiæ Ducibus in sui suorumque Prædecessorum remunerationem concessa loca.

Minoris nominis Dominia supersunt plura: inter ea verò eminent Domini S. Martini Nusii, Introdi, Remæ, Avisii, Sarri, Chisoletti, Curiæmajoris, Intraquarum, Brissoniæ, S. Vincentii, Bossæ. Honæ, Campiporcherii, & Maresiæ.

Quod ad gentis in genere mores spectat, ii sunt hilares, mites, sinceri, agiles, liberales, staturâ mediocri, ac bene, præsertim in Nobilibus, efformatâ, licet ex plebe non pauci omnino deformes sint, ore & gutture (quod aliis ad radices Alpium accolentibus accidit) mônstrosè prominente; loquela verò, cùm inter Italos, Sabaudos, Germanos Augustani siti sint, eorum idiomata mixtim sapit: publicas tamen tabulas Gallicò, quod commune est Sabaudis, idiomate exarare consueverunt. Erga Deum, & res Sacras sunt omnino pii, atque religiosi; optimeque affecti erga Ducem Sabaudiæ, qui permittit eos antiquis moribus, qui à reliquarum gentium vivendi consuetudine in multis distant, & legibus suis vivere.

Ecclesia Augustensis, inter illustriores dominii Sabaudici computata semper est, ex quo veterem Civitas exuit Idololatriam, cujus extat adhuc duplex indicium in marmoreis inscriptionibus, unius nomina Jovis, Minervæ, Veneris, Saturni indicantis, hoc modo:

I. M. V. S.
ANTIOCHVS
AVG.

Alterius

ARCVS
AVGVSTO CÆSARI
IN VRBE AVGVSTA PRÆTORIA
ERECTI RELIQVIÆ.



DESCRIPTIO

ARCUS

IN

AUGUSTA PRÆTORIA.



Uamvis multa diximus de veteribus, quæ adhuc admirationem pariunt, in Auguſtæ Prætoriæ confinio, monumentis, dum de ipſa loqueremur Auguſtenſi Urbe: non abs re tamen fuerit mirandæ molis Arcum, qui non longè à Bautegii fluvii ripa eminet, propiùs intueri. Is etſi à temporum injuria valdè labefactatus, talis tamen adhuc eſt, ut qualis olim fuerit non ægrè conjiciatur.

Exſurgit extra Orientalem Civitatis portam, quà Italiam ſpectat, ab imo ad ſummum uſque fornicem prægrandibus ſaxis, diverſicoloribus, longèque petitis inſana moles, quam triplicis ordinis columnæ operis Corinthii ſuſtentabant per æqua ſpatia, ſtylobatam dividente ſubſtructâ baſi: quæ licèt ſuis ſcapis alicubi deſtituta, aſtragali tamen, & apophygis reliquias adhuc oſtentat, immanè prominentibus, atque circumcurſantibus capitulis marmoreis, epiſtyliorum, zophorumque trabeationibus, quibus ſummam ex parte ævum excuſſit coronicem, ſeu dicere mavis coronam. Fornicis ipſius ab humo ad ſummum faſtigium altitudo quinquaginta circiter pedum eſt, triginta pedum interior latitudo. Intercolumniorum utraque ex parte ſpatium implebant binæ hinc indè ſtatuæ, quibus retinendis, quamvis in concavum deſinentis muri, baſiumque adhuc appareant informia rudera, earum tamen ne minimum quidem fragmentum ſupereſt.

Utrique faciei inerat tabula ſupra coronicem marmorea grandioribus inſcripta characteribus, quam inſcriptionem eam nonnulli putant, quæ de populis, gentibuſque Alpinis ab Auguſto, ſive ejus ductu, auſpiciiſque, devictis affertur à Plinio lib. 3. cap. 20. eam ſcilicet, quam è ſcriptoribus recentioribus alii adſcribunt Arcui Secuſino. Licet nos neque in Auguſtenſi, neque in Secuſino extitiſſe Arcu oculati teſtes pro comperto habeamus Plinianam Inſcriptionem, quam in Maritimis Auguſti Trophæis, in Nicienſi diſtrictu, ſupra Monœci ſtationem, ubi nunc Oppidum Turbia, inſculptam fuiſſe nihil eſt, quod adhuc cogat ambigere: quamvis fieri potuerit, ut eadem ibi, atque alibi, locis inter Alpes opportunis, quoque inſculpta ſit.

Non negamus tamen, tam Auguſtenſem, quàm Secuſinum Arcum, fuiſſe in honorem Auguſti Cæſaris à Veteribus excitatum. Et Auguſti quidem nomen plura loquuntur, quæ Alpium Tractum, ultro citroque permeantibus paſſim occurrunt, antiquiſſima monimenta: quorum aliqua obiter notavimus in Auguſtæ Prætoriæ Urbis deſcriptione.

Non longè ab eo, de quo loquimur, Arcu, viſitur etiam nunc pulcherrimus mirandi operis Pons, unico quondam ſublimis fornice, nunc ob hinc indè aggeſtam humum ſemiſepultus, ingentibus ſtructus ſaxis, marmoribuſque. Subterlabebatur olim Beautegius fluvius, qui jam ex multis ſæculis alveum aliò commutavit. Nunc, cùm eidem Ponti plures inſint ab utroque latere ædificatæ hinc indè domus, ac novo lytoſtrato altiore vetus contectum ſit, vix, etſi ſupergrediatur, talem inibi ineſſe pontem Viator animadvertet, niſi ab earum, quas dixi hinc indè ſtructarum ædium tramite ad ima deſcendat, arcuatam ſuperſtantis fornicis molem propiùs inſpecturus, quam è regione prædicti Arcûs Orientali Romani ædificârunt in itinerantium commodum, atque ornamenti majeſtatiſque additamentum. *Pontis mirandi rudera.*

Alterius Jovem, Junonem, Minervam hiſce notis præ ſe ferentis:

IOVI. IVNONI. MINERVÆ
ANTONIA. M. LIBONIS. APHRODISIA
SCYPHOS. H... VENEREM. SPECVLVM
.... DONVM DEDIT.

Eccleſia Cathedralis. Cathedralis, ſive amplitudinem, ſive antiquitatem ſpectes, omnino Venerabilis, Sanctiſſimæ Virgini Deiparæ Aſſumptæ, Sanctoque Grato Epiſcopo Tutelari dicata, præter Antiſtitem, qui eſt ſuffraganeus Archiepiſcopi Tarentaſienſis, cùm olim Auguſtanus tractus eſſet pars Diœceſis Vercellenſis, poſteà pareret metropoli Mediolanenſi; habet Canonicos viginti duos D. Auguſtini Regulares, Eccleſiaſticis officiis ritu peculiari quotidiè exactiſſimè operam dantes, perpetuos Capellanos quinquaginta duos, pueros ſex (Innocentes vocant) qui Muſicæ rudimentis inſtituuntur.

In eadem Eccleſia religioſiſſimè aſſervantur quamplurima ſacra lipſana: inter cætera, Corpus prænominati S. Grati, Civitatis, & ubique terrarum contrà grandines & tempeſtates patroni, ſplendidiſſimâ, ac egregiè fabrefactâ incluſum Arcâ magni pretii argenteâ, ejus Altari ſupereminente in Capella admodum conſpicua, quam prædictus Caſellarum Marchio à fundamentis ſtructam ære ſuo dotavit. Sancti item Jocundi Auguſtenſis Antiſtitis ex S. Grati diſcipulo Corpus argentea pariter in theca pridem repoſitum, Divi Joannis Baptiſtæ Chriſti Præcurſoris mandibula à D. Grato Auguſtam allata, Coronæ Dominicæ ſpina, aliæque quamplures Sanctorum Reliquiæ, ſacra magni pretii ex auro, argentoque vaſa, Eccleſiaſticaque ſupellex, quæ omnia longum eſſet recenſere. Adde Palatium Epiſcopale eidem Eccleſiæ attiguum cum ſuo eleganti horto omnino viſendum.


Eccleſiæ reliquæ. Præter Cathedralem, habet eadem Civitas aliam Baſilicam Collegiatam ſub titulo S. Urſi, olim Prioris in ea Eccleſia Regularis, cujus argento elegantiſſimè incluſum colitur ibidem Corpus: adſuntque in Sacriſtia antiquæ ſacræ ſupellectilis dignæ viſu reſidua, Crux præſertim magni ponderis argentea, cui parem in tota Italia, Galliaque forſitan ægrè videas. Superſunt Tres Parochiales Eccleſiæ, Clericorum Collegia duo, quorum unum ex inſtituto habet inſtruere humanis, divinisque litteris Juventutem: Minorum S. Franciſci Conventualium, ubi marmorea hinc inde virorum, fœminarumque illuſtrium, Bonifacii præſertim de Chalant, Franceſiæque ejus Uxoris monumenta, atque non procul ab Urbe, Capuccinorum; duo Sanctimonialium Monaſteria, Domus excipiendis pauperibus Hoſpitalis, Laicorumque ſodalitia. Ut prætercam S. Bernardi Montis Jovis, de qua peculiaris erit agendi locus, S. Jacobi, Sancti Ægidii de Vereſio, S. Benigni, atque alias illuſtres extra Urbem ſitas Præpoſituras.



CORPO DI GVARDIA

fatto con merauigliosa struttura da Romani nella Citta d'Agosta alla Porta ch'e uerso leuante.





DESCRIPTIO OPPIDI VITRICII, IN SALASSIS.


Ediâ ferme ab Eporedia Civitate ad Auguſtam Prætoriam viâ, occurrit priſci nominis Arx, Oppidumque inſigne, Vitricium, incolis nunc *Verrez*, ab Antonino Auguſto in itinere, quod à Mediolano ducebat Viennam, ſive Argentoratum per Alpes Graias, vel Mogontiacum per Penninas, commemoratum, hoc modo:

Vercellas M. P. XVI.
Eporediam M. P. XXXIII.
VITRICIUM M. P. XXI.
Auguſtam Prætoriam M. P. XXV.

Oppidum, ad collis radices, in ſolo plano, potiori ex parte, ſitum; torrente ſeſe bifariam, & trifariam dividente, utrinque, atque in media per diametrum ſectione, alluitur. Pons lapideus, ripam utramque jungens, torrentem premit, qui mox Duriæ Balteæ, totam Auguſtanam Vallem, quàm longa eſt, curſu præcipiti interlabenti, ſub extremo Oppidi margine commiſcetur. Nec aliis magis, quàm his à natura poſitis, fluviorum, montiumque foſſis, aggeribusque ſua tecta in tuto collocata credunt habitatores, quorum domus, eæque commodæ, &, ut plurimùm elegantes, centum, & quinquaginta numerum non excedunt.

Altiore loco eminet arcis omninò ſpectandæ quadrata moles, exciſo undequaque ſcopulo ſuperpoſita, quam ambit ſaxea firmiſſimi operis projectura, intercurrente murorum loricâ, ac latè dominante, quod Portæ addit coronamentum, munitiſſimo propugnaculo. Ad eam non, niſi penetrato vallo, pervenitur, nec, niſi ſublicio ponte, ingreſſus patet. Eum ſi tempeſtivè tollas, fruſtra quis aggrediendis mœnibus tempus terat, cùm horrida hinc indè ſubſtrata ſint præcipitia, quæ vel ſolo aſpectu ſpem victoriæ adimant aggreſſoribus. Hinc ſi tormentorum hoſtis petatur ictibus, fruſtrà penetrare in interiorem nitatur Vallem. Ea ſiquidem eſt, tam arcis ejusdem, quàm circumſtantis poſitio regionis, ut non modò à cuniculis, ſub terram defodi ab hoſte ſolitis, nihil omnino, ſed ab hoſtilibus bombardis, quas loci iniquitas, non niſi irrito conatu emitti patitur, parùm timeat. Illa verò cominus; atque eminus laceſſere valeat transeuntes, ac, quamvis modico militum præſidio, illum itinerum ſibi, & circumpoſitis Vallibus occurrentium tranſitum tueri. Addunt Arci, Oppidoque inexpugnabile munimentum difficillimi, quos habet hinc indè ad Monioveti, & Bardi Caſtella, aditus, naturâ, arteque ita anguſti, præcipitesque, ut, ſi, vel paucâ propugnatorum manu cuſtodiantur, ſint omnino impenetrabiles. Cùm eam, de qua loquor, Vitricienſem Arcem inviſiſſet Maio Menſe Anno MDLXI. in avitis ditionibus reſtitutus Dux Allobrogum Emanuel Philibertus, ejusque ſitus, conſtructioque eidem, æquo videlicet rerum æſtimatori, maximè arriſiſſet, deſideratiſſimi Principis adventui fuit gratulatoriè factum ſatis, appoſitis eidem Arci ſequentibus, quæ adhuc legere ibidem licet, carminibus:

Carmina in Adventum Ducis Eman. Philib.rti.

Non ego sum Rhodope, Phariæ nec Turris honores
Ambio, non opibus condita Regis ego.
Ut famam superent, aliæ me sumptibus Arces
Vincere; sed fidei nomine posse nego.
Conservata tibi præsto; Philiberte, tuisque
Donec erit Cælum, & robora Terra feret.

At super Regiis Sabaudicæ Familiæ Insignibus ibidem repræsentatis, hac, eodem tempore, lusum Epigraphe:

Luxit Alexander, monumentum ut vidit Achillis,
Herculis ingemuit conspectis Julius Aris.
Quis non invideat mihi, quem non mordeat Heros
Emanuel, tanto quòd me digneris honore?

Canonicorum Monasterium.

Ornatur Vitriciense Oppidum percelebri Canonicorum Regularium Monasterio, sub D. Ægidii Abbatis titulo, loco ejusdem Oppidi eminentiore ædificatum ab Eporediensibus Marchionibus, circa annum Christi D. CCCC. LXXXV. ut est fama; diversis proventibus ditatum postea, Temploque, ex magna sui parte, marmoreo exornatum à Nobilissimis Comitibus de Chalant, postquam veterum

Dominorum mutatio.

Vitriciensium Dominorum, ut est rerum humanarum conditio, stirps mascula defecisset. Tunc enim Amedeus cognomento Viridis, Sabaudiæ Comes, in compensationem obsequiorum, quæ sibi præstiterat Ibletus de Chalant, Ordinis Sabaudici Torquis Eques primarius, ac pro eodem Amedeo Locumtenens Pedemontanæ Provinciæ Generalis, eum, illiusque posteros donavit prænobili hujusce Castelli, Oppidique dominio, reservato tamen sibi supremo jure.

Ceterum, ut aliquid de inclita hac de Chalant Dominorum, ac Comitum gente dicam; etsi non omninò certum arbitremur, quod aliqui scriptum reliquêre, gentilitiaque confirmare videntur insignia, originem videlicet, atque stemma à Monferratensibus Marchionibus suum ducere, hoc tamen in confesso est, diù illos non modò Vicecomitatûs titulum gestavisse in Augusta Prætoria Civitate, sed super cunctos etiam Nobiles, qui in toto Augustensi Ducatu dominia, ac clientelaria feuda possident, nullo contradicente excelluisse; Insuper præter unum, aut, ut aliqui rentur, duos purpuratos S. R. E. Principes, duos quoque Magnos Sabaudiæ Cancellarios, duos primarios (quæ erat olim summa in re Militari Dignitas) Marescallos, decemque Torquatos Equites; plures Civitatum, Provinciarumque etiam externarum Gubernatores, magnum denique virorum pace, belloque insignium numerum habuisse, quos latè recenset in sua Sebusiana Historia Samuel Guichenonus. Hoc unum non prætermittendum, extare apud Augustenses Minoritas Bonifacii de Chalant, Sabaudiæ Marescalli, Equitis Torquati, ac Amedei hujus nominis Sexti Sabaudiæ Comitis dicti Viridis, in Neapolitanâ expeditione asseclæ Anno M. CCCC. XXV. ab humanis exempti, elegans ex candido marmore sepulcrum, incisumque pluribus versibus Epitaphium, quorum pro relationis coronide partem damus, ut sequitur.

Comitum de Chalant familiæ origo & laudes.

Epitaphium D. Bonifacii de Chalant.

Clauditur in tumulo Dominus Bonifacius isto,
Magnificus Miles, Mareschallusque Sabaudi
Principis, antiqua de Challand stirpe creatus,
Phenicii Dominus clarissimus, atque Vareti,
Justitiæ, pacisque pater, Comitemque secutus
Est Viridem in campos, bona quos Appulia servat, &c.



VARESII CASTRVM



DESCRIPTIO
AUGUSTENSIS VETERIS
AD
OCCIDENTEM
PORTÆ.



Sicut alveum fluvii, ita priſcam Urbes ipſæ ſedem, ſive in totum, ſive ex parte, vaſtationum, bellorumque injuriâ ſic volente, quandoque mutant. Porta Auguſtæ Occidentalis, quæ mœnibus quondam quadratâ mole exſurgentibus, quorum reliquiæ pratis, hortisque intermixtæ occurrunt, continuabatur, reſpondebatque Portæ ejusdem Urbis Orientali, rectâ viâ, quam interſecabat ſemita ad reliquas duas Urbis portas à Septentrione in Auſtrum tendens, nunc alibi exciſâ, alibi auctâ eâdem Urbe, mediam ferè occupat, nulli ejus commodo reſervata, niſi ut fruſtra oſtentet ſuis ruderibus ſemiſepultum veteris ævi ſplendorem, ac majeſtatem. Quod portam hanc, ut ejus peculiariter meminiſſe operæ pretium duxerimus, commendat, ſunt præaltæ hinc indè ſurgentes Turres, quadrilongum intrà ſe ſpatium continentes, ubi olim Urbis cuſtodiæ deputata militum ſtatio excubabat. Tres ſeſe offerunt id ſpatium ex utraque parte intrantibus aditus arcuati, quorum qui medius eſt reliquis duobus amplitudine ſupereminet. Circumſiſtunt forinſecus paraſtidæ operis, ut vocant, Compoſiti, immanibus illæ quidem ſaxis conſtructæ, temporum tamen læſionibus valdè labefactatæ: intrinſecus verò habet alterius ordinis paraſtidas altiores, digitos quatuor circumcirca in latera proſilientes, pedumque trium invicem diſſitas intervallo. Minora inſunt duo interna hinc indè oſtia, per quæ ad ſuperiorem ſtationem aſcendebatur: illa tamen cùm ſint, aggeſtâ in magnam altitudinem humo, prorſus ſepulta, haud facilè fuerit intueri, niſi quis in nonnullas ſubterraneas circumſtantes caveas adhibito lumine deſcendens, rem propiùs rimari velit, & introſpicere. Ubi enim nunc vinariarum cellarum eſt pavimentum, olim ibidem erant viarum ſtrata: tantum, ruentibus per incendia bellicasque clades ædificiis, priſco acceſſit ſolo: tantumque ævi longinqua valet mutare vetuſtas. Ad lævam per lapideos gradus conſcenditur in ſummum Turris faſtigium, diſpoſitasque ſupra fornicem medium concamerationes, ad ſpecularum uſum, atque armamentarium militare. Quod ſupereſt feneſtrarum, ordine non admodum æquali diſpoſitarum, transennarum, clathrorum, ſive cancellorum ad ſpiſſitudinem humani lacerti ferreorum, cornicum ſupra, atque infra easdem feneſtras recto ordine prominentium, cæterorumque priſcæ Architectonices ornamentorum ex ingentibus, quà nigricantis, quà lutei, quà albicantis, cinereive coloris lapidibus, ſuam ubique redolet vetuſtatem. Tota demum moles, quam hic, ut adhuc ſe ſpectandam exhibet, delineari curavimus, talis eſt, ut Sereniſſimus quondam Dux Sabaudiæ Victor Amedeus, dum aliquandò Auguſtæ diverſaretur, circumannexas eidem domos dirui omninò juſſerit, egerique hinc indè rudera, ut liberior venerandam antiquitatem amantibus ejusdem molis proſpectus eſſet: quod tamen adhuc infectum fuiſſe non poſſumus non dolere.




FORTE DI BARDO
nella valle d' Avosta .
DORA
BALTEA F.
20

DESCRIPTIO
BARDI
OPPIDI
IN
SALASSIS.

Situs.



TRium à Donatio Auguſtam verſùs mille paſſuum ſpatio, ubi montes, in arctum quàm maximè coëuntes, Duriæ Balteæ ripas coërcent, occurrit altiore loco ſitum Oppidum Bardi, quà naturâ, quà arte munitiſſimum, totius Auguſtenſis Vallis, ſi dicere licet, propugnaculum inexpugnabile. Cùm enim ſubterlabens fluvius viam omnem infernè olim poſitam occupaverit, inviamque omninò reddiderit, per quam abſque aſcenſûs, deſcenſûsque incommodo iter fiebat, nunc nullo modo fieri poteſt, ut quis ultra progrediatur, niſi per Bardi oſtium, in anguſtiſſimo, atque in præceps fermè undecunque declivi montis dorſo, aditum quærat. Duplice, quà juga altiora imminent, foſſâ, muro, valloque diſtinctâ, pontibusque tutatâ verſatilibus, auget ars, quod loco natura dederat munimentum. A læva ſupra rupem in acutum, loco à cunctis partibus inacceſſibili, deſinente, ædificârunt Duces Sabaudiæ Bardi Arcem, ſuis turribus, propugnaculis, ac bombardis cælo æmulam, ac hoſtium, ſive ludibrium, ſive irritamentum, in quam intorqueant tela, ſi modò poſſint. Hujus acceſſione Vallis redditur omninò impenetrabilis, niſi iis tantùm, quos ejusdem Arcis Præfectus, qui cum paucorum (nam pauci ſatìs ſuperque ſunt ad integra agmina repellenda) militum præſidio Ducis Sabaudiæ nomine ibi præeſt, admittere æquum duxerit. *Bardi Arx.*



DESCRIPTIO
VIÆ
QUAM DICUNT
ANNIBALIS,
IN RUPE EXCISÆ
IN
SALASSIS.

Situs.



Bi Salassorum superiorum, quæ nunc est Augustæ Prætoriæ amœna Vallis, editissimi montes in angustum desinunt, ne dicam in præceps dehiscunt, atque ubi Duriæ Balteæ fluvius eo loci rapidissimus maximè coarctatur, Donatium Oppidum egressis, Septentrionem versùs, primo in limine sese statim offert lapideus, excisusque in vivo scopulo, Arcus, sub quo, quicunque transeunt viatores, Augustâ Eporediam commeantes necessariò (alibi enim invia est usquequaque Regio) dimetiri unico obtutu non ægrè possunt, qualis formæ is tractus esset, antequam ea, quam hic descripturi sumus, via à Romanis construeretur. Patet illa in latum XII. circiter pedibus, adeò ut satìs sit, non peditibus, atque equitibus modò, sed ipsis etiam vehiculis, quæ per eam ultrò citroque quondam incessisse, argumento sunt, apparentes adhuc profundi in ipsa rotarum sulci, tot sæculis, utpote in dura impressi silice, indelebiles; licèt nunc, longo ævo, hominumque incuriâ, alicubi impedimentis intercepto itineris anfractu, frequentior sit jumentorum, rarior vehiculorum per viam eandem usus. Quà ad lævam ponè labentem horrescunt fluvium Augustam versùs progredientes, mirari etiam nunc coguntur Artificis ingenium, qui iter agentium ut averteret in præceps casus, tantum ejusdem scopuli, latitudine bipalmari, recto ordine reliquit, ad viæ marginem, quantum protegendis umbilico tenus corporibus satis esset, arte facti ad instar muri, ubi etiam animos resumpturi sedere possent, quos itineris ardui longitudo defatigâsset. Aliud latus altissimâ, durissimâ, ac nigricantis coloris continuatâ munitur rupe, ita affabrè, atque ad perpendiculum excavatâ, ut intuentes in stuporem inducti, ac admirationem, vix oculis suis credant, hæreantque in scopuli modum immobiles, dum secum reputant, quî fieri potuerit, ut tantum saxi, tam facilè, absque ullo usu pulveris tormentarii, qui nondum innotuerat, & quo solo per cuniculos in scopulorum viscera altè demisso, tantam molem, tanto spatio, tam profundo hiatu, non sine multorum annorum, populorum, ac Regum opera, atque ope, exscindi posse videatur: quî fieri, inquam, potuerit, ut ad eam, quam modò videmus formam redactum sit: tali scilicet sectione, quæ nulla ferri, aut ignis, necessariò adhibendi, vestigia præferat; adeò ut, non durissimum, atque immane saxum, sed ut ita dicam, vel cultello pomum vel filo tenui butyrum secuisse sint visi.

Excisus in vivo scopulo Arcus.

Latitudo viæ.

Murus ex ipso scopulo ad marginem viæ relictus.

Auctor operis ignoratur, dignus certè, cujus nomen ipsi rupi aureis characteribus æternum duraturis imprimeretur, cùm non modò barbara Ægyptiacarum Pyramidum, ac reliqua vetustatis in insanis molibus astruendis miracula æmulatus esse dicendus sit, verùm etiam de re publica optimè fuisse meritus, cùm, eâ compendiariâ ex Italia in Galliam, atque Germaniam viâ, pervius factus sit locus anteà inaccessus, sive, non sine multo temporis dispendio, ac vitæ discrimine, frequentandus. Penès incolas fama, quæ per-

Auctor viæ ignotus.

Is Annibal fuisse creditur.

sæpè fallitur, inolevit, Annibalis, percelebris illius Pœnorum Ducis, tantum opus esse, cùm nimirum infesta agmina contra Romanos in Italiam per Alpes ducenti, *Sic*, ut ait in ejus vita Plutarchus, *laborandum fuit, ut quibusdam locis per ingentia saxa, igni acetoque putrefacta sibi aperuerit iter.* Maximè verò, cùm *angustam naturâ viam, recens terræ lapsus circiter ducentos passus angustiorem fecerat*, teste Polybio lib. 3. ubi *multitudinem ad eam rupem, quâ una transitus esse poterat mundandam hortatus, vix tandem cum maximo labore id peractum.* Ibi siquidem Carthaginienses *ardentia saxa*, auctore Tito Livio, *infuso aceto putrefaciunt, ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non jumenta solùm, sed & Elephanti deduci possint.* De hoc demum itinere Ammianus Marcellinus lib. 15. inquit: *Aliud iter antehac insuperabile fecit, excisàque rupe in immensum elatâ, quam cremando vi magnâ flammarum, acetoque infuso dissolvit.* Juvenalis verò Poëta Sat. 10.

Diduxit scopulos, & Montem fregit aceto.

Herculeum hunc Annibalis Pœni laborem in eo, quem descripsimus, juxta Donasium loco contigisse nonnemo credidit. Unde factum est, ut, licèt quo itinere Annibal copias duxerit, multum antiqui inter se disputârint Scriptores, Livio teste, tamen Jodocus Hondius, in Descript. Italiæ pro certo asseverare non dubitârit, *per eam rupem exercitum duxisse, quæ statim supra Augustam Prætoriam terminus est inter duas Valles; quarum altera versùs Septentrionem ad Summum Pœninum brevior, atque angustior vulgò dicitur* Val Pelina *antiquæ Jugi adpellationis memoriam servans: altera versùs Austrum, ad Oppidum usque Eporediam multò longissima, vulgò* Val d'Aosta, & Val di Bardo *vocatur.* Deceptus nimirum relatione Pauli Jovii, qui illud non modò asseveravit, sed extare etiam in excisâ rupe Inscriptionem opus Annibali adscribentem, ex incolarum, ut puto, nonnullorumque Barbarici sæculi Scriptorum testimonio dicere ausus est. Quod verò hos omnes ad taliter credendum induxit, fuisse reimur nomen Alpium, quæ huc usque excurrunt, Pœninarum, seu Penninarum, quas tamen, non à Pœnis, seu Carthaginiensibus, sed à Pennino Deo, qui in summo earum Jugo colebatur, sive à Montium ipsorum in acutum desinentium, immensâ propemodum altitudine, denominationem sortitas fuisse alibi demonstravimus.

Alpes Penninæ unde sic dictæ.

Plura autem sunt, quæ suadent alium ab Annibale mirandæ hujusce viæ auctorem esse. Primò quidem nullo modo verisimile est Annibalem, qui ex Hispania, & Gallia in Italiam properabat, tam longo usum fuisse circuitu, ut ex locis Druentiæ fluvio, qui ab Alpibus Coctiis lapsus Rhodano miscetur, finitimis, omissa breviore per easdem Coctias, seu Maritimas Alpes viâ, uti Penninis mallet, nullâ cogente necessitate. Deinde, cùm ex Polybio Annibalem in Taurinos ex Alpibus descendisse discamus, pro certo affirmare debemus, iter illi fuisse per Coctias non per Penninas Alpes. Quòd si per Penninas, per Salassos, per Augustènsem Vallem venisse demus, cui unquam sano in mentem veniat, tantum temporis, artis, otii, industriæ fuisse Annibali, numerosum exercitum ductanti, impedimentisque omnis generis intermixtum, ac in planos Italiæ campos progredi festinanti, ut secando tam longo tractui durissimi ad perpendiculum scopuli, operæ pretium duxerit tempus terere.

Alium fuisse viæ auctorem demonstratur.

Quòd autem ad incisam in rupe Inscriptionem attinet: Visuntur quidem inibi, non Punici, ut nobis nonnemo olim imposuit, sed Gothici characteres ante ducentos non ampliùs annos in eo scopulo efformati, indices transitus per eam viam ad diem xv. Februarii M. CCCC. LXXIV. Nobilis Thomæ de Grimaldis quondam Dominici Januensis, de quo Carolus de Venasque in arbore Genealogica Gentis Grimaldæ pag. 154. Nec procul prostat in ipso scopulo excisa columella notas has numerales præferens XXXVI. quam lapidem milliarium credimus, tot enim ab Augusta Prætoria numerantur, si ad veterum Romanorum mensuram milliaria nostra moderna, quæ sunt paulò longiora, reducamus. At verò de Annibalis transitu, ne verbum quidem. Hinc cum Josia Simlero, qui accuratissimè de Alpibus scripsit, notare cogimur Jovium nimiæ credulitatis, dum, postquam dixit: *Has rupes ignibus, acetoque Annibalem perfregisse multi opinantur*, subdit postea de suo penu: *uti apud Barrum ejus itineris pagum, perpetuo tanti Ducis gloriæ monumento litteræ ipsis cotibus inscriptæ significant.* Fallitur, inquam, nihil enim tale, neque apud Donasium, neque apud Barrum, seu Bardum, quem locum cum Donasio confundit, legere nobis datum est, licèt totum eum tractum, adhibitis regionis illius peritis sociis, attentissimè lustraverimus. Quamobrem neque Luithprandi Ticinensis auctoritas urget, asserentis lib. 1. cap. 9. Arnulphum Regem quoniam ex Italia in Germaniam, per Veronam non poterat, *per Annibalis viam, quam Bardum dicunt, & Montem Jovis repedare disposuisse.*

Inscriptionis in rupe excisa argumentum.

Ut igitur ab eis etiam dissentiamus, qui viam hujusmodi adscribunt, sive Neroni Imp. seu Marchioni cuidam Montisferrati, cujus tamen nomen, & tempus reticent, cùm antequam Monferratenses rerum in ea vicinia potirentur, jam iter illud ac via frequentaretur, fateri cogimur, sin minus C. Julio Cæsari, ut indicare videtur Simlerus, dum de Alpibus Penninis agit, at admodum probabiliter Octaviano Augusto adscribi oportere. Audiendus unus instar omnium Strabo de Augusto dicens, eum gentes Alpinas, quæ viatoribus insidiabantur, sic domuisse, ut iter, quod olim erat angustum, & superatu difficile, multis nunc locis pateat, rutumque sit ab injuria hominum, & expeditum. *Nam Augustus Cæsar*, inquit ille, *latronum excidio viarum structuram adjecit, quantam omnino licuit perfici. Neque enim potuit ubique vi perrumpere naturam saxorum, & ingentium præruptarum rupium,*

Quis probabiliter viæ hujus auctor sit.


pium, alias viæ impendentium, alias subjacentium, ita ut, vel leviter è via egressi in periculum venirent inevitabile, cùm in fundo carentes valles esset decidendum. Ibi quidem alicubi ita arcta est via, ut, & peditibus, & jumentis non assuetis vertigo oboriatur. Describere mox aggressus eandem viam, *Salassorum*, inquit, *Regio ampla est in profunda convalle, montibus utrinque includentibus: quamquam alicubi etiam ad superincumbentes attollitur vertices. Qui, ex Italia profecti, montes illos superare volunt, iis iter est per eam convallem, deinde in duas vias scinditur, quarum quæ per Penninas fauces tendit ad summitates Alpium, jumentis est inaccessa, altera per Centrones magis est occidua.* Hactenus Strabo. Ambas hasce vias, per Penninas scilicet Alpes, seu Montem Jovis, nunc D. Bernardi Majoris, atque per Centrones, nunc Tarentasios, seu Montem D. Bernardi Minoris, describit in Itinerario Antoninus Eporediâ Augustam, ac consequenter per Donasii Oppidum intermedium. Priorem quidem,

Eporedia Vitricium	M. P. XXI.
Augusta Prætoria	M. P. XXV.
Summo Pennino	M. P. XXV.
Octoduro	M. P. XXV.
Tarnade	M. P. XII.

Alteram verò,

Vercellis Eporediam	M. P. XXXIII.
Vitricium	M. P. XXI.
Augusta Prætoria	M. P. XXV.
Arebrigium	M. P. XXV.
Bergintrum	M. P. XXIII.
Darantasia	M. P. XVIII.

Quanta porrò præstiterit Augustus in muniendis per Orbem Romanum viis, clamant passim vetera monumenta. Extant frequentes apud Goltzium nummi in honorem ejusdem Augusti cusi, hisce notis inscripti: S. P. Q. R. IMP. CÆS. AVG. QVOD VIÆ MVNITÆ SVNT. Quid peculiariter verò in tractu Salassorum, & Penninarum Alpium egerit, Augustæ Prætoriæ nomen, & plures, quas alibi adduximus, Augusto dicatæ marmoreæ Inscriptiones, abundè testantur. Quare ut uno verbo dicam, nullus est alius, neque Annibal, neque Heros, cui Donasianam viam acceptam referre magis, quàm C. Julio aut Augusto Cæsari debeamus.



DESCRIPTIO MONTIUM S. BERNARDI MAIORIS ET MINORIS,

Per quos Transitus est inter Alpes.



Arum Alpium, quæ Salassos, sive Val-Augustanos à Veragris, sive Valesianis dividunt, summum Jugum olim Penninum dictum est, vel quòd Penini Dei Juvenili facie efformati inibi coleretur simulacrum, marmorea basi eminens, hujusmodi notatâ Inscriptione: *Alpes Pennina unde sic dicta.*

LVCIVS LVCILIVS
DEO PENINO
OPTIMO
MAXIMO
DONVM DEDIT.

Vel quòd inter cætera Montium Juga deducto etymo à prisca Celtarum voce *penna* sive *pinna*, unde Apenninus, pinnaculum, similesque voces, eminere maximè videntur. Unde Cæsar Bell. Gall. lib. 3. ad summum hunc Alpium verticem adludere visus est, cùm ex Gallia in Italiam proficiscens, *Ser. Galbam cum legione duodecima, & parte Equitatûs in Antuates, Sedunosque misit, qui à finibus Allobrogum, & Lacu Lemano ad summas Alpes pertinent; Causa mittendi fuit, quod iter per Alpes, quò magno cum periculo, magnisque portoriis Mercatores ire consueverunt, patefieri volebat.* Hactenus Cæsar. Nec verò audiendos putamus eos, qui Alpibus Peninis (eæ sunt inter Graias, & Lepontias, ubi nunc Tarentasienses, & Valesiani inferiores, inter utriusque S. Bernardi Montes) ab Annibalis Pœnorum, sive Carthaginensium Ducis transitu nomen factum putant. Annibalem enim ex finibus Vocontiorum, & Druentia flumine, uti Polybius & Livius perhibent, in Taurinos transgressum, non Penninis sed Cottiis ad Matronam montem, & Secusinam Civitatem Alpibus transiisse pro comperto habemus. Igitur qui Penninus hactenus dictus fuerat, Octaviano Augusto Rerum Romanarum potito Jovis dici cœpit, postquam ejus imperantis industriâ invia antea itinera patuerunt. Siquidem, ut ait Strabo Geogr. lib. 4. *Augustus Cæsar, ad latronum delendas insidias, magnum quantum potuit viarum apparatum apposuit. Non enim, propter vastissima petrarum ingentium præcipitia, ubique naturam violare fas fuerat, cùm aliquas ad partes adeò limes angustus sit, ut & viatoribus, & jumentis, præsertim insuetis vertiginem oculorum afferat. His cùm nulla præstare liceret remedia, neque glacialibus crustis, quæ supernè & quidem lubricæ illabentes universam occupant semitam, & in subjacentes extrudunt Valles. Frequens enim super glaciem glacies invicem incumbit ingruentibus maximè nivibus, antequam in superficie omnino solibus dissolvantur. Salassorum quidem Regio magna est, profundam utrinque Vallem agrumque claudentibus rupibus, eorum etiam pars in superiora extenditur cacumina. Illis itaque qui ex Italia supra montes positi sunt, una per Vallem jam memoratam via est. Indè trifariàm dividitur, una quidem per* POENINVM *ducit per* ALPIVM SVMMITATES, *jumentis inaccessibilis: Altera per Centrones prolixior.* Jovis, inquam, eodem Tempore Mons Penninus dictus est: nam Terentius Varro Militum Præfectus ad Salassos Romanis infestos delendos missus, dejecto, quod diximus, Pennini delubro, marmoream Jovis statuam in eodem monte, non longè à Lacu, unde exoritur fluvius Bautegius, qui se rapido cursu in Duriam Baltheam exonerat, locavisse fertur, additâ marmori suppedaneo hac Epigraphe, in rei gestæ perpetuum monimentum. *Mons Penninus etiam Jovis dictus.*

IOVI O. M.
GENIO LOCI
FORTVNÆ
REDVCI
TERENTIVS
VARRO
DEDIC.

Romanis enim loca editissima mos fuit Jovi, quem etiam pro ipso Cælo sæpè acceperunt, consecrare: unde loco postmodùm nomen mansit, quod adhuc hodie durat *Mont-Ioux.* Sicut alius in Augustensi Valle Mons Oppido insignis, ascensu, descensuque Viatoribus perquam molestus, minoris Jovis, vulgo *Mont-Iouët*, nomen etiamnum retinet: uti minori, quod inferiùs dicemus, S. Bernardi Monti,

Columnæ Jovis olim vocabulum fuit inditum.

Mons Jovis nunc S. Bernardi Majoris.

Cæterum hodie ab Italis Major, quem dixi, à Salassis, sive Augustanis, duce in Veragros, sive Valesianos, Mons S. Bernardi magni, *il Gran S. Bernardo*, titulo communiter appellatur. Hujus rei causam hîc edicere operæ pretium fuerit. Frequens erat æstivo præsertim tempore ex Germania, Galliaque in Italiam transitus per Montem Jovis, non singulis modò Viatoribus, verùm etiam numerosissimis exercitibus, sicut memorat Regino. Anno D. CC. LXXIII. Carolus Magnus Francorum Rex cum exercitu Italiam contra Desiderium Longobardorum Regem Romanæ Ecclesiæ infensum intraturus, *per Montem Cinisium perrexit, & misit Bernardum Avunculum suum cum reliqua parte per* MONTEM JOVIS. Sic apud eundem Scriptorem Anno D. CCC. XCIV. Arnolphus Germanorum Rex, postquam cum militaribus copiis Longobardorum in Italia terminos est ingressus, *Indè conversus per Alpes Penninas Galliam intravit, & Sanctum usque Mauritium pervenit. Rudolpho, quem quærebat, nocere non potuit, quia montana conscendens in tutissimis locis se absconderat, Regionem inter Juram, &* MONTEM JOVIS *exercitus graviter attrivit*; attamen hyberno tempore, altissimis nivibus viam omnem, & semitas obstruentibus, ineunteque vere, cùm ex undequaque exurgentibus Montium Jugis, in imas Valles, quà transeundum, persæpè horrendo præcipitio super incautos Viatores ingenti mole avulsæ dilaberentur eædem nives: frigoris præterea tanta inesset vis, ut eo interdum Viatores quantumvis robusti enecarentur; nec in jugo herbis arboribusque omninò destituto, sed solis in immensum elatis scopulis horrescente, locus esset ullus, quo, aut ventis, nivibusve adflicti, aut gelu frigoreve adusti, aut fame, siti, lassitudine, ægritudineve erecti se reciperent miseri Viatores: Quin etiam cùm frequenti famâ ubique per circumstantes populos vulgaretur, infestissimos humano generi, Christi præsertim cultoribus, cacodæmones transeuntium per eos montes vitæ solere insidiari, alios per avia raptos, alios per ima præcipites datos, hos supernè ab hoste maligno lapidibus obrutos, hos in transitu suffocatos, multis, concitatis sævissimis procellis, & tempestatibus, terrorem, sin minùs damnum, incussum, suscitavit Deus Spiritum Sancti Bernardi de Mentone, non equidem, ut nonnulli falsò opinati sunt, Abbatis illius Claravallensis, sed alterius antiquioris, natione Sabaudi, ex antiqua, prænobilique in Gebennesio familia de Menton, Archidiaconi Augustensis, *qui vitam potiùs, Angelicam, quàm humanam degens* (verba sunt Philippi Ferrarii in Catalogo Sanctorum Italiæ, 15. Junii, qui tamen in eo erravit, quòd Bernardum Augustæ Prætoriæ in Salassis ortum facit, cùm ibi fuerit tantùm Archidiaconus) *litteris sacris probè instructus per Urbes finitimas, Castella, & Pagos prædicans magna fecit animarum lucra. Ad* MONTEM JOVI *consecratum profectus, ea loca à Dæmonum, qui accolas, & transeuntes vexabant, multitudine liberavit, Cœnobio ibi extructo, quod etiamnum manet; omnes ex Italia in Galliam, & ex Gallia in Italiam advenientes excipiens, & Sancti Bernardi, unà cum Monte vocatur.* Hujusce tam necessarii publico gentium omnium commodo Cœnobii, in quo Canonicos Divi Augustini Regulares uni Præposito subditos locavit, fundatio contigisse memoratur ad Annum reparatæ salutis D. CCCC. LXII. ex quo tempore qui ad id institutum à Deo vocati fuerunt Religiosi, divinis psallendis in Chorò laudibus, peregrinisque nationum alacriter, humaniterque excipiendis sedulam navant operam, quamvis ii Sabaudiæ Ducis soleant esse subditi, in cujus ditione situm est præfatum Monasterium: quod licèt fundator B. Mariæ Virgini, Divoque Nicolao Tutelaribus suis sacrum esse voluerit, hodie tamen S. Bernardi Magni communiter nuncupatur: ad eamque ecclesiam, quam plures Sanctorum Reliquiæ, magnique pretii argentea, atque aurea sacra vasa commendant, invisendam Religionis, pietatisque ergò convenire solent, non modò ex minutiori plebe, verùm etiam supremi Principes, & Magnates, quod ante multos annos Regiæ Celsitudines Caroli II. Sabaudiæ Ducis nunc Regnantis, ejusque piissimæ Matris Christianæ Francicæ Sabaudiæ, non sine pietatis sensu intimo præstiterunt, relictis inibi religiosæ munificentiæ monimentis.

S. Bernardus de Mentone nominis auctor.

Mons Columnæ Jovis nunc S. Bernardi Minoris.

Non satìs fuit eximio Viro Dei Bernardo quæ diximus in Monte Jovis fecisse, nisi id ipsum in supradicto Monte, qui ex Salassis in Centrones, sive ex Augustensi Valle in Tarentasienses ducit, præstitisset. Is cùm Mons Columnæ Jovis diceretur, acceptâ denominatione à Marmorea Columna, cujus in summo eminebat Lapis carbunculus, seu pyropus, quem Jovis oculum dicebant, ut fert veterum traditio, non modò, dejectâ Columnâ, quod idem in Monte Jovis æquè præstiterat, Dæmones Viatoribus similiter insidiantes indè ejecit, verùm etiam aliam Hospitalem domum, sub eorundem Regularium Ordinis sui Canonicorum regimine, perpetuò ad viatores excipiendos inhabitandam, inibi ædificavit, quæ quia minoris molis est, minoreque Religiosorum numero habitatur, Minoris S. Bernardi, vulgò *le Petit Sainct Bernard* apud Gallos, *San Bernardo il Piccolo* apud Italos nomen obtinuit.

Finis Partis I. *Tomi* II.

INDEX
PRIMÆ PARTIS
VOLUMINIS II.



A LA HAYE Chez RUTGERT CHRISTOFFEL ALBERTS 1725.

NOVUM THEATRUM PEDEMONTII ET SABAUDIÆ,

SIVE

ACCURATA DESCRIPTIO

IPSORUM

URBIUM, PALATIORUM, TEMPLORUM &c.


TOMI. II. PARS II.

CONTINENS

Descriptionem & Tabulas Urbium, Castrorum, præcipuorumque Locorum in VERCELLENSI & ASTENSI agris, in PEDEMONTIO & in Marchionatibus NICÆÆ & MONTISFERRATI.

Juxta delineationes Ichnographicas ibidem exhibitas summâ curâ & diligentiâ ipsis in locis accuratioris delineationis ergo exaratas.

Omnia in ordinem digesta.





HAGÆ-COMITUM,
Sumptibus & Curâ RUTGERI CHRISTOPHORI ALBERTS.
M. DCC. XXVI.



DESCRIPTIO QUARUMDAM PROVINCIARUM ET URBIUM In Statibus Domûs SABAUDIÆ.

INTRODUCTIO.




N Deſcriptionibus Geographicis quas initio primi ac ſecundi voluminis legiſti, index reperitur Provinciarum quibus Sabaudi ſtatus, cis & ultra montes conſtant. At eas naturali eo ordine deſcribere penes me non fuit: alioquin totum, quod alter jam ordinaverat, opus invertendum eſſet; nec tamen ſine ratione in hac ultimâ parte, Provinciæ quædam & urbes reſervantur; hæ enim acquiſitionis tantum jure ad Sabaudos Principes pertinent: Reverâ Vercellenſis, Biellenſiſque Ditiones, Aſta Pompeïa, Ceva, Tenda, Onelia, Barcinona, Nicea cum tractibus ab eis pendentibus, Cuneumque Claraſcum, Mons Regius &c. à Pedemontio aut à Sabaudiâ ſemper diſtinctæ ſunt; ſuiſq; Dominis aut Rerumpublicarum more adminiſtratæ. Sed temporis tractu Sabaudi Dominii pars evaſere ſeu ex pactis ſeu matrimonialibus conditionibus, ſeu ſpontaneâ deditione, quo contra potentiores vicinos protegerentur. Quid de

de jure earum acquisitionum initio hujusce voluminis dictum est non referam; Lectoris tamen facilitati satisfacturum arbitror, notando eas Provincias ad austrum & ad orientem Pedemontii esse aut in Monteferrato, atque in illis sequentes urbes oppidaque reperiri.


Dominium Vercellense in quo Bielensis ditio Masserani Principatus, & Andurni Marchia.	VERCELLÆ. *Santya.* *Gattinara.* *Bugella.* *N. D. Oropæ.* *Masseranum.* *Andurnum.*
Astensis Comitatus.	ASTA POMPEIA. *Villa nova Astensis.* *Carthusia.* *S. Damiani Fanum.* *Verrua.* *Crescentinum.*
In Pedemontio.	BRAIDA. *Clarascum.* *Fossanum.* *Benæ.* *Sarmatorium.* *Ceva.* *Mons-Regius.* *Garresia.* *Ormea.* *Carthusia Peziensis.*
In Salutiarum March.	DEMONTIUM.
In Comitatu Tendæ.	TENDA.
In Principatu Oneliæ.	ONELIA. *Aquadulcis.* *Torbia.*
In Nicææ March.	NICEÆ. *Villa-Franca.* *Hospitellum.* *Saurgium.* *Vilartium.*
In Monteferrato.	CASALE S. EVASII. *Trinum.* *Alba.* *Curtimilium.* *Dolianum.*





CITTÀ DI VERCELLI.
1. S. Vittore, P P. Foglienſi, é Diſcipl.ti
2. S. Spirito, Diſciplinanti.
3. S. Spirito, Monache.
4. Capuccini.
5. S. Salvatore. Parochia.
6. S. Maria de' P P. del Carmine.
7. S. Tomaso, Parochia.
8. Corpo di Guardia maggiore.
9. Torre dell'Angelo.
10. S. Michele, Parochia.
11. S. Marco, P P. Herem.ni S. Agost.o
12. S. Catterina, Diſciplinanti.
13. S. Agata, Monache.
14. Monte di Pietà.
15. S. Bernardo, P. P. Congr.ne Lombard.a
16. Il Collegio del Pozzo.
17. S. Maria Maddalena P. P. Somm.
18. S. Pietro Martire. Monache.
19. S. Luca Parochia.
20. l'Hoſpedal Maggiore.
21. S. Andrea. Can.ci Reg.ri Lateranensi
22. S. Antonio Abbate Diſciplinanti.
23. S. Carlo, Seminario.
24. Il Duomo, S. Eusebio, Parochia.
25. Capella del depoſito del B. Amedeo, e d'altre R R. A A. di Savoja.
26. Il Vescouato.
27. S. Pietro.
28. S. Donato, Parochia.
29. S. Bernardino, Diſciplinanti.
Strada di Val Sesia
Strada di Milano
Strada di Palestro
Strada di Casale
Sesia F.
Molino
Porta di Milano
Porta del Castello
Castello
Cittadella
Piazza d'Arme
Piazza del Duomo
Rialto
Seitentrione
Mezzogiorno
Porta di Torino
Strada di Gattinara
Molino nuovo
30. S. Steffano, Abbatia.
31. S. Nicolà Diſciplinanti.
32. Il Giesù ó sü la Trinitá de' Padri Giesuiti.
33. S. Maria Maggiore, Parochia.
34. Colleggio dell'orfanelle.
35. S. Gioſeppe, Confraternità.
36. S. Franceſco Min: conuent.li
37. S. Gratiano, S.ta Clara Parochia, e Monache.
38. S. Agnete Parochia.
39. S. Sebaſtiano, Diſciplinanti.
40. l'Annonciata, Monache.
41. S. Giuliano. Parochia.
42. S. Margarita, Monache.
43. S. Criſtoforo, Chier: Reg: S. Paolo.
44. S. Lorenzo, Parochia.
45. S. Paolo, P P S. Domenico.
46. S. Anna, Diſciplinanti.
47. S. Maria delle Gratie, Madri della Viſitatione.
48. S. Giacomo Parochia, e Commenda di Malta
49. Quartier nuovo per l'Infanteria.
44.




URBIS
VERCELLENSIS,
à
CAROLO EMANUELE II.
Allobrogum Cypriorumque REGE,
RECUPERATÆ,
NOVA EFFIGIES
ATQVE MUNITIO.



PORTE DE VERCEIL du costè de Milan.





DESCRIPTIO CIVITATIS
VERCELLARUM.

Antiquitas.



DE Vercellensi Urbe meminerunt Plinius, Ptolemæus, Polybius, Livius, Strabo, Cicero, Martialis, Dionysius Afer, Silius Italicus, Tacitus, Antoninus, aliique Scriptores prisci, è quibus constat, eam inter antiquissimas, & maximè celebres esse meritò numerandam. Qui Phaëtonti, Herculi Libyco, Venerive Trojanæ ejus fundationem, denominationemque acceptam ferunt, nugas referunt, fabulasque. Propius vero est quod inquit Plinius, Vercellas Libycorum populorum (hi dicti aliter Libui, sive Lebitii, à Duria Baltea ad Sessitem fluvium pertinebant) primariam Civitatem, ex Saliis ortas, ex Montanis videlicet Inalpinis, qui à Nicæa ad Aquas usque Sextias Provinciam incolebant. Quod autem de Phaëtonte, sive Hercule Libyco fabulantur, commento excogitando fortassis dedêre causam ii, quos paulò antè commemoravi, Libici, seu Lebitii. Horum quondam Oppidum Forum Lebitiorum, nunc *Borgo Lavezzaro*, positum Vercellas inter Novariamque, non procul abest à Monte, unde lapis, excavandis lebetibus opportunus, potuit regioni fecisse nomen. Quòd si à Venere deducere lubet etymon, cur non dicamus Vercellas, quasi Veneris cellas? ob cultæ quondam ibidem Veneris fanum aliquod, adjacentesque eidem cellas impuræ libidinis receptacula, quæ ut ex Eusebio, & Sozomeno scribit Baronius, latâ lege Constantinus Imperator sustulit. Nec Veneri solùm, verùm etiam Apollini, peculiari in ea Urbe forsan litatum cultu, quod Apollineas Vecellas appellaverit Martialis; nisi fortasse ad Musarum, carminumque vigens ibidem studium potiùs referamus. At has, obscuræ conjecturas antiquitatis, aliis, quibus plus otii, relinquimus ultrò discutiendas.

Nominis ergo.

Situs.

Sita est hæc Civitas in amoena planitie propè Sessitem fluvium, incolis *Sezia*, qui ex aquis Cervi, Alpini amnis, factus tumidior, antequam Eridanum fluviorum Regem ingrediatur, Sabaudicam à Mediolanensi discriminat ditionem. Ager circumstans concedit paucis rerum copiâ, atque fœcunditate, tritico imprimis, orizâque, carnibus, omnisque generis, tam silvestribus, quàm domesticis volatilibus. Nec desunt in Vercellensium finibus cognitæ veteribus Ictimulorum aurifodinæ, de quibus Plinius lib. 33. cap. 21. ait, lege Censoriâ cautum esse, nè Publicani plus quàm quinque millia hominum in ejus metalli effodiendi opus haberent.

Agri fœcunditas.

Variæ Urbis clades.

Vercellensium non eadem semper fuit olim potentia, & numerus incolarum: nam quamvis à Tacito firmissima inter Transpadanæ Regionis Municipia numeretur, D. Hieronymi tamen ævo, multiplices temporum injurias passa Civitas, à pristino non parùm splendore, frequentiaque exciderat, sic enim epist. 49. de illa scribit: *Vercellæ Ligurum Civitas, haud procul à radicibus Alpium sita, olim potens, nunc est raro habitatore semiruta.* Pergit narrare factum Mulieris cujusdam Vercellensis, cujus falsò adulterii accusatæ, septiesque à carnifice, jubente Judice, gladio ictæ, prodigiosâ incolumitate Deus testari voluit innocentiam. Hujus porrò Urbis per hæc tempora excidium, atque clades acceptas referre debemus Gothorum furori atque sævitiæ, sub Vitige, atque Alarico Liguriam, & Insubriam pessundantibus. A Gothis, post magnam rerum vicissitudinem, Vercellæ transiêre ad Langobardos, atque ab iis ad stirpem Caroli Magni Francorum Regis, atque Occidentalium Imperatoris: tandem ad Italiæ Reges, Cæsaresque, qui in Germania, & Italia utcunque imperârunt. Verùm his, ob conflatum contra Romanam Ecclesiam Schisma, ab Italiæ imperio exturbatis, Vercellenses, quandam amplexi libertatis, atque Reipublicæ formam, cum aliis Insubriæ Civitatibus fœdera contraxerunt, propriasque sibi dicentes leges, pace belloque claruêre, ac cum finitimis sæpe, dissitisque, Marte congressi sunt. Cùm autem exortis inter eos, ut inter reliquos Italiæ populos, intestinis dissidiis, priùs quidem inter Bicherios, Bulgarosque ex parte una, atque Advocatos (seu Avogrados dicere mavis) ex parte altera, tum inter Advocatos eosdem, Titionosque, qui nobilitate præstantes, Guelpharum, atque Gibellinarum factio-

Dominorum varia mutatio.

Dissidia intestina.

factionum in Italorum exitium suscitatarum, se Duces & Capita præferebant, advocare Principum extraneorum regimen coacti essent, tandem in potestatem Vicecomitum, Principum Mediolanensium devenerunt, qui ut sibi Civitatis dominium validiùs obfirmarent, munitissimam in ea Acropolim, atque expugnatu difficile Castrum, quà respicit Cervum fluvium, excitârunt. Postremus, Vicecomites inter Vercellensium Dominus fuit Philippus Maria, qui ut Mariæ Sabaudæ nuptias sibi conciliaret, in Amedeum VIII. Primum Sabaudiæ Ducem, Mariæ Patrem, inque ejus Regios Successores, Vercellensis Civitatis, Comitatûsque dominium, Anno M. CCCC. XXVII. tabulis super ea re confectis publicis, trânstulit.

Unà cum novo Sabaudicæ familiæ dominatu, felicitatem Vercellenses primævam recuperârunt: à diutinis enim vexationibus respirantes, pacificos plusquam sæculi unius spatio tranquillosque vixêre dies, quousque Gallis, Hispanisque in Ora Pedemontana, Insubriaque obstinatè bellum gerentibus, nunc ab his, nunc ab illis lacessita Civitas, bisque obsessa, bis expugnata fuit. Tandem ab Hispanis Carolo Emanueli II. Duci postliminio restituta, ne ita facilè insultantibus iterum cedere cogeretur, novâ murorum (quos quatuordecim Regalia propugnacula, tormentis apprimè munita distinguunt) accessione, novisque aggerum, fossarum aquâ oppletarum, lunatorumque extrinsecus operum, ad perfectissimam artis normam, brevi temporis intervallo, additis structionibus, non sine ingenti auri profusione, in eam tandem speciem defensionis redacta est, accedente præsertim numeroso, sub vigilantissimo Gubernatore, Militum præsidio, ut nihil ultrà ab hostibus timeat, jureque meritò inter Europæ totius Urbes maximè spectabiles computetur. Licèt verò esse videatur nunc, quàm olim fuerit, populo minùs frequens, sperandum tamen est ab ea brevi pristinum splendorem resumptum iri.

A Carolo Emanuele II. Vercellæ summa arte munitæ.

Quod ad res sacras attinet, fide Christianâ ab Apostolorum usque temporibus Vercellenses imbutos se gloriantur; nonnullis D. Petro Apostolorum Principi, aliis D. Barnabæ Liguriæ illustratori diffusam in Vercellensi tractu prædicationem Evangelii opinantibus. Ea verò terræ commissa bonæ sic altas radices egit, atque in tantum crevit, ut neque ab aperta Gentilium, neque ab occulta Hæreticorum vi quiverit unquam ab eo divelli solo: quin immò adunatâ, sub auspiciis Leonis IX. Romani Pontificis, Anno M. L. generali ibidem Synodo, contra Berengarium Archidiaconum Turonensem, de Sacrosancta Eucharistia perperam sentientem, Fidei Catholicæ confessio est asserta.

Incolæ Fidei Christianæ tenacissimi.

Inter Vercellenses Episcopos, Mediolanensis Metropolis Suffraganeos, S. Eusebius natione Sardus, Patriâ Calaritanus, egregius contra Arianos prò eadem Catholica Fide pugil, primus numero recensetur. Eorum, qui Eusebio successerunt, plurimi non minùs Sanctitate, quàm nobilitate sanguinis commendantur. Sanctorum cultum (ut de nobilitate, conspicuisque natalibus multorum omninò taceam) promeruêre, præter Eusebium, Limenius, Honoratus, Cælius, Albinus, Justinianus, Simplicius, Maximianus, Lanfrancus, Æmilianus, Flavianus, Vedastus, Philosophus, Petrus, aliique, quos longum foret enumerare.

Episcopi Vercellenses Sanctimonia clari.

Vercellensis porrò Ecclesiæ ea fuit prærogativa, ut amplissimo regionum tractui ejus Præsul jus dixerit olim spirituale. Constat siquidem D. Eusebium cunctis iis populis præfuisse, qui non Vercellensem tantùm, qualis ea nunc est, sed etiam Novariensem, Augustensem, Eporediensemque Diœceses, quæ fuerunt postmodum erectæ, inhabitabant; fuit etiam, ut primo post Mediolanensem Metropolitanum in cœtibus Sacris sederet loco; quotiesque Romanorum Imperator ferreâ Italici Regni Coronâ insigniebatur, Imperialia de manibus Episcopi Vercellensis Insignia idem Mediolanensis Archipræsul acciperet; denique, ut ejusdem Italici Regni Archicancellarii, quod nunc præstat Archiepiscopus Coloniensis, penès Imperatorem eundem munere fungeretur: ac Civitatis ipsius per aliquod tempus temporali jure gavisus sit.

Ecclesiæ Vercellensis antiqua prærogativa.

Duæ eminent præclarissimæ in hac Urbe Basilicæ Cathedrales, quæ diu ad invicem de præcedentiæ privilegio contenderunt. Una quidem sub Divi Theonesti Martyris titulo, primitus ab ipsomet D. Eusebio, postmodum sub ipsius Divi Eusebii nomine, dedicata. Hæc antiquam amplamque admodum structuram præ se ferens propè mœnia Civitatis, Odeum habet recentiori reædificatum, atque sumptuosè ornatum manu: habet quoque attiguum Cœmeterium, Episcopale Palatium, Claustrumque Canonicorum. Innumeris prætereà Sanctorum Reliquiis exornatur, D. Eusebii imprimis, pluriumque ejus Successorum Beatorum Syllabo adscriptorum; nec non B. Amedei hujusce nominis IX. qui in ea Urbe diem extremum clausit, quod idem contigit Carolo cognomine Bono, atque Victori Amedeo I Sabaudis Ducibus. Sacris ministrantium in eo Templo numerus centenario major. Sunt imprimis Canonici quatuor & viginti (Cardinales S. Eusebii priscis sæculis nuncupati) cappis violaceis, & rochetto, pro temporum diversitate, utentes, inter quos Archidiaconus, Archipresbyter, & Præpositus eminent dignitate: reliquorum unus Theologi munus obtinet ex præscripto. His accedunt, Beneficiati Collegiales sexdecim, Capellani titulares triginta, Ceremoniarum Magister unus, Sacristiæ Præfecti duo, Custodes tres, duo Clerici: postremò Clericorum Seminarium, in quo alumni triginta esse consueverunt. Altera, quam Sanctæ Mariæ majoris dicunt, Cathedralis pariter appellatur, atque Cathedræ se olim honore insignitam asserit, antequam in S. Theonesti Templo Sanctus sederet Eusebius. Habet verò illa, præter Majoratûs dignita-

Duæ Cathedrales Basilicæ.

Una sub D. Eusebii nomine.

Altera Mariæ majoris.

dignitatem, Canonicos septem, cappâ similiter conspicuos, & rochetto, qui licèt per se faciant Collegium separatum, ad evitandas tamen contentiones, in hoc convenêre non ita pridem, ut in publicis supplicationibus, atque solemnitatibus, in corpus unum cum Eusebiano Capitulo coalescant, quartamque constituant ejus partem. Insunt etiam duodecim huic Basilicæ Capellani, aliique Clerici divinis inservientes ex vetere instituto.


Parochiales Ecclesiæ decem. Præter utramque hanc Cathedralem, habet Civitas Parochiales Ecclesias S. Michaëlis, S. Thomæ, S. Laurentii, S. Juliani, S. Agnetis, S. Gratiani, S. Jacobi, S. Salvatoris, S. Donati, quarum administratio est penès Presbyteros sæculares; Sancti denique Bernardi, curæ Augustinensium commendata. *Abbatiæ tres.* Abbatiæ numerantur omninò tres, quarum duæ nunc in Commendam redactæ: Eæ sunt *1. S. Stephani de Cittadella.* S. Stephani de Cittadella, à Monachis quondam Benedictinis, posteà à Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis diu inhabitata; at nunc, translatis aliò Religiosis ob novarum ad Acropolim, seu Cittadellam, à cujus vicinia nomen sumpsit, munitionum accessionem, diruta solo tenus, Abbatiali tamen penès Commendatarium titulo, unà cum ejus mensæ unitis proventibus, remanente: Secunda, *2. S. Petri de Mulegio.* S. Petri de Mulegio, quam iidem primum Benedictini, deinde Vallumbrosani Monachi incoluêre; eam (cùm bellorum causâ propriis tumulata ruinis diutius jacuisset) Gaspar Caprius, posteà Astensis Episcopus, ejusdem Abbas, à fundamentis refectam, sex commisit excolendam Religiosis. *3. Lateranensium.* Tertia, fundata circa Annum Christi M. CC. XX. à Gualla Bicherio, Patritio, & Episcopo Vercellensi, ac S. R. E. Cardinali, Canonicisque assignata Lateranensibus, eâ est structuræ magnificentiâ, redituum abundantiâ, Religiosorum numero, ut Summis Pontificibus, Regibus, Principibus, quoties per hanc Urbem transeundi se dedit occasio, sæpius cesserit in hospitium, atque ex Abbatibus suis, nonnullos viderit Episcopalibus infulis insignitos. *Cœnobia septem.* Degunt præterea intrà mœnia Dominicani, Minoritæ, Augustiniani, Carmelitæ, Fulienses, Jesuitæ, Barnabitæ. *Præpositura tres. Prioratus duo.* Insunt etiam Præpositura tres; Prioratus duo, & membrum S. Jacobi de Albareto, annexum Hierosolymitanorum Equitum Ordini, atque inter eos, Magnæ Cruci Longobardiæ.

Extra mœnia Cœnobia Virorum. Etra mœnia videre est elegantia, D. Francisci institutum profitentium, Cœnobia duo; unum Minorum de Observantia, auctore Divo Bernardino Senensi, dum circa Annum M. CCCC. XVIII. Dei verbum hac in Civitate Populo annunciaret; in cujus Templo Virgini Bethleemicæ Sacro, ab Yolante Sabaudiæ Ducissa, post B. Amedei Ducis, ejusdem Viri, obitum, ampliato, atque ornato, cum ea, quâ decet, veneratione servantur S. Favonini Confessoris, Beatorumque Antonii à Cremona, ejusdem quondam Cœnobii alumni, & B. Ugolinæ Virginis sacra Corpora; alterum Fratrum Capuccinorum, eo loco, ubi priscis temporibus Canonici Regulares operabantur in B. Mariæ de Vezolano attigua, quæ modò Cœnobitis hisce cessit, Ecclesia.

Deo famulantium fœminarum Monasteria diversi sunt instituti. *Virginum.* Sanctissimæ siquidem Annunciatæ, S. Mariæ gratiarum, & S. Margaritæ Sanctimoniales, Augustinianam; S. Petri Martyris, ac S. Spiritûs, Cistercienśem; S. Claræ, Franciscanam; S. Agatæ denique, Humiliatarum Regulam profitentur. *Domus Pietatis.* Non omittendæ tres Pietatis Domus, in quarum una pueri octo, in altera Orphani triginta, in tertia verò totidem Orphanæ sub suorum Magistrorum Matronarumve sedula cura aluntur, disciplinisque ac Christianis moribus informantur. *Hospitalia.* Commemoranda tandem Hospitalia quinque, quorum maximum, & maximè opulentum, juxta Pontificias Pii Papæ Quarti leges administratur; pleraque etiam, quæ singillatim numerare non vacat, *Sodalitia Laicorum.* Sodalitia Laicorum.

Viri Sanctitate clari. Protulit Vercellensis Civitas, præter eos, quos hucusque data occasione commemoravi, non paucos Sanctitate illustres viros, quorum nuda nomina, professionemque tantummodò indicamus, ne nimiùm crescat, compendio adstricta, relatio. Hos inter, antiquiores, S. Theonestus Martyr, S. Venantius Fortunatus Præsul Pictaviensis, S. Petrus D. Gregorii Magni Pontificis Summi Diaconus, S. Eusebius Archipræsul Mediolanensis, S. Gulielmus institutor, primusque Abbas Congregationis Montis Virginis in Regno Neapolitano, S. Olricus de Ordine Humiliatorum, B. Arditio de Lignana, unus è Sociis D. Francisci Assisinatis, B B. Candidus Rantius Franciscanus, Martinus Fontana Augustinensis, Bernardus Olivetanus, Adrianus Berzettus, Martinus de Serrata, Ugolina, Æmilia, Bruna, aliique utriusque sexûs, virtutibus summis prædití, ac hujus Patriæ illustratores. Protulit insuper tres S. R. E. Cardinales, Arditionem de Lignana, diversum ab eo, quem paulò superius nominavi, Guallam Bicherium, de quo peculiaris supra est facta mentio, & Mercurinum Arboriensem, Dominum Gattinariæ, post peractum in Caroli V. Cæsaris aula supremum Cancellarii, cum eximia laude, munus, atque post extinctam, quàm anteà duxerat, Conjugem, ad sacrum Purpuratorum cœtum evocatum. Protulit denique Archiepiscopum unum, Episcopos diversis in locis, ac Ordinum Religiosorum Generales Præfectos plures, enumeratos in Chronologica Pedemontanæ Ditionis Historia à Francisco Augustino ab Ecclesia Salutiensi Antistite, qui etiam claros litteris, armisque viros, quos eadem genuit Patria, Coronæ Sabaudicæ Parte Secundâ, ex professo enumeravit.

S. AGATHA vulgo SANTYA.



NAVIGLIO

1. Templum Parochiale S. Agathae.
2. Templum et Cenobium S. Francisci.
3. Templum et Sodalitium S. Laurenty.
4. Templum Parochiale S.^mae Trinitatis.
5. Templum et Sodalitium S.^mi Rosary.
6. Molendina Publica.
7. Porta et via Vercellensis.
8. Porta et Propugnaculum Principis.

DESCRIPTIO
S. AGATHÆ
OPPIDI
VULGO
SANTYA
IN
VERCELLENSI DOMINIO.

Situs.



Edio fermè itinere inter Vercellas, & Eporediam Civitates, quo loco, ut ait Regino, Anno DCCC. I. Carolus Magnus Imperator Legatos Aaronis Persarum Regis, nec non Ammirati Abraham in Africæ confinio imperantis, ad se cum muneribus missos excepit, sedet in longè latèque patente planitie Oppidum, *Sant-yà* dictum Pedemontanis, Latinis verò *Sanctæ Agathæ*, à vetusta D Agathæ Virg. & Mart. ibidem dicata Ecclesia. Ab Henrici III. Cæsaris usque temporibus, à quo Gregorius Fontana Episcopus Vercellensis S. Agathæ, nonnullaque alia circumcirca sita Castra donationis jure accepit, Comitatûs titulum, nonnisi locis admodum notabilibus tunc temporis dari solitum, prætulit. Capitaneatus etiam honorem habuit super non pauca oppida, quibus (quod ad armorum tractandorum rationem spectabat) S. Agathæ Capitaneus jus dicere consueverat. In spiritualibus subest Præsuli Vercellensi: qua de causa Jacobus Carnarius de Vialardis ejus Urbis civis, nobilitate conspicuus, & postmodum ex Canonico S. Mariæ, ac S. Eusebii Præposito Episcopus, Anno M. CC. XLI. dum in hoc Oppido aliquandò diversaretur, fuit ibidem ad superos evovatus; post cujus mortem Ecclesia Vercellensis possidere desiit ejusdem Civitatis & Comitatûs jurisdictionem, à Legato Pontificio in Cives ipsos venditione translatam.

Regimen & privilegia prisca.

Circa id tempus S. Agathæ Oppidi Ecclesia nobilitata est Canonicorum Collegio, sub Præpositi unius, sive, ut vocare consueverunt, Majoris, regimine. Habuit insuper perantiquam in suburbio, sive Burgo S. Salvatoris Ecclesiam, quæ, ut constat ex Innocentii II. ad Annum M. C. XL. privilegio, suberat Monasterio S. Jacobi de Bessa. Aderat non longè ab ejusdem Oppidi mœnibus elegans Minorum de Observantiâ Cœnobium, Religiosorum numero, Templi D. Francisco dicati nitore, locique, hortis nemoribusque jucundis consiti amœnitate omninò visendum. Verùm, cùm, furentibus Avorum nostrorum ævo, inter Gallos, atque Hispanos, Martialibus odiis, solo æquatum esset, aliud intra Oppidi septa, situ tamen angustiore, minorisque Monachorum numeri capace, Incolæ ædificarunt. Jam pridem, circa Annum scilicet M. CC. sævientes in Vercellensi tractu Civiles discordiæ, pristinum huic Oppido decorem excusserant, diuque jacuerat dirutum fermè à fundamentis. Attamen eorundem Vercellensium operâ, qui eo loci plures suorum civium Colonias, nobilium etiam familiarum deduxerunt, elegantius instauratum, in tantam amplitudinem exsurrexit, ut Incolarum inibi opibus admodum præstantium frequentia, ac advenarum loci opportunitate illectorum, concursus non parvus esset. Unde factum est, ut seprum longo muro-

Loca Deo sacra quæ olim habuit.

Ao. M. CC. Oppidum solo ferme æquatum.

A Vercellensibus elegantius instauratur.


murorum, & turrium ambitu idem Oppidum, potuerit, Militaris præsidii ibidem Præfectis Ludovico Birago Mediolanense Gallicarum partium studioso, nec non Domino de Bonnivet Gallo Anno M. D. LIX. eludere validissimi exercitus Hispanorum conatus, dum ab iis, ductore Albano Duce, Mediolanensis Ducatus Gubernatore, ac Caroli V. Cæsaris in Italiâ Generali Locumtenente (qui inde re infectâ Vercellas regredi coactus est) longâ, pertinacique premeretur obsidione. Facilius fuit Sabaudis Principibus eo semel, iterumque potiri; primò quidem, cùm, sancitâ pace, Anno M. CCC. LXXVIII. inter Amedeum cognomento Viridem Sabaudiæ Comitem, Gregorii XI. Romani Pontificis, Caroli IV. Imperatoris, ac Joannæ Siciliæ Reginæ (qui unà fœdus sanciverant contra Galeatium Vicecomitem, Mediolanensium Dominum) copiarum Capitaneum Generalem ex una parte, nec non eundem Galeatium ex alia; Sabaudiæ Comiti cessit S. Agatha, unà cum finitimis pluribus inter Duriam, Baltheam, atque Sicidam fluvios sitis oppidis; secundò verò, cùm Anno M. DC. XXXIX. Civilium bellorum furore omnia pessundante Thomas à Sabaudia Princeps, post arctam obsidionem, fame coactos Incolas, Dominumque de Boisdavid Nobilem Gallum loci Gubernatorem, armorumque Præfectum in pacis conditiones à se ultrò accipiendas adstrinxit XVIII. Cal. Julias: nequicquam nitentibus Vallettano Cardinali, Villæque Marchione, suppetias obsessis ferre, victualiaque in Oppidum importare; quod ut agerent, jam ultra Duriam copias suas trajecerant.

Ab Hispanis frustra oppugnatur.

Occupatur primò ab Amedeo Viridi Duce Sabaudiæ.

Secundò à Principe Thoma à Sabaudia.





BVGELLA CIVITAS.

Index Rerum magis notabilium.

1. Porta Vercellina.
2. Templum Sodalitatis S. Marthæ.
3. Templum, et Confraternitas S.ma Trinitatis.
4. Templum S.tæ Mariæ Majoris.
5. Templum Parochiale, et Colleg. S.ti Stephani.
6. Baptisterium, olim Templum Idolorum.
7. Sacellum S.ti Michaelis Archangeli.
8. Templum et Cœnobium S.ti Petri P.P. Heremitarum D. Augustini.
9. Templum et Collegium P.P. Societatis Iesu.
10. Porta S. Cassiani sive Novariensis.
11. Templum, et Confraternitas S. Cassiani.
12. Confraternitas S. Nicolai de Tolentino.
13. Sacellum S. Ioseph, et via versus Montes Oropæ.
14. Templum et Cœnob. P.P. [illegible] D. Hieronymi.
15. Templum et Cœnobium F.F. Heremitarum Discalceatorum D. Augustini.
16. Porta Ripæ sive Andurnensis.
17. Templum Sodalitatis S. Pauli.
18. Seminarium Innocentium.
19. Templ. et Cœnob. F.F. Min. Conv. S. Francisci.
20. Temp. et Colleg. P.P. Congregationis Somaschæ.
22. Templum Sodalitatis S. Annæ.
23. Porta Torracea, sive Oropensis.
24. Templum et Cœnobium Capuccinorum.
25. Acquæductus.
26. Forum publicum.
27. Palatium et horologium urbanum.
28. Templum parochiale S.ti Iacobi Apostoli.
29. Templum Sodalitatis Sanct.mæ Sindonis.
30. Templum et Cœnobium S.ti Dominici.
31. Templum Monialium S.tæ Catharinæ.
32. Porta Vernati sive Hipporediensis.
33. 34. 35. Sacella S. Rochi.
36. Templum et Cœnobium Canon. Reg. Later.
37. Templum et Cœnobium S. Antonii de Padua.
38. Templ. Parrochiale S. Blasii.
39. Mons Pietatis.
40. Sacellum S.ti Eusebii.

DESCRIPTIO
URBIS
BUGELLÆ
IN
VERCELLENSI DOMINIO.



Ugella est Italis *Biella*, nonnullis veteribus monumentis *Buiella*. *Nominis origo.* Eam ab arboris cujusdam multitudine, *Bioglio* dictæ ab incolis, qui ad componendos doliorum vinariorum circulos eâ utuntur, in circumpositis collibus latè provenientis, cujusque publicum ejusdem Civitatis Insigne figuram præfert, nuperus, atque eruditus auctor nomen credidit accepisse. Non defuêre tamen, qui Brucellam dictam aliquandò contendant, quasi Bruticellam, quòd scilicet ibidem D. Brutus, cui post Cæsaris necem Galliæ Cisalpinæ imperium obtigerat, videatur diversatus aliquandò fuisse. Quamvis illa numquam, *Privilegia.* ut perperam vulgus ignarum putat, ornata fuerit Cathedrâ Episcopali (Præsuli enim in spiritualibus semper paruit Vercellensi) Civitatis tamen gaudet, ex indulto sui Principis, privilegio, Provinciamque habet satis amplam, frequentibusque refertam Oppidis, à se, veluti à capite dependentem. Ampliorem verò habuit forsan olim, quo tempore in Cæsareis diplomatibus Curtis magna meruit *Antiquitatis vestigia.* appellari. Quamvis ea antè multa sæcula cœperit habitari, pauca tamen habet Romanæ vestigia antiquitatis, præter veteris rudera fani, quod fama est Apollini quondam fuisse *Situs.* sacrum. Quod ad ejus situm attinet, ex radicibus amœni collis, soli expositi meridiano, trium ferme mille passuum ambitu sensim ascendit in summum clivum: in duas proinde divisa partes, quarum una de Plano, altera, quæ seriùs excepit habitatores, dicitur de Platea. Civitatis hinc extrema alluit Cervus fluvius, indè Aurena torrens, cui ab auri ramentis, quæ mista suis interdum arenis defert, creditur factum nomen. Totum hoc spatium, quod ovalem figuram præfert, frequenter admodum habitatur, habetque, præter ædes, structuræ ut plurimùm commodæ, & elegantis, Nobilium Palatia, inter quæ, nonnulla Principe non indigna, ac maximè sumptuosa. Partem, quæ sita in plano erat, primùm cœptam ædificari, Castrum ab hostilibus aggressionibus tutabatur, ibi situm, ubi *Castrum vetus.* nunc Basilica, de qua infra dicemus, Collegiata. Verùm cùm loci humilitas minùs difficilem videretur reddere posse, si hostis premeret, expugnationem, Uguccio Vercellensis Antistes, qui Bugellæ diutius habitavit (quod imitati sunt ex Successoribus ejus nonnulli) novam, eamque fortissimam Arcem *Arx nova.* ad Annum M. C. LX. condidit in vertice supradicti collis sublimiore; ibi scilicet, ubi impræsentiarum degunt Dominicani; pluribus eodem tempore privilegiis, immunitatibusque prosequens eos, qui eundem Collem, laribus suis eò translatis, ædificiisque structis, inhabitâssent. Itaque brevi temporis intervallo totum illud spatium quamplurimis, quà privatis, quà publicis, ædificiis est refertum; non sine detrimento partis Civitatis inferioris, quæ, nisi ob agriculturæ commoditatem iterum donata fuisset habitatoribus, in vastitatem paulatim, solitudinemque redacta esset: non sine mutua etiam, sequenti tempore, partis utriusque incolarum invidia, quâ factum *Incolarum dissidia & factiones.* est, ut in dissidia primùm, deinde in factiones, atque alternas cædes, Cives contrà Cives erumperent. Hoc verò præcipuè accidit, cùm Fridericus ejus nominis Secundus, Imperator, conflato contrà Romanam Ecclesiam Schismate, in sibi adversarios sæviens, Bugellæ mœnia magna ex parte disjecit, quæ

posteà Martinus de Advocatis Episcopus Vercellensis reficere procuravit. Unde hæc inter alia, ejus, Anno M. CC. XLVIII. extincti, sepulcro incisa carmina:

Martini de Advocatis Episcopi Vercellensis Epitaphium.

CUMQUE DIU CÆSAR FRIDERICUS INIQUUS INIQUE.
ECCLESIÆ JURIS DIRUS PRÆDATOR UBIQUE,
VERRUCÆ CASTRUM BUGELLÆ MOENIA CLARA
SURRIPUISSET, EA PRÆSUL PROH PRÆMIA CHARA!
INGENIO, CURA VIGIL, MULTOQUE LABORE,
ECCLESIAM SOLITO LÆTARI FECIT HONORE.

Attamen quod is perficere forsitan non poterat, Lumbardus à Turre Mediolanensis, ejus in Episcopatu Successor, refectis iisdem à fundamentis, ubi necessitas postulabat, ubique muris circa Annum Christi M. CCC. XL. perfecit. Hoc etiam testatur ejus Inscriptio sepulcralis, in Ecclesia S. Stephani Bugellæ, ubi diem clausit extremum pluribus constans versibus, quorum unus & alter:

Hic benè certavit, BUGELLAM *fortificavit*
Turribus, *&* *muris*, &c.

Incolarum numerus. Has tamen turres, murosque, integrós modò spectare nequaquam licet, cùm furente ante quadraginta circiter annos in Regione Pedemontana Civili bello, fuerint ab Hispanis turmis valdè labefactata, redacto in cinerem ab eisdem Cocillæ Suburbio, atque direptis domiciliis incolarum, qui olim numerosiores, nunc septem millium animarum numerum vix excedunt.

Discordiæ inter Bugellenses & Episcopum Vercellensem. Inter Bugellenses quondam Vercellensesque variæ intercessêre dissensiones; quin etiam inter eosdem Bugellenses, ac Joannem de Flisco ex Lavaniæ Comitibus Præsulem Vercellensem, temporale jus, quod ex Imperatorum cessione prætendebat in Civitatem, acriùs quàm par esse videri poterat, persequentem, aliisque de causis sæpè certatum est: eòque evasit in Pastorem suum Bugellensium indignatio, ut Anno M. CCC. LXXVII. ab eis in propria Episcopali arce captus, diversisque affectus injuriis coactus sit 4000. Ducatorum pretio se in libertatem pristinam vindicare, propriumque transferre aliò domicilium. Ut se ab imminenti bello redimerent Bugellenses (advocatis enim undique consanguineorum, amicorumque auxiliis statuerat Præsul contumelias acceptas ulcisci) cùm parùm spei, fiduciæque in Vicecomitum, Principum Mediolanensium, viribus, quos protectionis ergò advocaverant, sibi ponendum esse animadvertissent, Amedeo Sexto Sabaudiæ Comiti, cognomine Viridi, cujus rerum gestarum fama eo tempore ubique gentium vulgabatur, sese Anno M. CCC. LXXIX. ultrò subjecerunt, Sede Apostolicâ annuente.

Bugellenses cur & quando Amedeo Sexto se supposuerint.

Ab hoc tempore, Civium sedatæ discordiæ, resque ejus Civitatis privatæ, ac publicæ incrementum non modicum acceperunt. Ad negotia publicè disponenda, quadraginta quotannis indè eligi cœpêre Officiales, sive Consiliarii, superque eos Rectoris nomine insignitus cognoscit in prima instantia super causis civilibus, & criminalibus, Sanguinis pœnam non exigentibus. Ornatur insuper duodecim Jurisperitorum Collegio, ex quibus unus alternativè eligitur, ut, Præfecti titulum præferens, jus semestri spatio dicat, non Civitati solùm, verùm etiam toti, quæ, ut superiùs dixi, à Civitate dependet, Provinciæ, à cujus tamen placitis licet ad supremam Taurinensis Senatûs Curiam provocare. Habet Collegium quoque Notariorum: nec non Fisci Advocatum, Referendariumque Provincialem, quæ omnia non modicum præstant rei Bugellensium publicæ ornamentum. *Magistratus.*

Quod ad privatum Civium statum attinet, ii partim nobilitatem eximiè profitentur, partim mercimoniis, artificiis, colendisque sese exercent agris: omnes verò industrii, frugi, religiosi, sagaces, atque ingenio præditi acutissimo. Inter familias Nobiles eminent Acciaiolii, Ferrerii nuncupati, Masserani Principatu, Comitatibusque diversis conspicui; Bertodani Comites Palatini; Caprii; Gromii; Putei-Çisternæ Principes, ac Vici-Iriæ Marchiones; Scaliæ, Verrucæ Comites, ac Calusii Marchiones; aliique ordine alphabetico recensiti. Eorum verò, quos primo loco memoravi, Ferreriorum familia hoc habet peculiare, ut seminarium fuerit virorum nobilitate, scientiâ, rerumque agendarum notitiâ non minùs, quàm Ecclesiasticarum Dignitatum, initio sumpto ab ea, quæ post Summum Pontificatum in Dei Ecclesia primas tenet, assecutione illustrium. Hujusmodi fuêre Jo. Stephanus, Bonifaciusque germani fratres; Philibertus, & Petrus Franciscus itidem fratres; ac Guido Ferrerii, Presbyteri S. R. E. Cardinales: insuper Vercellensis, Bononiensis, Eporediensis, Niciensis respectivè Episcopatuum, nec non diversarum insignium Abbatiarum administratione conspicui. Hujusmodi etiam fuêre, Sebastianus, & Ferdinandus germani, Cæsar Camillus, Augustinus, & Jo. Stephanus alter, Ferrerii, ad Ecclesias Cathedrales, Eporediensem, Savonensem, Niciensem, & Vercellensem, atque ad infulas Abbatiarum diversarum, tam intrà, quàm extrà Sabaudicam ditionem sitarum, assumpti. Hujusmodi denique, Philibertus Ferrerius alter, S. Michaëlis Clusini, ac S. Stephani Vercellensis, & Bonifacius Ferrerius, hujus nominis itidem alter, S Benigni Fructuariensis Abbates. Archiepiscopali, & Episcopali Dignitate insigniti, in iisdem Bugellensibus Patritiis numerantur Carolus Antonius Puteus, Pisanus Archiepiscopus; Felix Bertodanus, Monteregalensis, ac Gaspar Caprius,


Incolarum mores. *Nobiles Familiæ.* *Viri è Ferreriorum familia clari.* *Archiepiscopi & Episcopi è Bugellensibus plures.*


prius, Astensis, Antistites. Abbatiali verò, Octavius, ejusdemque ex fratre Nepos, Felix alter, Bertodani, S. Jacobi de Bessa in Bugellensi Comitatu; nec non Antonius iridem Bertodanus, S. Nazarii de Blandrata; Ludovicus, & Annibal Gromii, S. Petri de Mulegio Vercellensis, Cassianus Puteus, S. Mariæ Caburri; Alexander Philibertus, & Augustus Philibertus (qui superiori sæculo pro Sabaudo Duce missus erat ad Gallicam legationem) de Scalia gente, Staphardæ, Mulegii, S. Justi Secusiæ, S. Mariæ de Mondana in Regno Siciliæ Abbatiarum respectivè Abbates. Omitto eas, quibus enituerant in sæculo horum omnium gentiles, quorum plerique fuerunt pace, belloque clarissimi, dignitates, ne videamur ejus, quam profitemur, immemores brevitatis. *...ti & Abbates.*

Sed ut ad institutum redeam; exornat multò magis hanc Civitatem rerum spiritualium, sacrarumque, quàm ornet nobilitatis, ac rerum temporalium cultus: præstat enim, excellitque maximè Templis, aliisque ædificiis colendo Numini destinatis, in quibus tanto cum splendore cuncta administrantur, ut magnificentiâ non paucas superet Civitates Episcopales. Partem, quam dixi, Civitatis inferiorem nobilitat imprimis D. Stephano Protomartyri dicata Basilica, tredecim Canonicorum, inter quos Præpositus, Thesaurarius, ac Decanus sunt digniores, tredecim insuper Capellanorum Collegio, Puerorum Seminario, quamplurimis Sanctorum Reliquiis, Parochialiumque administratione insignis. Ordine sequitur Ecclesia S. Mariæ majoris, publico Civitatis ære, in voti, quod, dum peste premerentur, Cives conceperant Anno M. CCCC. II. ædificata, solutionem, tantâ molis vastitate simul, structuræ elegantiâ, publicique cultûs frequentiâ, ut ex ejus aspectu, curiositati satisfieri simul possit, atque devotioni. Succedunt deinde ad Templum Divo Sebastiano sacrum Canonici Regulares Lateranenses, quos Sebastianus Ferrerius Gallianici Dominus, summusque Regii Præfectus Ærarii introduxit, annuoque censu locupletavit: Minoritæ, & Augustinenses Conventuales: iidem Minoritæ, dicti de Observantia strictiore, seu Reformati; iidemque Augustinenses, Discalceati: Parochialis denique Ecclesia S. Blasii, quæ licèt extra mœnia sita sit, habet tamen intrà ea habitantes cunctos suos ferme Parochianos. Hæc in parte Urbis inferiore, seu plana. *Templa Urbis inferioris.*

Pars superior, seu de Platea, præter antiquam D. Jacobi Parochialem, habet, ut superiùs innuimus, Dominicanos, Monialesque Cistercienses; medio verò inter partem utramque loco degunt Clerici Congregationis de Somasca, quorum est imbuere pietate ac litteris juventutem. Porrò circumstans Civitati ager decoratur non minùs quàm ipsa Civitas, Sacris septis. Siquidem, præter S. Antonii de Baratia, S. Petri de Cocilla, S. Mariæ de Pace, & S. Caroli de Pavignano Parœcias, in eorum qui extra Urbem habitant spirituale commodum institutas, visitur non procul à Cervo fluvio, super amœnissimi Collis vertice, D. Hieronymi Monasterium, à Hieronymianis Monachis, quos Beatus Joannes Gromius, patriâ Bugellensis, dignitate Archipresbyter Vercellensis, Generalis Vicarius Taurinensis, ac Yolantis Franciscæ Sabaudorum Ducissæ Sacelli Præfectus induxit, inhabitatum. Non longè verò à Torratiæ, utì vocant, Porta, sub D. Joannis Baptistæ Christi Præcursoris titulo, elegans habent Monasterium Capuccini. Omittimus aliquid dicere de ea quæ in sui admirationem ac venerationem trahit cunctarum gentium populos, Basilica Virginis Oroppææ, cùm sub sua peculiari ichnographia eam describere intendamus. Omittimus etiam verba facere de antiquo Benedictini Ordinis Prioratu, Domoque hospitali sub instituto D. Antonii Viennensis, olim in Bugellensi territorio existentibus, cùm, temporum injuriâ solo disjecta, hæc non extent ampliùs ædificia. Hoc verò non reticendum, præter superiùs enumerata, inesse insuper huic Civitati Laicorum, pietatis exercitationibus publicè operam dantium, Sodalitia octo; Xenodochia pauperibus infirmis, peregrinisque excipiendis duo, Montemque pietatis unum in subsidium egenorum. Locus tandem videtur poscere, ut eos recenseamus Patriæ hujus alumnos, qui vitæ sanctimonia clari in numerum Beatorum adscripti sunt, ex Fratrum Prædicatorum præsertim Ordine: at cùm id, non ante multos annos, præstiterit Franciscus Augustinus ab Ecclesia Præsul Salutiensis, Sabaudicarum illustrator historiarum, à quo nos de superiùs dictis quamplura excerpsimus, nil de rebus Bugellensium ultrà addimus. *Templa Urbis superioris.* *Sacra septa extra mœnia.* *Laicorum Sodalitia.* *Xenodochia.* *Mons pietatis.*

GATTINARA.





Notarum Explicatio.

A. *Templum Parochiale S. Petri Apostoli et Cœnobium Canonicorum Regular. S. Augustini à fundamentis erectum et amplissimè dotatum a Mercurino I. Arborio, Magno Cancellario Caroli V. Imperat in omnibus Regnis ejus, et S. R. Ecclesiæ Cardinali.*

B. *Castri Antiqui vestigia, ubi Templ Sancti Rochi.*

C. *Templum S. Michaelis Archangeli.*

D. *Templ. et Cœnobium F F S. Francisci.*

E. *Templum et Cœnobium Monialium S. Claræ, a præfato Cardinali erectum et dotatum.*

F. *Templum S. Martæ, Sodalitas*

G. *Templum B. Virginis Rosarii, Sodalitas.*

H. *Templum B. Virginis Gratiarum*

I. *Templum B. Virginis Consolationis.*


L. *Nemus, Horti, et Piscina D. Marchionis Gatinariæ.*

M. *Molendina Oppidi.*

N. *Castri S. Laurentii vestigia.*

DESCRIPTIO OPPIDI GATTINARÆ IN VERCELLENSI DOMINIO.

Situs.



D decimum quartum circiter à Civitate Vercellensi, Boream versùs, lapidem, ſupra dextram Seſſitis fluvii ripam, occurrit ea, quæ nunc dicitur Gattinara. Olim dictam fuiſſe Catuli aram nonnulli putant, ducto nimirum nomine ab Arà quadam ſuper vicinum Collem excitata à Q. Luctatio Catulo, qui unà cum C. Mario Anno Urbis conditæ D. C. LI. Conſulatum agens, Cimbros, per Alpes Italiam invadere cupientes, circa hunc locum ingenti adeò prælio fudit, teſte L. Floro in T. Livii Dec. 7. lib. 8. Epitome, ut cæſa ab ejusdem, Collegæque exercitibus tradantur hominum quadraginta millia, capta ſexaginta. Facilè enim ex *Catuli ara* factum eſt *Catilara* vitio pronunciationis, undè *Catinara* & *Gatinara*, C. ut ſæpè fit, in G. mutato. Eidem Colli ſæculis poſterioribus Montis Cattinari manſiſſe nomen aſſerit Stephanus Ferrerius in Præſulum Vercellenſium geſtis, ibidem S. Philoſophum ejusdem Urbis Epiſcopum ſepultum fuiſſe affirmans. Poſteà verò habitatio non procul ab eo ædificata, vocata aliquandiu Burgum Plebis, priſcum corrumpens vocabulum, appellata eſt ab incolis *Gattinara*.

Nominis origo.

Nobiles de Arborio veteres Gattinaræ Domini.

Eam inter præcipua ſuæ jurisdictionis Oppida Nobiles quondam de Arborio poſſederunt. Arborii autem locus, non procul ad memorati Seſſitis fluvii ripam poſitus, celeberrimæ familiæ, atque ex quatuor Vercellarum primariis uni, quamplurium in eâ regione feudorum Dominæ nomen dedit. Sed cùm bellorum vexata inſultibus eadem Gattinara à ſplendore priſtino excidiſſet, ſemirutaque, rudera inter ſua jaceret, dejecto ad terram præſertim peramplo, atque ad expugnandum non ita facili ad angulum Oppidi occidentalem Caſtro, eam Mercurinus Arborius de Gattinarà dictus, qui anteriore ſæculo ob egregias animi ſui dotes, atque in agendis rebus peritiam penes Carolum Quintum Cæſarem Magni Cancellarii munere laudabiliter geſto, fuit Cardinalitiâ S. R. E. purpurâ inſignitus, penè à fundamentis inſtauratam multimodè exornavit, mœnibus, turribusque cinxit, atque, ut Comitatûs titulo à Sabaudiæ Duce decoraretur, ſuppoſitis eidem Arborii, Gregii, Olderici, Ciſlarengi, Lentæ, Caſſinalis, aliorumque locorum feudis, obtinuit. Demum, ne quid deeſſet magnificentiæ, ac pietati, Eccleſiam veterem Parochialem, D. Petro Apoſtolorum Principi ſacram ab imo ad ſummum refectam, Regularium Canonicorum Lateranenſium, ſub jure patronatûs ſuccedentium ſibi Comitum, Collegio inſignivit. Excitavit prætereà ad oppoſitam Oppidi partem Clariſſarum Sanctimonialium Monaſterium, aſſignatis eisdem ſuo ære proventibus neceſſariis. An verò etiam D. Franciſci Fratrum de Obſervantia elegans Cœnobium, atque Templum eumdem recognoſcere debeant fundatorem, id aſſerere non audemus, cùm Paulus Britius, ejus quondam Ordinis alumnus, deinde Albenſis Præſul, in ſuis Seraphicis D. Thomæ Provinciæ monumentis (etſi admittat ultrà centeſimum annum conſtructa eſſe) nihil de conſtructionis præciſo tempore in medium certi proferat.

Reſtauratur à Mercurino Arborio Gattinara.

Comitatûs titulo à Sabaudiæ Duce donatur.

Ædes Deo ſacræ.

At verò idem Mercurinus, poſtquam Eccleſiaſticis locis, pietatis ergò ſua largitus eſt, ſeipſum etiam lubens ſponteque donavit. Cùm enim Anno M. D. XXX. à Clemente VII. Summo Pontifice in Germaniam miſſus Oeniponte diem clauſiſſet extremum, corpus ſuum Gattinaram teſtamento deferri juſſit, atque in ſacra, quam ab eo fundatam dixi, Canonicorum æde tumulari: ubi ab ejus Heredibus ſequens inſcriptio,

Idem Mercurinus ibidem tumulatus.

tio, ob tanti viri memoriam eſt appoſita:

Ejus Epitaphium.

Mercurinus Arborienſis de Gattinara poſt multos honores, rariſſimaque Dignitatum inſignia, quæ ſummâ virtute, tum fide, apud omnes ferè Chriſtianos Principes promeruit, ſedatis tandem ſuo conſilio totius Chriſtianitatis tumultibus, firmatoque fortunatiſſimi Caroli per Coronationis Triumphum Cæſareo ſceptro, placidâ in pace in Yſpruch naturæ concedens, in Patriam referri cineres juſſit, ſuorumque, paucis his, monumenta laborum poſteris adnotari: Vixit annos LXV. *Illluſtriſſi. Ducis Sabaudiæ Conſiliarius, annos novem; totidem Magnæ Burgundiæ Præſidens; annos duodecim ſupremus, & acceptatiſſimus Cæſaris Cancellarius. Poſtremò ad Cardinalitium evectus, Gattinariæ, Valentiæ, ac Sartiranæ Comes, Marchio Romagnani, Heros Montisferrati, ac utriusque Siciliæ,* V. *Junii* M. D. XXX. *diem felix clauſit extremum, qui vivens publicè, ſemperque negotiis oppreſſus extitit, moriens publicis pedibus hic calcari juſſit.*

Ejus ſtatua,

Adeſt ibidem ad altaris lævam ſtatua ejusdem marmorea, Cardinalitio inſignis habitu, ſub qua legere datur hæc carmina:

cum hac ſubſcriptione.

Quis ſim, qui tegor hic humilis ſub marmore foſſæ,
Noſſe cupis, vitæ diſce per acta meæ.
Sanguinis Arborei ſum Mercurinus, ab ipſis
Progenitus cunis, legibus, & ſtudiis.
Prima meos vidit Sabaudia clara labores,
Cùm Princeps lateri juſſit adeſſe ſuo.
Exin Burgundis Præſes majoribus; inde
Cæſaris, accitus, ſum datus officio.
Quidquid in Hiſpanis, quidquid Borealibus actum,
Sive Italis, noſtri cura laboris erat.
Non aurum, nec vis potuit pervertere mentem,
Jura nec intactæ fallere juſtitiæ.
Me duce, per Ligures, perdocta Bononia cœpit,
Hinc Clemens Regni tradidit Imperium.
Reddita pax cunctis, optata ad fœdera duxi
Franciſcum, ac Venetos, Ferrariæque Ducem.
Hinc pileo ornatus, Cæſar diademate cinctus,
Sumpſimus in Rhætos, Vindelicosque viam.
Carolus hic Lutheri dum dogmata fœda coërcet,
Dumque paro in Turcas, protinus en morior.
Non tamen ingratum Patriæ ſenſere nepotes
Queis manus ingentes noſtra reliquit opes.
Denique bina Deo Cœnobia Sacra dicavi:
Canonici pro me ſolvite ritè preces.

Arborienſis Familiæ illuſtres viri.

Porrò Arborienſis, quæ peperit Mercurinum, familia, alios etiam enumerat admodum illuſtres viros, quà pietate, quà armis: inter quos non omittendi B. Varamundus Epiſcopus circa Annum M. V. Eporedienſis; Joannes Anno M. CC. XLVI. Taurinenſis Antiſtes, Florus, Petrus, Thediſius, & Bonſignorius, de re Vercellenſium militari optimè meriti: eorum enim copiis, contra Novarienſes, Eporedienſes, aliosque eorundem adverſarios educendis, cum imperio præfuerunt, inſignesque de hoſtibus victorias reportarunt.


Oppidi forma.

Quod ad Oppidi formam attinet, quadrifariam totum interſecatur ductis amplioribus ejus viis ex quatuor portis ſibi è regione invicem reſpondentibus ad medium forum uſque: quibus ſuccedunt per vicos aliæ minores ad rectitudinem arte directæ. Abundat Oppidum idem populo, eique alendo circumfuſus ager ſuppeditat, & quod neceſſe ſit, & quod ad exteros transmittatur.

Incolarum induſtria.

Incolæ verò ſatis induſtrii, atque frugi non minùs telluri colendæ, quàm excolendæ pietati ſedulàm navant operam; ac, ut plurimùm, de bona indole commendantur. Cætera ex ipſa, quam tibi exactè delineatam exhibemus, tabula, unico oculorum obtutu, Lector accipe.




MONS OROPÆVS
DEIPARÆ VIRGINI
SACER.
1. Templum Beate Virginis.
2 Porta Regalis
3. Sacellum Incoronationis Beate Virginis.
4. Sacellum Assumptionis.
5. Sacellum transitus.
6. Sacellum Consolationis.
7. Sacellum Compassionis
8. Sacellum Nuptiarum Cane Galilee.
9. Sacellum Disputationis D.N. cum Doctoribus.
10. Sacellum fuge D.N. Iesu Christi in Ægyptum.
11. Sacellum Purificationis B. Virginis.
12. Sacellum Adorationis trium Regum.
13. Sacellum Circumcisionis D.N. Iesu Christi.
14. Sacellum Nativitatis D.N. Iesu Christi.
15. Sacellum Visitationis S. Elisabeth.
16. Sacellum Annunciationis B. Virginis.
17 Sacellum Sponsalium B. Virginis.
18. Sacellum Conversationis Beate Virginis in Templo.
19. Sacellum Presentationis in Templo Beate Virginis.
20. Sacellum Nativitatis Beate Virginis.
21. Sacellum immaculate Conceptionis B. Virginis.
22 Sacellum Sancti Infirmi.
23. Sacellum Sancti Luce Euangeliste.
24. Sacellum Depositionis Sanctissimi Simulacri.
25. Sacellum Sancti Francisci.
26. Sacellum Sancti Iosephi.
27. Sacellum Sancte Marie Magdalene
28. Sacellum Sancti Sepulchri.
29. Saxum ubi primo fuit depositum Sacrum Simula.
30 Orope Torrens sive fons.
48.


ANDVRNI
MARCHIONATVS
Pars versus meridiem.

DESCRIPTIO BASILICÆ B. VIRGINIS,

IN OROPPA MONTE SITA

IN

VERCELLENSI DOMINIO.



Riginta à Vercellensi Urbe, sex verò à Bugella mille passuum spatio, montes ad Boream siti, alii aliis eminentiores assurgunt. Sub horum editissimo vertice, cui nomen Mucro, *Monte Mucrone*, recedens modica introrsum Vallis emittit Lacum, quingentos, non ampliùs, passus, suâ latitudine ambientem, ex quo ortus fluviolus Oroppa, post rapidum sex stadiorum cursum, alterius Montis cui suum impertit Oroppæ nomen, radices ad dextram lambit. Assurgentes hinc inde clivi, monticulique, licèt horrorem tantùm atque squallorem præ se ferre eminus videantur, mitiori tamen cominus aspectu, frequentibus distincti arbusculis, irriguis sparsi fontibus, uberibusque pascuis herbescentes, numerosos in æstivis alere solent greges. Iidem verò in gyrum reliquis ex partibus dispositi, ad Austrum aperiuntur, theatrique formam repræsentantes, Oroppam ipsum, veluti cæteris cunctis digniorem, medium excipiunt sinu suo; unde in sitam infernè oram, quantum oculorum acies sese effundit, latissimus est prospectus. Ibi augustissimum, Virginique Deiparæ sacrum assurgit Templum, cui decorem ac majestatem augent plures in vicinia constructæ ædiculæ, seu Capellæ (ut usitato utar vocabulo) ad quas per viam quadrigis ipsis curribusque perviam, arte, impensâque munitam, nunc pervenitur, cùm anteà non jumenta modò, equitesque, sed & pedites ab ascendendo deterrerentur. Cùm verò solum alicubi lutosum calcantium vestigiis officere videretur, lapidibus modò stratum, commodissimè frequentatur. Cùm autem in operarum mercedem, substructionumque enormes sumptus duodecim aureorum millia vix suffectura crederentur, accurrentibus undique ad opus inceptum populis, certatimque sibi laboris partem in intemeratæ Virginis obsequium spontè deposcentibus, tria, non ampliùs millia erogata fuisse subductis calculis compertum est. Quid verò nationes, populosque ad insueta pietatis studia acuerit; quid non incolarum modò, sed exterorum etiam frequentiam excitarit, antequam ultrà progrediamur, est breviter attingendum.

Monte Mucrone.

Oroppa fluviolus.

Oroppa Mons.

Templi Deiparæ Virginis situs.

Cùm, furente Arianorum impietate, D. Eusebius Vercellensis Præsul, è Sede sua exactus, Scythopoli in Syria sexennio exulare coactus esset, extincto tandem Constantio Cæsare hæreticæ factionis fautore, est restitutus. Antequam ex Oriente ad revisendas oras occiduas remearet, lustratâ Hierosolymorum Urbe, cæterisque locis Redemptoris nostri olim præsentiâ atque sanguine consecratis, tria inde extulisse fertur Deiparæ lignea simulacra, ex iis videlicet, quorum pia fidelium traditio Lucam, Apostoli Pauli sectatorem, ac scribendæ non minùs, quàm pingendæ, sculpendæque sacræ historiæ peritum, auctorem facit. Ex hisce statuis unâ in patrio Calaritanæ in Sardinia Urbis solo, alterâ in Creta Monferratensis Ditionis, suæque Diœcesis Monte collocatâ, tertiam, ut in sua Cathedrali Vercellensi minimè collocaret obstitit recrudescens iterum Arianæ Hæresis persecutio; qua factum est, ut, Urbe iterum excedens, adscitis sibi aliquot piis Sociis, in Oroppa, quem diximus, Monte aliquamdiù latitare opportunum ratus fuerit, donec meliora se darent tempora: ubi loco, qui fieri potuit, decentiore posita tertia quam memoravi, Statua, peculiarem cultum exhibere Deiparæ consuevit. Verùm, cùm Deo inspirante, Vercellensem denuò esset ingressus Urbem, ab iisdem Arianis sibi jugiter insidianti-

Tria Deiparæ Virginis simulacra a S. Eusebio allata.

Unum ex tribus in Monte Oroppa collocatum.

diantibus, ictus lapidum grandine, Martyr obiit.

B. Virginis simulacrum primum rudi ædiculæ illatum.

Ab eo tempore Virginis Simulacrum rudi ædiculæ illatum est, pedes viginti longæ, decem latæ ex impolitis lapidibus fornicatæ, bifariamque intus mediâ ferreâ crate admittebat Myſtas, & Sacerdotes, in extimam Laicis ad exorandum numen, impetrandaque beneficia quotidianus patebat aditus. Divum porrò Euſebium inferendi eò loci Virginei Simulacri fuiſſe auctorem indicant verſus in ſacelli aditu marmori olim inciſi, hujus modi:

Advena ſiſte gradum, timeas intrare Sacellum,
Quo pius Euſebius ſigna colenda tulit.
Et tulit, & coluit: teſtatur crypta; quid hæres?
Virginis incipient hæc ſimulacra loqui.

Eidem Sacello affixa marmorea tabula ſequenti, hoc ipſum docente, notatur Epigraphe:

Deiparæ Virgini, apud cujus Imaginem, adhuc Sacello aſſervatam
Beatus Euſebius, cœleſtem vitam agens, jejuniis, & orationibus
adverſus Arianos decertabat.

In intimum porrò ſeptum, unico aperto ad Auſtrum oſtiolo, in extimum duplici ad latera janua, qua ingredi, egredique turbæ frequenti liceat, penetratur.

Poſt Baſilica magnifica B. Virg. Matri excitata.

At ſucceſſu temporis, prodigia ibidem Deo in mortalium undequaque accurrentium beneficium, innumera exhibente, ampliatis circa ædiculum ſpatiis, additiſque ſubſtructionibus, auguſtiſſimam Virgini Matri Baſilicam pia adjutrices manus porrigentium magnificentia excitavit, cujus eſſe accepimus talem formam.

Ejus forma.

Hujus recentioris Templi facies, ad quam ex ampliſſima area per plures gradus patet aſcenſus, politis lapidibus incruſtatur. Januam candidum, diverſique coloris marmor undequaque ornat. Ejuſdem antepagmentis geminæ ſtriatæ columnæ hærentes, capitula ſuſtinent, cæteraque ex eodem marmore ornamenta, quibus ſuperpoſitum ſupercilium, inſidentibus geminis hinc inde Aligeris integræ eminentiæ, telamonum vice, manu unâ Sabaudicum Scutum in media fronte ſitum, ſpectandum, alterâ verò hæc verba in inferiore Zophoro ſculpta, legenda indicant:

O' QVAM BEATVS, O' BEATA, QVEM VIDERINT OCVLI TVI?

Ipſam porrò faciem quatuor ex cinericio, in montibus illis effoſſo, marmore, præcelſæ, doctæque manus opus, columnæ fulciunt, additis ſupra illis, quotquot architecturæ ratio exigit ad ſummum uſque templi faſtigium (quod in triangulum deſinit, totidemque acroteria, atque Cælicolarum Simulacra ſuſtinet) ornamentis.

Ingreſſos triplici pronao teſtudinata Baſilica excipit, cujus medium, altitudine ſua conſpiciendum, pinnaculum protegit; veterem, quam religio ſolo disjici interdixit, ædiculam, à reliqua mole, in Lauretanæ formam ædis, prorſus disjunctam. Toti structuræ peramplum Odæum, divinis pſallendis canticis deſtinatum, capitis vicem præſtat; bina verò è medii pinnaculi regione majora Sacella brachiorum loco aptiſſimam hinc inde perficiunt Symmetriam. Reliquum corpus, lapideis firmiſſimi operis pilis ſuſtentatum, elegantiſſima habet ad utrumque latus Sacella, quæ ſeptem ornatiſſimorum Altarium, in quibus quotidianum Miſſæ Sacrificium Deo offertur, numerum explent: præter illud, quod, ut diximus, in templi umbilico ſitum, ſacra Deiparæ Statua inſignitur.

Simulacri B. Virginis Deiparæ deſcriptio.

Venerandi hujuſce Simulacri Caput trino ambitu coronatur. Dextra manus fructum promit ad cordis ſimilitudinem efformatum, cum parvula Cruce ex ejuſdem ſummitate, & inter exigua folia enaſcente. Siniſtrum brachium Divinum Infantem geſtat, qui læva manu columbam veluti deliniens, geminos dexteræ digitos, benedicentis in modum, tollit, reliquis pugno contractis. Totus Virginei amictus corporis pretioſiſſimarum coruſcat gemmarum varietate. Ipſa porrò Virginea, divinaque infantis facies cæleſte quid ſpirans, inenarrabili pietatis ſenſu internâ mixto lætitiâ afficit intuentes, quos, nonniſi votorum compotes hinc abire argumento ſunt innumeræ votivæ tabellæ totis appenſæ muris: nequid dicam de pretioſis ex auro, argentoque donariis, fabrefactis vaſibus, lipſanothecis, lichnis argenteis, Sacerdotalibus indumentis, reliquaque ſacra ſupellectile, quam in Matris Virginis cultum, non Magnates modo, Regiæ Sabaudæ familiæ imprimis Principes, ſed Civitates etiam, atque Oppida ære publico contulerunt; anno præſertim hujus ſæculi quinto ſupra vigeſimum, quo ſolemnis ſacri ſimulacri coronatio, cum maximo, quà finitimorum, qua remotiſſimorum populorum appulſu, plauſuque indicta eſt.

Ut verò commodiores ibidem haberent ſacrorum miniſtri ſedes, aptioraque excipiendis omnium gentium peregrinis, atque advenis hoſpitia pararentur, licet antea ædes aliquot prælati nonnulli, pia Laicorum Sodalitia, Bugellenſeſque familiæ quædam, ſumptibus ibi ſuis ſparſim ædificaſſent: tamen cùm eæ non ſufficerent creſcenti in dies adventantium multitudini, advocatis peritis admodum Ar-

Architectis, manus ſeriò admota eſt ſtruendis uniformibus ædificiis, qualia hic Lectori repræſentamus. Novi totius ædificii longitudo quadraginta, latitudo verò viginti producitur pedibus Geometricis. Inferior ad aream ordo porticibus conſtat circumquaque concameratis, in exteriori facie arcubus æqualiter ſe pandentibus, binis unicuique columnis marmoreis, cum ſuis baſibus interpoſitis opere Dorico, quibus commune epiſtylium incumbit. Superiorum contignationum facies Corinthiis decorata projecturis, feneſtris per juſta intervalla ad lineam diſpoſitis, & ſuperimpoſitâ amplâ his omnibus coronâ denticulis exornatâ, ſibi ipſi apprimè reſpondet. Proſpectus amœnitatem augent gemini fontes ex Pario lapide in interioris atrii areâ aptè diſpoſiti, quorum alteri, diverſimodè figurato, inciſos legere licet hos caracteres: *Exiit fama hæc in univerſam terram.*

Novi ædificii deſcriptio.

Aperit autem ſe tota ad Auſtrum moles, ubi altè patens janua duodenis marmoreis columnis magnificentiam præferens, gemino ordine, gemina profert loculamenta in ordinis utriuſque intercolumniis. Inferioribus ſtatuæ Cælicolarum marmoreæ, integræ ad normam eminentiæ, inſident. Angelorum ſimiliter effigies ſecundum exornant ordinem. Medio inter utrumque ſpatio tabulæ marmoreæ incidenda Inſcriptio, teſtis piæ erga ſacram ædem Mauritii Principis à Sabaudia munificentiæ, qui tamen morte præventus abſolvere nequivit Sacellum amplum, quod in ſuperiore ad ingreſſum aula ornatiſſimum ſtruere animo deſtinârat. Ea porrò Inſcriptio hiſce verbis concepta eſt:

D. O. M.
Puerperæ Virgini, Cælorum Reginæ,
Oroppæos Montes miraculis illuſtranti
Mauritius Princeps à Sabaudia
Sacellum hoc, voti adſtrictus, erexit,
Arcum, atque Porticum libera pietate ſubſtruxit.
Anno Domini
M. D. C. LV.

Aliud etiam ad Occcidentem oſtium ex adverſa Templi facie hanc amplam in aream viam advenis pandit, lapidibus ſectis, marmoribusque diverſimodè exornatum, ſuper quo turris eminet campanaria, circulusque horarum index. Oſtio verò in loculamento marmore incruſtato, cuſtos adſtat ex Pario marmore Virgo Deipara Oroppæa, additâ brevi ad pedes Inſcriptione: *Fundamenta ejus in Montibus ſanctis.*

Sacella plura eidem monti ſuperſtructa.

Reſtat, ut de Sacellis, quæ eidem Monti fuêre variis temporibus ſuperſtructa, & quæ primum ſacram Baſilicam adeuntibus fiunt obvia, addamus aliquid. Ea olim numerabantur tantummodò quinque. Verùm aucto populorum concurſu, atque devotione, auctus eſt Sacellorum numerus, atque ad exactæ normam architecturæ alia de novo conſtructa duplici ſerie poſita ſunt: his ſcilicet Chriſti Domini, ejuſque Virginis Matris vitæ myſteria, illis verò Sancti alicujus, conſtruentium tutelaris, geſta repræſentantibus. Igitur qui, conceſſam à Romanis Pontificibus reatuum veniam impetraturi hujusmodi Sacella ſive Capellas viſitant, incipiunt ab eo, quod conceptam ſine labe Deiparam repræſentat, proſequentes poſtmodum reliqua numero unum de viginti, in quibus ejusdem Nativitas, in Templum Præſentatio, in eodem innocentiſſima Converſatio, illibatæ cum Sponſo Joſepho nuptiæ, Angeli Nuncii Salutatio, Eliſabethæ Viſitatio, Chriſti Domini Natalitia, ejusdem Circumciſio, Magorum adoratio, Purificatio, in Ægyptum fuga, inter Doctores Diſputatio, Nuptiæ in Cana Galilææ, B. Virginis Filio Cruci affixo compaſſio, ejusdem Tranſitus, in Cœlum Aſſumptio, atque Coronatio ad vivum repræſentantur. Inde ſecundi Ordinis Sacellæ viſunt ſex, illud ſcilicet ubi repoſitum fuiſſe traditur Oroppææ Virginis ſimulacrum, Sanctorumque Lucæ Euangeliſtæ, Joſephi, Infirmi, Franciſci, atque Mariæ Magdalenæ. Hæc verò omnia Sacella, uti per myſteria in ipſis repræſentata animis venerationem conciliant pietatemque, ità ob ſtructuræ varietatem mirum in modum ea luſtrantium oculis ſatisfaciunt.

Sacra à Benedictinis primùm adminiſtrata.

Quod ad Sacrum loci miniſterium attinet, præfuiſſe Oroppæo Templo Monachos olim Benedictinos, veteres Eccleſiarum S. Euſebii Vercellenſis, & S. Stephani Bugellenſis tabulæ ſatis indicant: ex quibus etiam fit perſpicuum D. Bartholomæi Prioratum eidem aliquando conjunctum eſſe, ut ex ejus proventibus ſuppeteret, quod confluentibus illuc quotidiè peregrinis, pauperibusque poſſet intuitu pietatis ſubminiſtrari. Hoc in ſtatu ejus Eccleſiæ regimen perſeveravit ad Annum uſque M. CCCC. LIX. quo eam, unà cum memorato Prioratu, aliisque in vicinia Eccleſiis Pius II. Romanus Pontifex, dato Mantuæ diplomate, Bugellenſibus S. Stephani Canonicis unitam voluit: quod ipſum Alexander VI. Anno M. D. I. ſanctione Pontificiâ confirmavit. Itaque de corpore eorundem Canonicorum mittitur unoquoque triennio unus, qui Rectoris nomen, & munus gerens, ſartatecta Oroppææ Baſilicæ curat, cunctaque ejusdem cultum reſpicientia in capite adminiſtrat. Subſunt eidem duodecim ad minus Sacerdotes, interque eos Pœnitentiarius unus, pluresque alii audiendis Confeſſionibus deputati. Reliqui Sacræ


Nunc à Bugellenſibus Canonicis.

Sacræ psalmodiæ, Eucharistici panis ministrationi, supellectilis custodiæ, altaribus ornandis, peregrinorum hospitio, Missis celebrandis, largitionibus piorum ad calculum reducendis, atque in pios usus distribuendis, fabricæ promovendæ, curandæ bibliothecæ, litterarum sacrarum studiis, casuum conscientiæ explicationi assiduam navant operam.

Parcimus intereà enarrandis innumeris prodigiis, atque collatis Oroppæâ Virgine patrocinante, animabus, corporibusque hominum beneficiis ulteriùs prosequi inceptam descriptionem; cùm id absque propositæ brevitatis dispendio assequi non possimus, cùmque, peculiari volumine, Anno M. DC. LIX. publici juris facto, Augustæ Taurinorum, possit quisque eâ super re curiositati suæ, atque ergà dilectam Virgini Deiparæ Sedem devotioni pro libito satisfacere.




ASTA



Barbus fluvius

TANARUS FLUVIUS



1 Ecclesia Cathedralis B. Virg. Assumptæ
2 Ecclesia Collegiata S. Secundi M.
3 Templum Monialium S.tæ Annæ
4 Templum et Cœnobium S. Bernardi
5 Temp. et Confratern. B.V. Annunc.
6 Templum Parochiale S. Silvestri.
7 Temp. et Cœnobium S. Dominici.
8 Temp. Monialium Nominis Iesu.
9 Templum S. Sixti.
10 Ecclesia et Seminarium S. Hilarii.
11 Temp. et Confratern. S. Ioan. Decol.
12 Temp. et Cœnobium Servorum B. Virg.
13 Templum S. Iuliani.
14 Templum Monialium S. Anastasii.
15 Temp. et Cœnob. FF. Min. Obs. S. Franc.
16 Templum et Cœnobium FF. Carmel.
17 Temp. et Confraternitas S. Michaelis.
18 Xenodochium S. Michaelis.
19 Templum S. Ioannis.
20 Temp. et Cœnob. FF. Carmel. Discalc.
21 Temp. et Cœnob. Clericor. Reg. S. Pauli
22 Temp. et Cœnobium Capucinorum
23 Temp. et Cœnobium S. Francisci
24 Temp. Priorat. Domus [illegible]
25 Temp. Monialium S. Spiritus.
26 Templum S. Rochi.
27 Temp. B. Virginis Gratiarum.
28 Temp. et Cœnobium FF. S. Augustini
29 Temp. Confraternitatis S. Rochi.
30 Ecclesia Parochialis S. Pauli.
31 Temp. Confraternitatis S. Eusebii.
32 Templum et Prioratus S. Quirici
33 Xenodochium S. Eusebii.
34 Vestigia Temp. et Cœnob. S. Augustin.
35 Temp. S. Mariæ Canonic. S. Io. Later.
36 Temp. Monialium S.æ Agnetis.
37 Camera Prioral. Meliten. S. Agnetis.
38 Templum S. Secundi Victoris.
39 Acropolis.
40 Locus ubi olim Acropolis.
41 Castrum.
42 Castrum Varronis.
43 Castrum Morineti.
44 Arx S.ti Petri.
45 Porta S.ti Petri.
46 Porta S. Secundi.
47 Porta S. Antoni.
48 Cartusia.
49 Apotheca ubi Mercator Convent.

DESCRIPTIO CIVITATIS

ASTÆ POMPEIÆ.

Situs.



Sta, antiqua Liguriæ Cispadanæ Urbs, sita in Bagiennis, non longè ab Urbe, Tanaroque fluviis, inter Italiæ amplissimas fuit lapsis retrò sæculis meritò computata. *Antiquitas.* Licèt enim parcè admodùm de ea à vetustioribus Historicis, Geographisque dictum reperiatur, multa tamen sunt, quæ suadeant, eam, & quo tempore, Germanorum Cæsarum beneficio, quandam formam præ se tulit Reipublicæ, & multò antè, Romanis scilicet rerum potientibus, maximè floruisse. Antiquitatem ejusdem Urbis Astenses referunt ad Noëmica usque tempora; munitionem Brenno Gallorum Duci, Varronibusque Romanis Fratribus; instaurationem verò Cneio Pompeio Magno acceptam ferunt, à quorum postremo deductam eo loci Coloniam, Pompeiamque ab Auctoris nomine ferunt cognominatam. Quamvis verò ingenuè fateamur hæc forsitan gratìs asseri, absque certo Scriptorum veterum testimonio, fieri tamen potuit, eam, vel ab eodem Pompeio Magno, ex Italia in Hispaniam per Alpes iter instituente, vel ab alio Cneio Pompeio, Sex F. Strabone, Magni Patre, qui de Circumpadanis incolis in Civium Romanorum numerum adsciscendis in Consulatu legem tulit, incrementum simul cum nomine accepisse. Hoc indubium affirmamus, Pompeiam gentem non infrequenter commemoratam tractûs Astensis ac Pollentini veteribus monumentis, utì commemorat prisca Inscriptio, quæ adhuc, in marmore, Astæ prostat, hujusmodi:

L. POMPEIO M. F. POL
PATRI. AID. IIVIR. IIVIR.
QVINQ. TR. MIL. A POPVL
HERENNIAI. F. MATRI
SEPTVMIÆ C. F. AVIÆ
A. HOSTILIVS L. F. POL
POMPEIVS MACER.

Loci amœnitas & fertilitas. Civitas, loco opportunissimo sita, Orientem latè despectat, Meridiemque, atque adeò amœnos frugiferosque habet circumquaque agros, clivis passim distinctos, colliculisque, quæ Castellis Nobilium procul eminentibus coronantur, ut nihil in tota Insubria, totaque Ora Pedemontana sit ad spectandum jucundius, nullibique uberior proveniat omnis generis frugum copia, inter quas non desunt ficus, ac pepones saporis exquisitissimi. Vino, eoque generosissimo, Astensis tractus abundat maximè; nectareique instar liquoris ab avidis potoribus expetitum transfertur, cum magno incolarum lucro, in longè positas regiones, eo apud Pedemontanos, Insubres, Liguresque in pretio habitum, quo penès Romanos olim Creticum, Falernumque. Nec desunt perennes in vicinia scaturigines, quibus sal in ciborum condimentum conficiatur. Hæc tamen tanta soli ubertas alendæ quondam (longè numerosioris, quàm nunc sit) Astensis populi multitudini minimè sufficisset. Nam annonæ caritate urgente, Civitatem aliquando inopiâ pressam, docet vetus, ad perennandam benemeriti de Patria Civis memoriam, sculptum in marmore monumentum:

M. GARDINO. M. F. OB CIVITAT
IN SVMMA ANNONÆ INOPIA
PROPRIO ÆRE SVBLEVATAM
ASTENSIS CIVITAS
OPTVMO CIVI
D. P. P. P.

Altum, ut ſuperiùs attigi, de hac Urbe ſilentium, ad Annum uſque Chriſti CCCC. III. quo videlicet, devicto profligatoque à Stilicone, propè Pollentiam, Alarico Gothorum Rege, liberi ipſius, mulieresque, cæteraque charior præda, intrà mœnia ab Aſtenſibus, ſive à Romanis, qui tunc cum præſidio Aſtam cuſtodiebant, abducta perhibentur. Hinc apud Claudianum vicem ſuam ita idem carmine dolere introducitur Alaricus:

Nec me Pollentia tantum,
Nec captæ cruciatis opes; ſed pignora nobis
Romanus, charosque Nurus, prædamque tenebat.

quod ut de Aſtenſibus dictum accipiamus, movet nos idem alibi Claudianus:

Paneg. de 6. Conſ. Honor. Aug.

Nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ.

Aſtenſes Duces præcipui.

Poſtquam Ticini Sedem fixêre Regiam Langobardi, illuſtrârunt ejus nationis geſta Aſtenſes Duces, inter quos famâ noti, Gondoaldus, Theodolindæ, piiſſimæ, religioſiſſimæque Reginæ Frater; ab eoque genus ducentes, Aripertus, Pertaritus, Aſprandus, Godibertus, Cunibertus, aliique, Paulo Diacono, de Langobardicis rebus ſcribenti, cogniti, qui ex eo Ducatu ad Regni faſtigium evaſerunt. Deleto tandem Regno Langobardorum à Carolo Magno Francorum Rege, Aſta Comitum (ita tunc vocabantur ii, qui regendis Civitatibus, earumque diſtrictui præſidebant) cuſtodiæ aſſignata, ab Italis poſtmodum Regibus, Germanorumque Imperatoribus vario privilegiorum, atque immunitatum genere ornata eſt; cudendæ imprimis monetæ, unde in veteribus tabulis librarum Aſtenſium frequens mentio; Regaliumque percipiendorum, quæ cùm ſimiliter Aſtenſis Præſul à liberalitate Cæſarea impetrâſſet, orta indè longa inter eundem Præſulem, Civesque diſſidia. Cùm verò ad Annum Chriſti M. C. LIV. Aſtenſes Gulielmo Marchioni Monferratenſi morem gerere recuſarent, irâ percitus Imperator Fridericus I. cognomento Barbarubeus, *Aſtam procedens* (referre placet verba Ottonis, qui plerisque rebus interfuit, Epiſcopi Friſingenſis) *vacuamque non opibus, ſed habitatore reperiens Civitatem, non paucis ibi diebus manens, igni eam, & direptioni dedit.* Verùm non multò pòſt, cum fœderatis Inſubriæ Civitatibus, conſpirârunt in eundem Fridericum Aſtenſes, acceptasque ab eo injurias ulciſci conati ſunt, quamvis ad eam Urbem illum, (ut iterum laceſſeret diriperetque) fruſtra Anni M. C. LXXVII. initio obſidendam acceſſiſſe, legatur.

Aſta à Regibus & Imperatoribus variis privilegiis ornata.

De geſt. Frid. I. lib. 2. cap. 15.

Aſtenſium potentia.

Ab eo tempore, mirum, quantum potentiâ hi Cives creverint, Monferratenſi ad petendam pacem, Salutienſi ad præſtandum clientelare ſacramentum adacto, Cævenſibus Marchionibus in fidem, obedientiamque, Carectanis in aſſeclas, & amicos, Nobilibus plerisque in Cives receptis. Hinc, Aſtenſium, fœderatorumque iisdem populorum viribus, Pollentia, Teſtonaque everſæ, atque in finitimos potentiæ æmulos proſperâ ut plurimùm fortunâ belligeratum. Verùm gliſcentibus poſtmodum inter Cives, ut perſæpè aſſolet, partium factionibus, quarum hæc Guttueriis, Solariis illa, Patritios inter opulentioribus, & maximi nominis adhærebat, ac demùm manifeſtè erumpente inter easdem odio, non ſine mutuis offenſionibus, bonorum jacturâ, exiliis, incendiis, ſanguinisque effuſione, ibidem etiam inſonuit, reliquæ Italiæ fatale, nomen Guelphorum, atque Gibellinorum, ex quo factum eſt, ut Aſtenſes ex ſplendore priſtino excidentes, coacti ſint alienum ſubire, primò patrocinium, deinde jugum.

Poſt per civiles diſcordias corruit.

Cùm Amedeus Sabaudiæ Comes, cui Magni cognomen ceſſit, ejus Urbis, ſibi Anno M. CCC. X. ab Henrico VII. Romanorum Rege donatæ, atque triennio pòſt confirmatæ tranquillum dominium arripere minimè potuiſſet (obnitentibus videlicet Guelphis, & clam adverſante Philippo Sabaudo Achaiæ Principe, ſuæ felicitatis æmulo) acceptis licèt in clientelam ex Aſtenſi nobilitate non paucis, circumpoſitorum Dominis Caſtellorum: cùmque in Urbem introducta per vim fuiſſent Roberti Andegavenſis, Siculi Regis arma, in Vicecomitum deinde Mediolanenſium, tum in Ludovici Aurelianenſis Ducis, in Caroli Quinti Cæſaris poteſtatem denique deveniſſet; hic eam, unà cum eidem ſubdito Comitatu, Oppidisque annexis, Beatrici Luſitanæ Caroli Allobrogum Ducis Uxori, Cognatæ ſuæ indulſit: ex eoque tempore Sabaudicæ Domui præſtitit integerrimam, quam Sacramento promiſit, fidelitatem, quamvis hoſtilibus armis fuerit ſemel iterumque adflicta.

Quando, & quomodo Sabaudicæ ditionis ſint facti.

Ne verò tanti momenti Urbe hoſtis ita facilè potiretur, præter Arcium aliquot veterum, atque novæ Acropolis munimentum, plura Sabaudi Duces propugnacula muris inædificârunt, quæ cùm juſto amplius ſpatium occuparent, aliqua ex parte noſtro ævo in arctiorem formam contracta ſunt, ut facilior eſſet locus defenſioni. Priſcam verò Civitatis amplitudinem arguunt Palatia frequentiſſima, Regibus ipſis, uti non ſemel accidit, apta excipiendis, præaltæ Turres, viæ latæ, fora admodum ſpatioſa, in quibus proſtabant omnis generis mercimonia Avorum noſtrorum ævo; quo ſcilicet tempore convenientibus ad Aſtenſes nundinas ex Italia, Gallia, Germania, Anglia Mercatoribus inter præcipua Europæ totius Emporia Aſta computabatur. Nunc (incertum quo fato) intermiſſâ mercium per eam Urbem ultrò citròque tranſvectione, parùm frequentatur ab exteris, parùmque ab indigenis habitatur; cùm olim plusquam octoginta animarum millia numeraret, educeretque in adverſarios armatas quondam phalanges è ſinu ſuo.

Urbs à Sabaudis Ducibus munita.

Veteris urbis amplitudinis teſtimonia.

Junctam magnificentiæ pietatem oſtentant Sacræ Baſilicæ, talis amplitudinis, ut in tota Ditione

De [illegible] Ædificia [illegible]

Ditione Sabaudica nequaquam invenias ampliores. Eæ verò multò plures, quàm nunc ſuperſint, olim numerabantur. Quatuor videlicet ſæcularium, ut vocant, duæ Regularium Canonicorum Collegio inſignes. Monachorum inerant octo, Mendicantium Aſcetarum Cœnobia quinque, Militaris Ordinis unum, dicatarum Deo Virginum Monaſteria duodecim, ut omittam totidem Hoſpitales, quas vocant, Domos, excipiendis pauperibus deſtinatas, aliaque hujusmodi loca ſacra, quæ peculiari volumine, plusquam triginta ab hinc annis impreſſo, excitandæ Concivium ſuorum pietatis ſtudioſus enumeravit Domnus Philippus Malabaila Aſtenſis Patritius, ac Ciſtercienſium Monachorum Congregationis Fulienſis poſtmodum Generalis Præfectus.

Nunc non multò pauciora.

Nunc recentiùs introductis nonnullis, ſuperſtitibusque ex parte priſcis Ordinum jam introductorum Religioſis, præter Cathedralem Virgini Deiparæ nuncupatam, Sanctique Secundi Civitatis Patroni, dictam de Mercato, Baſilicam, utramque Collegiatam, atque Parochialem, nec non S. Martini, S. Pauli, S. Silveſtri, S. Mariæ novæ, Catharinæ, S. Petri Conciaviæ Eccleſias pariter Parochiales, divino cultui jugem operam navant, intrà Urbem, eique annexa ſuburbia Fratres Prædicatòres, D. Franciſci Minores, quos Conventuales dicunt, & qui de Obſervantia nuncupantur, D. Auguſtini Eremitani, tam qui Conventuales, quàm qui ſtrictiorem obſervantiam profitentur, D. Bernardi, quorum ſupra memini, Fulienſes; Carmelitæ Conventuales, nec non qui dicuntur Diſcalceati; Congregationis Lateranenſis Canonici Regulares, Servi B. Virginis Clerici Regulares S. Pauli, qui vulgò audiunt Barnabitæ. Inſunt præterea D D. Benedicti, Auguſtini, Dominici, Franciſci inſtituta ſectantium, numero quinque, eleganter cum ſuo quæque Templo ædificata, Sanctimonialium Monaſteria, pleraque Laicorum, qui pietatis operibus incumbunt ſedulò, Sodalitia. Nec omittendi, extra Urbem ſiti, Benedictini, Cartuſienſes, de quibus infrà peculiaris erit agendi locus, & Capuccini.

Epiſcopi Aſtenſes notabiles.

Epiſcopos ſuos Aſtenſis Eccleſia numerat ab Anno uſque Chriſti CC. LXV. Mediolanenſis Metropolitæ Suffraganeos, interque eos plures Sanctorum Syllabo adſcriptos, quales ſunt S S. Evaſius Beneventanus, qui primus in eorundem Præſulum ſerie recenſetur, Secundus, Evaſius II. Bernulphus, ac B. Landulphus à Vareliate: plures quoque ſæculi dignitate, Sanguinisque ſplendore admodum illuſtres, utpotè Adelricus Hieronymi Manfredi, ſimiliter Marchionis Frater, ac Arduini Italiæ Regis affinis; Otho II. Adelaidis Comitiſſæ ex Othone Marchione Filius; Bonifacius, & Conradus ex Comitibus Coconati, Guido ex Comitibus Vallispergiæ, Raphaël ex Marchionibus Cevæ; ut miſſos faciam illos, qui ex Nobilibus familiis de Carena, Malabaila, Morotio, Guttuariis, Rottariis, Damianis, Ruvere, Landrianis, Agatia, Brolia, partim patritiis, partim exteris ad Aſtenſis Epiſcopatûs infulas evaſerunt.

Cives ſanctitate vitæ notabiles.


Non defuêre verò alii Aſtenſis Urbis, ſive incolæ ſive Cives, quos meritis plenos, ac cælesti donatos patriâ, Divis Cælitibus accenſemus; imprimis is, quem in Civitatis lectum Patronum diximus, S. Secundus Martyr, S S. Projectus Diaconus, & Mallianus Subdiaconus, Sancti Evaſii primi Præſulis aſſeclæ, & cum eo Martyrium ab Idolorum cultoribus paſſi, S. Anianus Confeſſor, S. Calocerus Martyr, S. Bruno Epiſcopus Signienſis, S. Petrus Conciava; Beati Henricus de Comentina, Henricus Alferius, Henricus Scarampus, Michaël de Jacobis, Malcoldia Pallida, aliique, quos enumerat is, quem ſuperiùs citavi, D. Philippus de Malabaila. Hinc non mirum, quòd olim Aſtenſis Eccleſia longè adeò, latèque ſuam protulerit ditionem, nec ſpirituale modò, verùm etiam in quamplura ejusdem Diœceſis Oppida, & Caſtella, ab Imperatoribus, atque Regibus jus impetraverit temporale: non mirum etiam, quòd in adverſarios, non tantùm Eccleſiaſticis cenſuris, verùm etiam armorum impetu, coactisque exercitibus (ea erat ejusdem potentia) Præſul Aſtenſis ſæpe animadverterit, egeritque.

Incolarum mores.

Hoc unum, coronidis loco, addimus, præclarâ, atque admodum antiquâ hanc Urbem nitere nobilitate, ejusque incolas de humanitate, atque fidelitate maximè commendari: unde tritum illud penès Italos, à plerisque Scriptoribus relatum carmine adagium:

Civibus humanis decoratur Aſta fidelis.





CARTVSIA ASTENSIS
22

DESCRIPTIO
ASTENSIS
CARTUSIÆ
IN
COMITATU ASTENSI.

Situs.



Artuſia Aſtenſis, antiquitate, regulari obſervantiâ, & in pauperes largitione celebris, à dextera parte Urbis, in exordio Vallis Mancræ, loco editiori poſita, ingredientes Portam S. Petri mirificè oblectat. Templum in ea perantiquum à Luitprando Longobardorum Rege magnificè extructum, nunc verò in Crucis formam redactum, & SS. Apoſtolis Philippo, & Jacobo ſacrum, eximiis quoque picturis & ſimulacris, tam novis, quàm antiquis exornatum, intuentium animos ad cæleſtium contemplationem rapit. *Inſignes Reliquiæ.* Inſignes in eo coluntur reliquiæ; pars Coronæ ſpineæ D. N. Jeſu Chriſti, Genu S. Ludovici Regis Galliæ, pars Capitis S. Brunonis Cartuſianorum Patriarchæ, & aliæ quamplurimæ. Ædiculæ Euchariſtiæ, periſtylium, pavimentum Aræ majoris, omnia marmorea. Chorus, ubi pſallentium Monachorum Sedes in longum porrectæ, à Thoma Sacha, ejuſque Paulo, & Thimerio filiis, Cremonenſibus, Anno Domini M. CCCC. XCVI. opere teſſellario elaboratus, picturam & artem ſuperare videtur. A Templo per gradus aliquot in Clauſtrum deſcenditur, arboribus conſitum, quod & Colloquium Monachorum appellatur; ab hoc etiam per brevem Porticum fit tranſitus in aliud ampliſſimum, Eremitarum cellulis, variiſque picturis diſtinctum. Alit hoc Monaſterium ad viginti quinque Religioſos, & intrà ſepta claudit vineas, prata, & hortos fontibus irriguos, quæ omnia non vacat minutatim recenſere.




VILLA NOVA DELL' ASTEGIANA.





1. Convento di San Francesco.
2. Pozzo verso la porta d'Asti.
3. Chiesa de' S.S. Pietro e Paulo.
4. Monache di S.ª Elena.
5. Hospedale.
6. La Torre del Commune.
7. Li Desciplinanti.
8. La Piazza.
9. Chiesa di San Martino.
10. il Portone.
11. Altro Portone.
12. Pozzo.
13. Altro Pozzo.
14. La piazza d'arme.
15. Porta d'Asti.
16. Belvedere
17. il Bastion [illegible]
18. il Posto detto [illegible]
19. il Posto di San Francesco.
20. il Posto della Valensa.
21. il Posto detto di San Pietro.
22. il Baloardo di S. Sebastiano.
23. La Porta di Torino.
24. il Bastione di S. Giouanni.
25. il Bastione di S. Paulo.
26. il Posto detto Genta.
27. La Mezza-luna verso Asti.
28. La porta del Socorso.
29. Le tre chiuse del fosso.
30. Mezza-luna gentile.
31. La Sarita.



SANCTI DAMIANI OPPIDUM.
Castri antiqui Vestigia.
orta, et via Astensis.
C. Templum Parochiale S. Mariæ.
D. Templum et Cœnobium S. Francisci.
E. Sodalitium Misericordiæ.
F. Turris, et horarium publicum.
24

DESCRIPTIO
VILLÆNOVÆ
ASTENSIS
IN
COMITATU ASTENSI.


Situs.



Edio ferme itinere inter Cherium & Aſtam Pompeiam videre eſt longè, latèque extentam planitiem, cujus potiſſima ferme pars irrigatur, bellicis ſæpe frequentatam factionibus, militaribusque caſtrametationibus ſatîs aptam. In ejus parte, quouſque ſcilicet Cherienſis Comitatus extenditur, exſurgit Oppidum Villanova Aſtenſis, Italicè *Villanova d'Aſti*, ſic dicta, quòd ex dirutorum plurium hinc indè pagorum ruinis, ab Aſtenſibus eò loci nova Villa (nondum enim mœnibus ſepta erat) fuerit ædificata. Poſtmodum, cognitâ ſitûs opportunitate, novo murorum ambitu nonnullis munitiſſimis propugnaculis diſtincto additis exterioribus aliquot vallis, aggeribusque, profundâque foſsâ aquis jugiter plenâ, nec non pluribus lunatis ad arcendum extrinſecus hoſtem operibus, taliter fuit locus circumvallatus, ut, ſuperioribus civilibus bellis, potuerit negotium faceſſere offendere volentibus, dum, ſive ab Hiſpanis, ſive à Gallis obſideretur. Habet præthereà ab utroque latere duas antiqui operis Turres, ejusdem pænè formæ, atque ſtructuræ, pleraque in agro minora Caſtra, quæ à diverſis in eo tractu Nobilium familiis jure feudi poſſidentur. In hujusmodi familias ſtirps computanda Ferrariorum, unde progenitus Jo. Jacobus Ferrarius, vigilantiſſimus primò, ut eum vocat Paulus Britius in Seraphicis monumentis Ciſmontanæ Cameræ primarius Præſes, & integerrimus Regionum cenſuum adminiſtrator, deinde æquiſſimus Taurinenſis Senatûs Protopræſes, cujus ſedulitate, & providentiâ effectum eſt, ut cùm tota hæc regio militum rapacitati pateret, nullibi tamen, ſive in Caſtris, ſive in Oppidis, ſive in Civitatibus annonæ inopiâ laboratum ſit. Hujus viri piâ beneficentiâ erectum Divo Franciſco fuit elegans Sacellum in Minorum de Obſervantia, B. Mariæ Angelorum dicato, Templo, cujus peramplum fornicem, cùm fabrorum incuria neceſſariis juncturis non alligaſſet, laxatisque repentè laterum compagibus tota illius moles maximo fragore, innoxio tamen caſu, collapſa eſſet, propriis ſumptibus in meliorem, firmioremque formam redactum reparavit: deleto tamen ante plures annòs propter bellorum frequentiam vetuſtiore alio incommodiore loco ſito ejusdem Ordinis Monaſterio, cujus impræſentiarum vix ulla ſuperſunt rudera. Alit etiam Villanovarum pia liberalitas S. Helenæ Moniales, ac in publico, egenos, ægrosque, Xenodochio. Alia Oppidi non inelegantia Templa ſunt SS. Petri, & Pauli Eccleſia Parochialis ad Septentrionale, S. Martini ad Meridionale ejusdem latus, opportunis ornatæ foris, puteisque aquarum ſalubrium ibidem proſtantibus in commodum incolarum: nec deſunt laicorum Sodalium Oratoria, in quibus Chriſtianæ pietatis opera exercentur. Hæc dicta ſufficiant de Villanova Aſtenſi, ubi Sabaudo Duci fidus ſtrenuusque cum militum præſidio armorum Præfectus, ſive Gubernator reſidere pacis, bellique temporibus conſuevit.

Nominis origo. *Munimenta.* *Jo. Jacobus Ferrarius.* *Sacellum D. Franciſco ſacrum.* *Aliæ ædes Sacræ.*


Exigua
celeberrima
VERRVCA,
QVAM CAROLVS EMANVEL I. SAB. DVX
Immunitam fortissime defendit;
CAROLVS EMANVEL II.
ut ipsa sese defenderet, communivit.



50


DESCRIPTIO

VERRUCÆ

IN

COMITATU ASTENSI.

Nominis origo.



Erruca, auctore Catone apud Aulum Gellium, Noctium Atticarum lib. 3. cap. 7. veteribus Latinis est appellatus locus editus, asper, accessuque difficilis, uti, naturâ atque arte convenientibus, esse ostendemus eum, cujus damus cum exacta delineatione junctam descriptionem. *Situs.* Eminet supra dextram Eridani ripam, è Crescentini, quod fluvii lævam, sed ab eo remotiùs, occupat, regione. Insidet verò uni ex iis collibus, qui à Montecalerio ad Casale S. Evasii protenduntur, siti partim in Sabaudica, partim in Monferratensi ditione Ejus radices à parte Occidentali, versùs eundem fluvium excurrentes, undis proximè alluuntur. Indè, Austrum versùs, Ortumque, introrsum recedentes, spatium aperiunt modicæ planitiei in formam semicirculi dilatatæ arboribusque ferme ubique consitæ, ubi Anno M. DC. XXV. (quo ab Hispanorum copiis, viginti duorum millium oppugnantium numerum explentibus, sub Feriani Ducis auspiciis, Verruca obsessa est) Galli, qui una cum Sabaudis ad defensionem accurrerant, castrametati, tentoria sua disposuerunt. Hinc per Montis crepidinem, continuis aggeratum scopulis, cautibusque, ascensus est arduus admodum, atque in præceps ruens; nec aliquid habet, quod non incutiat formidinem prospectantibus, si scaturientem ex illis rupibus fonticulum unum excipias, ex quo perennes incolæ aquas hauriunt.

Castrorum Gallicorum locus, dum ab Hispanis Arx obsidetur.

Ex parte opposita, Collis, sensim procumbens, pervius suâpte naturâ est magis: quamobrem, eodem memoratæ obsidionis tempore, Hispani multo eum milite occupantes, Arcem indè bombardis, machinisque lacessere sunt aggressi. Totum verò, superiore loco prominens, montis dorsum, cui antiquitus impositum Castrum fuit formam trianguli repræsentans, sinuque suo ambit, non modò vetus Toparchæ Castellum, seu dicere mavis Palatium, sed etiam Templum Parochiale, Divo Joanni Baptistæ sacrum.

Incolarum Burgi numerus.

Oppidum, atque, uti vulgò vocant, Burgum, ubi degere perhibentur habitatorum familiæ, non plus, quàm quinquaginta, loco inferiori, non procul tamen ab eo, quod dixi, Castro, habet inter sese conjunctas domos: iis tamen exceptis, quæ, indè remotiùs, duabus divisæ Parochiis, habitantur ab iis, qui agro dant operam excolendo.

Verruca ab Hispanis frustra oppugnata.

Diù verò Verruca postremum fuit illorum ad orientem Solem Oppidorum quæ Duci Sabaudo parent ultra Padum fluvium: succedit siquidem ea Montisferrati portio, quæ olim Mantuani, nunc verò Sabaudi legibus regitur. Hinc factum est, ut Carolus Emanuel I. Dux Sabaudorum, virtutis suæ nervos amicorumque suorum auxilia adhibuerit omnia; ne Hispani in ea, cujus memini, obsidione, hoc sibi ditionis, coronæque ex parte illa tutamen eriperent.

Ante obsidionem illam ab Hispano Imperatore Feriæ Duce susceptam vix Historiæ scriptoribus nota Verruca fuerat. Verum enim verò ex obsidionis illius successu patet urbem illam jam tùm satis munitam fuisse, quæ Regio exercitui omnibus rebus instructo quæ è Mediolanensi Territorio advehebantur, fortiter restitit. Urbis Præfectus Marchio de *S. Rcran* oppugnantium vim per tres menses integros sustinuit repulitque. Bellica hostium tormenta muros fermè penitùs diruerant,

ruerant, quos statim Præfectus reparari jussit. Opem laboranri præsidio ferre cùm *Carolus Emanuel* Dux decrevisset, cum quinque Sabaudorum Milirum millibus & quatuor Francorum, comirantibus Pedemontii Principe Thomâque Sabaudo Ducis fratre, ad urbem accessit. Sua loca ipse cuique legioni attribuit operaque construenda quibus hostem coerceri posse arbitrabatur, dirutis prius omnibus aggeribus, fortalitiisque quæ ab Hispano Duce circa urbem extructa fuerunt. Hic cum incassum explodi Tormenta, cuniculos agi, imaque muri suffodi videret, neque ipsi propter continuos imbres Eridanique frequentes eluviones liceret urbi propiùs accedere, obsidionem tristis solvit reque penirùs infectâ abiit, quamquam cum expedito viginti hominum millibus constante exercitu urbem oppugnasset. Nulla ineunte illo ævo oppugnatio celebrior hac laudatur, ejusque memoriam posteris mandaverunt plurimi auctores etuditissimi, quorum alii Historiam, alii hac de re inscriptiones scripsere. Harum elegantissimam refero.

TER MAXIMÆ HISPANORVM POTENTIÆ
OMNIPOTENTIAM IN NOVI ORBIS, INDIARVM ITALIÆQVE PRÆSERTIM,
MAXIMIS PROVINCIIS AFFECTANTI
PONTIFICE CONNIVENTE.
CÆSARE, POLONO REGE, ITALICIS PRINCIPIBVS, JANVAQVE JANVM
REDVCENTIBVS AC SVPPETIAS TOTO CONATV
MINISTRANTIBVS.
FVGA FVTVRIS VICTORIIS VITAM SERVANTI;
VERRVCÆ OPPIDVLVM
CAROLO EMANVELE SABAVDIÆ DVCE SOLO PROPVGNANTE
INCASSVM TENTATVM
ÆTERNVM IN PARNASSI VERRVCÆ LVDIBRII
MONVMENTVM.

Prætereà servatam à Principe suo Verrucam, hæc supra Portam marmori incisa Inscriptio satis indicat.

Inscriptio marmori incisa.

LVDOVICO XIII. AVXILIANTE,
CAROLO EM. IMPERANTE,
VICTORE FILIO PROPVGNANTE,
HISPANO, GERMANO, SARMATA,
ITALOQVE PROFLIGATO,
VERRVCA SERVATA.

Verruca ab Hispanis proditione capta.

Loci tamen allecti opportunitate iidem Hispani, atque etiam Galli nihil intentatum reliquerunt, ut, quod aliquando malè successerat, feliciùs eveniret, utque eâ potirentur Arce, quam cognoscerent eorum progressibus militaribus maximè conducturam. Ac Hispani quidem ductore Joanne de Garrayo, proditorièque, utì fama tulit, conveniente Præfecto, qui pro Sabaudo Duce stationi militum præerat, eam Anno M. DC. XXXIX. occuparunt. Galli verò, postquam Planitiarum Marchio, Sabaudiensium copiarum virtute, Hispanicum indè præsidium, Anno M. DC. XLII. feliciter ex improviso adortus expulisset, hoc unum totis animis, atque viribus à Christiana Francica Sabaudi Ducis Matre, ejusque ditionum moderatrice extorserunt, ut liceret ipsis Verrucam cum armato milite custodire, utì, rebus ejus temporis sic exposcentibus, tandem concessum est. Verùm, cùm post undecim annos Sabaudo fuisset ab eisdem Gallis, pactorum ac pacis virtute restituta, animo suo reputans Carolus Emanuel II. Dux, quantum è re sua, suique imperii foret, si is Eridani transitus, Crescentini, atque Verrucæ munitionibus, sibi fidus, atque hosti omnino invius redderetur, ampliato murorum ambitu, totum Oppidum, Oppidique extrinseca, ex quibus hostes Castrum fortassis poterant oppugnare, eâ, quam repræsentatam hîc vides, formâ circumvallavit; addito pro Militum statione commodiore, mitandæ profunditatis, in viva rupe exciso, puteo, strenuoque Gubernatore, cui Princeps armorum imperium,

A Planitiarum Marchione liberata.

A Gallis custodita.


A Carolo Emanuele II. Duce Sabaudiæ munita.

perium, vicesque committit ſuas. Quid plura! tantâ curâ atque arte Vallis, operibus, foſſisque munita fuit urbs illa, ut meritò omnium, ne dicam Italiæ, ſed totius Europæ arcium arx merito diceretur. Nupero tamen bello, cum Dux Sabaudiæ, deſertis Hiſpanorum Gallorumque partibus, illas Cæſaris amplexus eſſet, urbs hæc pluribus menſibus à Gallis obſeſſa tandem eſt capta, munitionesque ſolo æquatæ ſunt.

Verrucæ immediati Domini.

At verò, ut aliquid de immediatis loci Dominis dicam: cùm olim Vercellenſibus jus dicerent Advocati, vulgò Avogadri, (ea eſt prænobilis inter Vercellenſes familia, Vercellenſisque Epiſcopi beneficiaria) tandemque, poſt quamplurium annorum decurſum, ejusdem loci dominium Sabaudo Principi obveniſſet, ab eoque in Renatum Tendarum Comitem, Magnum vulgò Sadaudiæ Nothum, reſervato ſibi, ſucceſſoribusque ſupremo jure, tranſlatum eſſet, Claudius, & Honoratus itidem Tendenſium Comites, Renatique Succeſſores, id Nobilibus de Scalia Bugellenſibus, ex quibus progeniti quamplures conſpicui Heroës, atque illuſtres viri, accepto pretio vendiderunt. At hæc de Verruca, de cujus obſidione prima integer libellus typis impreſſus extat, dicta ſufficiant.




Meridies
CRESCENTINO
La Madona de Palazzo
Oriens
Occidens
Septentrio
1. Porta detta del Pò fiume Reale.
2 Chiesa di S. Giuseppe, disciplinanti, et Hosped.le della Trinità.
3. Torre del Commune.
4. Piazza del Commune.
5. La Madonna delli Angeli, Chiesa maggiore.
6. Porta di Vercelli.
7. S. Bernardino, disciplinanti.
8. S. Francisco, Minori osservanti.
9. Hospedale di S. Spirito.
10. La Madona del Carmine, detta S. Michaele.
11. Molino verso Trino.
12. Molino verso Vercelli.

DESCRIPTIO OPPIDI CRESCENTINI,

IN

COMITATU ASTENSI.



Ircumpadanam regionem, ad Vercellensem tractum, Libyci, sive Lebui, aut Lebitii Ligures olim incoluerunt; incipientes ab eo loco, ubi Duria Baltea, rigatis Salassorum inferiorum agris, Eridano fluvio commiscetur. *Situs.* Ad lævam hujus ripam visitur Crescentinum, inter ejus Oræ Oppida peculiari dignum descriptione. Situs aliquanto depressior, atque aquis proximus in causa est ut cælo subsit humidiori, ac nebulis persæpe obsito, interdumque propterea minùs salubri. Ea tamen est ejusdem opportunitas, ob æqualem à Vercellis, Casali, Astaque Urbibus fermè distantiam, *Agrorum circumjacentium amœnitas & proventus.* ut circumjacentium agrorum peramplâ, amœnâque planitie, quam decursus aquarum perpetuus irrigat, magnam frumenti, canabis, leguminum vim, aliarumque vitæ humanæ necessariarum rerum copiam suppeditante, incolas numerat frequentes. *Incolarum indoles.* Hi cùm sint agriculturæ studiosi simul, ac mercaturæ, non ægrè ditescunt vendendo, emendoque, allecti maximè ponè labentis Fluminis commodo, atque navium beneficio, per quas, minore impensâ, diversi generis merces importantur, exportanturque: homines alioqui frugi, hospitales, modesti, quod, & ad augendam rem familiarem, & ad invitandos exteros valde confert; quo præsertim tempore ad solemnes ibi *Nundinæ.* nundinas convenitur, bis videlicet quoque anno, nimirum III. Idus Junii, & V. Kal. Novembris.

Oppidi initia. Oppidi antiquitatem, cui Campaniolæ nonnemo scripsit quondam fuisse nomen, nullo certo probare possumus documento. Hoc solùm constat, quo tempore Guelphorum, atque Gibellinorum in Cisalpina Gallia factiones, uti in reliqua Italia, grassabantur, multos ibi opportunam delegisse sedem, qui adversariorum metu, insidiisque patriâ excedere coacti fuerant; Vercellenses præcipuè, nec non ex Montisferrati, & Canapitii vicinia oriundi, quorum ope opibusque, septis inibi, domibusque ædificatis, locus in Pagum primò, in Oppidum deinde, continua accessione, paulatim crescens, dici, ut fertur, meruerit Crescentinum. Utut sit, indubium est, nonnisi ad Annum M. CCC. X. Crescentinates in Communitatem, ut vocant, coaluisse, propriosque ante id tempus nondum habuisse agrorum fines. *Nominis origo.* Eo siquidem anno à confinibus sibi San-germanensibus, atque Liburnensibus, ut publicis constat tabulis, confinia diviserunt.

Oppidi munimenta. Ex eo tempore, novis accedentibus habitatoribus, auctoque in dies magis ædificiorum numero, locus dignus visus est, qui muris ad propellendum hostem, si quandoque infesta inferret signa, valloque circumdaretur. Verùm cùm id pro tempore genus defensionis arcendis validioribus militum offensionibus nequaquam sufficere compertum esset, experientiâ ipsâ docente, magnum huc belli pondus conversum, dum inter se Galli, Cæsareique priore sæculo acerrimè decertarent; redactâ ad recentioris usûs formam munitione, Oppidum non muris modò, verùm etiam propugnaculis, fossâ, lunatisque extrinsecus operibus circumquaque vallatum est: ductâ ad augendam expugnationis difficultatem ad fossas aquâ, conductoque, quoties bellum strepuit, excubantium militum præsidio, sub suo Duce, probatæ fortitudinis viro. Hinc factum est, ut, accedente, quæ è regione Crescentini eminet, Verrucanâ, suprà dexteram Eridani ripam, Arce, ea ditionis Sabaudicæ portio, atque is, rerum summæ omnino accommodus Fluvii ejusdem transitus, nihil vel parùm sibi ab hoste timeat. Hoc verò abunde testatur infelix Verrucæ Anno M. D. C. XXV. ab Hispanico exercitu frustrà quadrimestri labore tentatæ successus: quo tem-

tempore Crescentinum Carolo Emanueli I. Duci, ejus Natis Sabaudis Principibus, Crequio Marescallo Gallicarum copiarum Præfecto, aliisque fortissimis viris, qui ad eam tutandam ab Hoste Oram advenerant, in hospitium, atque armorum promptuarium cessit.

Templa & Cœnobia.

Nec verò minùs ad loci tutelam confert Cælitum, qam militiæ armatæ præsidium. Habet enim omnino visenda sacra septa, in quorum frequentatione elucet incolarum religio, pietasque. Parochiale imprimis Templum ad publici fori caput, Virgini Deiparæ nuncupatum, cui sanctimoniam addit D. Crescentini Martyris sacrum Corpus, curante Hieronymo Bosco pio admodum Sacerdote Crescentinate huc Româ allatum ante non multos annos, ex Pontificis summi concessione, ut eo pignore Oppidum haberet sui nominis simul Titularem, & Tutelarem. At Venustatem eidem Templo præstant elegantissimæ icones coloratæ Apelleo Monclavi Pictoris præstantissimi penicillo. Spectandum secundo loco Fratrum Minorum D. Francisci de Observantia Fanum, Cœnobiumque perquam magnificum olim extra muros situm, sed grassante bello dirutum solo tenus, postea intrà ac prope mœnia ab incolis tutiore, commodioreque loco, de novo ædificatum, Sanctorum Januarii, ac Margaritæ sacris lipsanis venerabile, pictisque præfati Pictoris manu tabulis, ac Odæi divinæ psalmodiæ destinati sellis affabre sculptis conspicuum.

Viri docti ex eo oriundi Oppido.

Ex hoc verò Religiosorum cœtu Theologi eruditissimi, sacrique Oratores, famâ admodum celebres, prodiêre, quales fuêre FF. Hieronymus, & Ægidius ex Vialorum gente, germani fratres. Nec defuêre in reliqua litteratura illustres viri ex hoc eodem Oppido oriundi, quos non vacat singulos recensere, ut unum memorem Ubertum Clericum, prænobilem ducentos ante annos Grammaticum, qui Ciceronis, Ovidii, aliorumque veterum Scriptorum opera doctissimis lucubrationibus illustravit: ut etiam non taceam Bartholomæum Maronem, præstantissimum nostro ævo Jurisconsultum, quem ad primi in supremo Taurinensi Senatu Præsidiis dignitatem merita evexerunt. Non omittenda (quod ad easdem res sacras attinet) pietatis operibus ex instituto exercendis sedulò incumbentia tria Sodalitia Laicorum ac destinatum pauperum inopiæ sublevandæ Xenodochium, ac Mons pietatis.

Dominorum successiva mutatio.

Quod ad temporale dominium spectat. Initio Crescentinum paruit Civitati, deinde ex donatione Henrici VII. Rom. Regis, Ricardo de Titionibus Nobili Vercellensi, ejusque posteris ad Annum usque millesimum quadringentesimum trigesimum quintum. Postquam enim idem Oppidum Sigismundus Cæsar Comitatûs titulo decoràsset, ut Jacobo de Titionibus prædicti Ricardi Pronepoti adderet ornamentum, idemque Jacobus adhæsisset Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolanensium Domino, ut ejus auxiliis fretus se, suaque commodiùs ab hostibus tutaretur: certior factus tandem, Vercellensem Urbem, cum toto districtu, Oppidisque annexis, à Vicecomitibus, ejusdem Philippi cessione, in Amedeum VIII. Allobrogum Ducem, cujus filiam in Uxorem duxerat, transisse, eidem Duci perpetuum fidelitatis præstitit sacramentum. Verùm extinctâ memorati Jacobi descendentium stirpe, translatus fuit jure venditionis, in Marcum Curtium, pari de Titionibus cognomine ejus affinem, atque decoratus Marchionatûs titulo Comitatus Crescentinensis: remanente tamen ex pacto penès Principem omnimodâ jurisdictione, reique militaris imperio.




BRAYDÆ OPPIDVM, *Vernaculè* BRA.

Typus oppidi Braydæ Dit. Reg. Sab. Ducis Cels

1. Ecclesia Communitatis.	9. Sod. dec. D. Io. Bapt.	17. Ecclesia S. Francisci.
2. Parochia D. Andreæ.	10. Monasterium S. Claræ.	18. Ecclesia S. Iacobi Ap.
3. Parochia D. Antonini.	11. Xenodochium.	19. Ecclesia S. Philippi Nerii.
4. Par. D. Ioan. Baptistæ.	12. Conv. S. Genani.	20. Ecclesia S. Sebastiani.
5. Conv. D. Vinc. Ord. Pręd.	13. Ecclesia S. Rochi.	21. Palatium Communit.
6. Conv. Min. Observantiæ.	14. Ecclesia S. Secundi.	22. Platea.
7. Conv. Capucinorum.	15. Ecclesia S. Crucis.	23. Turris Publica.
8. Sod. Sanctiss.ᵃᵉ Trinitatis.	16. Eccl. montis Serrati.	24. Porta antiqua.

Iuuenalis Boetti Fossanensis delineauit Anno 1666





Pauia palea · *Monticellum* · *Victoria* · *Tanarus Flu.* · *Liguriæ pars* · *Clarascum*

DESCRIPTIO OPPIDI BRAIDÆ IN PEDEMONTIO.

Nominis origo.



Raida, desumptum à barbarica Gothorum, Langobardorumque lingua, qui diù versati sunt in Insubria, & regione Subalpina, vocabulum, terram ad culturam recens aptatam, ut ajunt, significat: unde cùm post excisam ab Alarico Gothorum Rege Pollentiam, eam infensi, vindicesque Astenses decreto reædificari vetuissent, delectusque esset mille non ampliùs passuum intervallo, ad novi Oppidi, ex Pollentinorum ædificiorum ruinis, constructionem in vicinia locus, atque ad colendum eidem attributus circumstans ager, non abs re Braidæ (*Brá* Pedemontani efferunt) ipsi inditum putant nomen. Non defuêre tamen, qui, ad antiquiora tempora referentes, credant eam, quam nunc appellamus latinè Braidam, esse eam, quæ Plinio lib. 3. cap. 5. circumpadanæ regionis nobilia Oppida recensenti dicitur *Barderate*. Utcumque sit, Locus est ex lata planitie paulatim ascendens, mœnibus olim undequaque cinctus, atque admodum arduâ expugnatu in summo clivo munitus Arce, quæ, cùm, sæviente olim inter Carolum Cæsarem, & Franciscum Primum Regem Francorum bello, fuisset à Gallis novis operibus, & militari præsidio communita, ac ab Emanuele Philiberto tunc Pedemontiûm Principe capta Anno M. D. LII. in suspendium actis, quotquot ibi Gallicis addictos stipendiis invenit, Pedemontanis, aliquibus tandem post annis solo dejecta est; ejusque vice, anno hujus sæculi vigesimo octavo, elegantissimum fuit inibi Capuccinorum Cœnobium excitatum, qui non temporalibus armis, sed jugibus ad superos precibus, quotidianâque litatione, reddunt propitium loco numen, atque hostiles impetus ab hac patria averruncant. Indè verò in circumjacentes campos, bonamque Pedemontani, & Ligustici tractûs partem lætus adeò est prospectus, ut parem in tota ita facilè Italia non invenias.

Situs.

Territorii amplitudo.

Ejus agri, qui inter feracissimos computatur, confinia in longitudinem quatuor, per circuitum millia passuum duodecim extenduntur; latiùsque patebant olim, antequam proprio, ut alibi attigimus, assignato Clarescensibus, qui in novas recenter sedes coaluerant, territorio, Braidensibus detractum ex parte foret. Nec verò suo tantùm, sed etiam, unà cum Bremetensi Abbate Marchionum Segusinorum largitione, Braida colonis agri Pollentini finitimis jus dicebat, quod indè rerum vicissitudine, in Porros Mediolanenses, tandem in Romagnanos transiit Patritios Taurinenses.

Dominorum mutatio.

Circa millesimum Christi nati annum, postquam à Saracenorum in Subalpina Provincia excursionibus est cessatum, & peculiares, de quibus inferiùs, agnovisse Dominos dicuntur Braidenses, & semet supremo Astensium imperio subdidisse; unde Asten-

ſis Capitaneatûs hocce Oppidum adhuc Caput indigitatur. Civitatis Aſtenſis fortunam ſecuti, varios Braidenſes ſucceſſivè, utì de Claraſcenſibus diximus, ſubinde Dominos habuêre, uſque ad Annum M. D. XXXI. quo ſcilicet, vigore ceſſionis à memorato Carolo V. Cæſare in Beatricem Luſitanam Sabaudiæ Duciſſam, ejusque Succeſſores factæ, parere Ducibus Allobrogum incepêre.

Incolarum numerus, & Eccleſiæ.

Incolis, quorum numerus quatuor animarum millia excedere perhibetur, in tribus Parochialibus Eccleſiis Diœceſi ſubditis Taurinenſi ſpiritualia miniſtrantur: earum Eccleſiarum uni, Monachi Caſſinenſes, reliquis præſunt Presbyteri ſæculares. Major Baſilica Divi Andreæ Apoſtoli titulo inſignis: cæteræ ſunt Chriſti Præcurſoris, atque Antonii Abbatis nomini ſacræ. Inſunt tria Mendicantium Religioſorum Cœnobia: unum quidem Dominicanorum, S. Vincentio Ferrerio nuncupatum, cujus prima fundamenta jacta dicuntur Anno M. D. XV. aliud Capuccinorum. de quo ſupra nonnihil diximus, dum de ſitu Arcis, poſtmodum ſolò dirutæ, loqueremur: tertium Franciſcanorum de Obſervantia, quod cùm tenuibus initiis, per triginta ferme annos, veluti in cunabulis jacuiſſet, tandem Anno M. D. C. XXXIII. ſolicitudine & induſtria F F F. Pauli, qui ad Albenſis Eccleſiæ infulas ſublimatus, peculiarem de hoc Conventu narrationem publici juris fecit, Angeli Gabrielis, & Innocentii germanorum de Britiis, ejusdem loci patritiis, in ingentem brevi excreſcens molem, inter illuſtriora D. Thomæ Provinciæ Monaſteria potuit numerari. Ejus verò Templum S. Mariæ Angelorum dicatum, cùm alia multa, tum venerabiles Sanctorum Reliquiæ commendant:

Sacra lipſana.

Corpus imprimis S. Victoriæ Virginis & Martyris huc, annuente Urbano VIII. Pontifice Maximo, deportatum; S. Pauli Martyris Caput; atque oſſium SS. Ottimii, Luciani, Octaviæ, Aquileæ, Nerei, & Annuarias; nec non Beatorum Benvenuti, unius ex Divi Franciſci Aſſiſinatis ſociis, ac Joannis à Capiſtrano oſſium pars inſignis. Habet prætereà Sanctimonialium, hiſce poſtremis luſtris introductarum, elegans gynæceum; Laicorum Sodalitia plura, unum in pauperum ægrotantium levamen, hoſpitiumque peregrinorum, Xenodochium; aliaque ſacra loca, in quibus pietatis operibus ergà Deum, & proximum ex inſtituto exercendis, incolæ ſedulam navant operam.

Juventus ad humaniores literas apta.

Hoc peculiater memorandum, juventutis ingenia, ſi excuſſo otio excolantur, eſſe ediſcendis litteris, præſertim humanioribus perquam apta, in iisque admodum proficere. Muſarum verò, metricæque orationis Braidenſes ſunt in univerſum maximè ſtudioſi, quod, ut alios omittam, affatim probat unus inſtar omnium Andreas Valfredus, qui à prima uſque in ſenium adoleſcentia carminibus Italicè pangendis ita excelluit, ut inter noſtri ſæculi Poëtas, laureâ in eo genere, videatur eſſe, & palmâ dignus. Id tamen nullum afferre conſuevit impedimentum, quò minùs ſolidiores litteras ament, ac utriusque juris ſcientiam quoque avidè amplectantur, quod abundè teſtantur laureati plusquam triginta ex hoc Oppido oriundi, qui patrocinandis clientum cauſis, non in Senatu modò Pedemontano, verùm alibi etiam, cum ingenii atque ſagacitatis laude vacantes, viam ſibi aperiunt ad honores, & dignitates.

Nobilis de Braida familiæ virtutes.

Addendum etiam, non defuiſſe, nec deeſſe familias, quæ profeſſæ nobilitatem, Avorum virtutes, & merita in Nepotes, poſterosque transfundunt. Has inter quondam excelluit ea, quæ inter Albæ Pompeiæ primarias computata, nomen à Loco, in quo per aliquod tempus creditur dominata, accepiſſe fertur de Braida. Hæc in Subalpino tractu, opibus, potentiâ, auctoritate, exiſtimatione adeò crevit, ut nihil ferè in eo dignum memoriâ, per duo ferme ſæcula vel pace, vel bello geſtum ſit, quin primas rei bene gerendæ partes ſibi ejus gentis aliquis vendicârit. Illuſtrârunt verò valde cognomen iſtud Robaldi de Braida duo, Guelphæ partis adverſùs Gibellinos primarii pro Carolo primo Andegavenſi Ductores: eorum unus Canonícorum Regularium Congregationis Mortarienſis fundavit Braidæ Collegium, quod nunc in Commendam, utì vocant, redactum, audit ſub S. Germani titulo Prioratûs. Illuſtrârunt, Petrus, Caroli Secundi, & Conradus, Roberti Hieruſalem, & Siciliæ Regum copiarum Præfecti: Ruffinus, electus ad Annum M. CCC. VIII. unà cum Robaldo de Ripalta, & Eduardo Sabaudo, arbiter, pro ſopiendis inter Philippum Achaiæ Principem, & Manfredum Marchionem Salutienſem diſcordiis: Gulielmus Anno M. CC. XXXVIII. Albenſis Præſul: Joannes Judex in Pedemontio major, dein Amedei Achaiæ Principis Cancellarius, aliique, quorum nominibus, atque geſtis integrum non ſatis eſſet volumen. Hujus ante aliquot ſæcula ſtirpis nonnulli, dum Siculis Regibus, quà in Occidentali, quà in Orientali Italiæ Ora fidelem, & utilem navant operam; fixâ in ſolo Neapolitano familiâ, laribusque, ibidem cum nobiliſſimis ejus Regni proceribus, affinitates, & matrimonia contraxêre, acquiſiverunt que amplas admodum toparchias, dynaſtiasque. Noſtro item ævo Julianus, & Joannes Antonius de Braida; cùm ex natali Pedemontii ſolo in Germaniam conceſſiſſent, Cæſareæ Majeſtati propriam virtutem

tem adeò probaverunt, ut primus generalis Imperialium copiarum Locumtenentis, ſecundus Equitum Tribuni militares præfecturas ſint conſecuti, atque familiam in eadem Provincia ſuam novis Oppidorum dominiis, atque admodum opulento ſtabiliverint patrimonio. Ut verò rem uno verbo claudam, Braida gens quamplura in Subalpinis Caſtella, diverſis temporibus acquiſivit, aliquandiùque, ſive in totum, ſive ex parte, tenuit, Alpiaſcum videlicet, Manzanum, Brondellum, Caſalegraſſum, Centallum, Caſtelletum, Cerverias, Cornelianum, Lequium, Montilium, Publicias in Aſteſio, San-Damianum in Valle Macræ, Caſtrum novum Sanfredi, Raconixium, Ruffiam, atque Ronſiccum in Vercellenſibus, Novellum in Liguribus, Vignoliumque propè Cuneum, præter Braidam, de qua præcipuus nobis ſermo.



CLARASCUM

TANARUS FL.

STURIA FL.

A. *Eccle[...] Petri.*
B. *Ecclesia Parochialis S. Martini.*
C. *Ecclesia Parochialis S. Gregorij.*
D. *Ecclesia Parochialis Frat. Erem. S. Augustini, sub titulo S. Mariæ.*
E. *Ecclesia, et Cœnobium Frat. Prædicat. S. Dominici sub tit. S. M. Magdalenæ.*
F. *Ecclesia, et Cœnobium Frat. Minor Observantiæ S. Francisci sub titulo S. Antonij Abbatis.*
G. *Eccl. et Cœn. Frat. Carmelitarum sub tit. Nativitatis S. M. Virginis.*
H. *Monasterium Monial. S. Claræ.*
I. *Oratorium S. Iffredi.*
L. *Oratorium Consororum S.mi Crucifixi.*
M. *Oratorium Disciplinant. S. Augustini.*
N. *Oratorium Humiliatorum S. Augustini.*
O. *Eccl. S. Blasij.*
P. *Nosocomium Civitatis.*
Q. *Mons Pietatis.*
R. *Palatium, et Horarium Civitatis.*
S. *Porta Narsoliar.*
T. *Porta Sturiæ.*
V. *Porta S. Martini.*

DESCRIPTIO URBIS CLARASCI IN PEDEMONTIO.



Situs. Larascum, Italis *Cherasco*, situm est in Astensis Comitatûs confinio, Ligurum olim Bagiennorum extremis agris, ubi videlicet Sturia fluvius, ad ejus Septentrionalem plagam præterfluens, decurrenti ad Orientem Tanaro commiscetur. *Nominis origo.* Quod nunc in usu est nomen, accepisse autumant nonnulli ab aprici soli, atque sereni ut plurimùm aëris claritate: nos verò à Carasco, sive Ciarasco (Carascotum posteriora sæcula appellarunt) vetere Castello, de quo in gratiam Anselmi Astensis Præsulis meminere Eugenii III. Anno M. C. LIII. atque Andriani IV. Anno M. C. LVI. Pontificum Romanorum diplomata, ex cujus forsan ruinis coaluit, immutato aliquantum à Latinâ pronunciatione vocabulo, dictum credimus, ædificatumque, sive ampliatum circa reparatæ salutis Annum M. CC. XX. eo scilicet tempore, quo Astensibus contrà finitimos Albenses hostiliter insurgentibus, *Oppidi origo.* cùm adversùs illorum potentiam Albenses, ii præcipuè, qui extrà Urbem in Castellis degebant, se minimè tutos crederent, electo ad prædictorum fluminum confluentes loco ad habitandum, & muniendum opportunissimo, Oppidum, sive de novo excitatum, sive instauratum, forti, ut ejus ætatis munitionum ratio exigebat, usquequàque cinxere muro: unde vulgatum carmen, quod olim Clarasci portæ superpositum, nunc verò abrasum testantur nonnulli:

Clarasci Portæ sunt Albæ viribus ortæ.

Verùm non ex Albensibus modò Civibus, sed ex Manzani etiam Dominis, Costæ-Ungaricæ, Mianæ, Montisayroni, Ripaltæ, Trifolietti, Villatarum, Cerveriarum, Narzolarumque incolis convenere eo loci ad habitandum, quorum plerosque, ut ex avitis migrarent sedibus, invitâsse perhibentur propriorum vexationes tyrannicæ Dominorum. Oppidum verò, non, ut plerumque rudioribus illis sæculis usuveniebat, tumultuariè, atque structis inconsultè domibus excitarunt, sed electo saluberrimo, quà Meridiem spectat, situ, mœnibus in quadrum ductis, peramplum forum medio spatio relinquentes sublimis ibidem fundamenta jecêre Turris, quatuor fultæ pilis, unde, veluti è centro, & umbilico, per quatuor maximè rectas, & amplas vias, ad quatuor Oppidi latera, duasque sibi ex diametro oppositas portas jucundissimus est prospectus. Arcem quadrilateram, cum suis ad angulos Turribus, mœnibusque junctam, Luquinus Vicecomes, Mediolani, ac per aliquod tempus Clarasci, uti infra dicetur, Dominus, dicitur ædificasse. *Arcem quis ædificavit.* Propugnacula verò, fossas, atque lunata extrinsecus opera, ad recentioris normam architecturæ, posuit Christiana Francica Sabaudiæ Ducissa, dum tutorio Caroli Emanuelis II. Filii sui nomine regendæ præerat ditioni; *Munimenta recentioris normæ Christiana Francica Sab. Duc. posuit.* unde factum est, ut Clarascum Subalpinos, Ligures, Insubres interpositum, situ, manuque fortissimum, Sabaudici dominii veluti clavis, atque antemurale vulgò indigitetur. Id nostro ævo eventus probavit: nam, quamvis priore sæculo, dum, furore bellico, Austriacos inter ac Gallos grassante, Subalpina omnia vastabantur, triginta non ampliùs annorum spatio, quater, quà horum, quà illorum armis cedere, crudelitatisque inauditæ damna, ab Austriacis præsertim, Clarascenses pati coacti sint, superveniente etiam in malorum cumulum lue contagiosâ, quæ incolas magna ex parte extinxit; felicioribus tamen auspiciis postmodum arridente fortunâ, ne

insequenti sæculo res Pedemontanæ in pejus ruerent, Clarasci conservatio potissima causa fuit: præsertim cùm Anno M. DC. XL. non licuit Hispanicis copiis Oppido inopinantibus cunctis, aggresso, potiri, ut animo jam conceperant: neque eo, qui insecutus est, anno, cùm Clarascum validiore exercitu iterum invasissent, ut ad ejus defensionem convolaturos Gallos, atque Sabaudos à Cuneo diverterent obsidendo, efficere potuerunt, quin strenuè, multisque acceptis cladibus pellerentur ab Oppidanis, paucisque iis militibus, qui ad loci præsidium excubabant, quamvis bis intempestâ nocte post diem vigesimam primam, & vigesimam sextam Augusti aggressionem obstinato animo iterassent.

Clarascum strenuè adversùs Hispanos defensum.

Territorii fines.

Ejus ager admodum latè patet, novem fermè mille passuum diametro, Novelli, Bennarum, Caballariique majoris agro confinis: patebatque latiùs olim, antequam Cerverias Fulco de Agouto, pro Joannâ Neapolitanorum Reginâ in Pedemontio Locumtenens, ut eas Conrado de Braida donaret, à Clarasco, cujus agri erant portio, Anno M. CCC. LXV. disjunxisset. Nulli verò ex circumstantibus alii cedit idem ager fœcunditate, tritico præsertim in plano solo, vinoque in collibus, qui identidem mirâ emergunt varietate, tantâ gignens utrumque copiâ, & bonitate, ut ex jugi ad exteros transmissione maximum paretur emolumentum. Bovini generis habet, & quod faciat satis exercendæ agriculturæ, & edulio incolarum quotidiano. Nec sola in solo ubertas, verùm & in aquis circumlabentium, de quibus superius memini, fluviorum, in quibus copiosa thymallorum, troctarumque piscatio, saporis, plusquam in aquatili aliarum in vicinia aquarum grege experientiâ comprobetur, exquisitissimi.

Fertilitas.

Aëris salubritas.

Aër verò ita saluber est, ut credatur conferre plurimum vitæ in senium producendæ: quin immò, cùm Anno M. DC. XXXI. in Pedemontano tractu, reliquisque vicinis locis, jam biennium pestis debaccharetur, mortaliumque frequentes ederet strages, Clarascum, ab ea intactum lue Victor Amedeus I. Sabaudiæ Dux delegit, ut ibi pro sanciendâ cum Duce Mantuano pace, Oratores Pontificius, Cæsareus, Regumque Christianissimi, ac Catholici felici exitu convenirent.

Incolarum numerus, & indoles.

Populus ad septem animarum millia computatur; constatque non ex Mercatoribus modò, Artificibus, Agricolisque, verùm etiam ex iis, qui avitam profitentur nobilitatem. Ingenia verò litteris, armisque aptissima, si excolantur, desidiamque, ad quam incolas persæpe rerum invitat copia, sponte excutiant, mirum, quantum in utroque proficiant: quod eò magis usuvenit, si è patrio migrantes solo Clarascenses alibi in morem feracium arborum transplantentur.

Clarasci potentia.

Cæterum, ut eò, unde discessimus, revertamur; cùm, ut dixi, diversorum Oppidorum incolæ unà hoc loco coaluissent, brevi in tantam potentiam devenerunt, ut validissimis Astensium, Albensium, Cheriensiumque viribus resistere non semel potuerint, suosque ab illorum armis illæsos servare fines, in quos illi jus sibi competere autumabant. Pace demum Anno M. CC. LXXVII. inter hos, illosque conditionibus æquis firmatâ, atque amicitiâ renovatâ; Civitate Clarascenses à memoratis Astensibus, Albensibusque donati sunt, communicato vicissim illis suæ Patriæ privilegio, ac assumpto in militaribus expeditionibus rubræ, quam iidem pro scuto gestant, insigni Crucis. Hisce freti auxiliis, quotidianisque incrementis, sub aliquali Reipublicæ forma, subque propriis legibus, & statutis, supremo tamen Germanicorum Cæsarum imperio, nutuique obedientiam professi eàtenus floruere, donec cedere coacti sunt armorum Caroli I. Andegavensis, Provinciæ Comitis, postmodum utriusque Siciliæ Regis, felicitati, cui, Anno M. CC. LX. recipientibus Vicedomino Aquensi in Provinciâ Archiepiscopo, atque Gualterio de Alneto Provincialium Senescallo, fidelitatis sacramentum solverunt. Caroli Successoribus Clarascum paruisse videtur usque ad Joannam Reginam hujus nominis primam: illâ verò oscitantius ad defendendos ditionum suarum populos ab hostium insultibus se gerente, Clarascenses, exemplum finitimarum secuti Urbium, Amedeo VI. quem Viridem vocant, Sabaudiæ Comiti, nec non Jacobo Sabaudo Achaiæ Principi, sponte se Anno M. CCC, XLVI. dedidere. Non licuit tamen eisdem diù sibi ipsis de tam felici faustoque dominio gratulari: nam suas ludente fortunâ vices, modico annorum intervallo, aliorum est dominatio Principum subsecuta, Marchionis nimirum Monferratensis, Luquini Vicecomitis Mediolanensium Principis, Joannæ Reginæ iterum, Galeatii, ac demum Joannis Galeatii Vicecomitum, à quorum postremo, cùm jure dotali Valentinæ filiæ, Ludovicus Aurelianensium Dux, cui illa nupserat, Clarasci, aliarumque circumjacentium regionum regimen accepisset, ab hujusque Successoribus, unà cum Comitatu Astensi ad Carolum Quintum Cæsarem devenisset, ejus denique cessione ad Sabaudicam, ut alibi jam narravi, Coronam, in gratiam Beatricis Lusitanæ, Conjugis Caroli III. cognomento Boni Sabaudiæ Ducis, postliminio rediit, Anno post Christum natum M. D. XXXI. Indè semel iterumque eodem sæculo captum, ac diversimodè, ut superiùs attigi, ab Austriacis, Gallisque vexatum, tandem, Cameracensis pacis Anno M. D. LIX. sancitæ vigore, Emanuel Philibertus Caroli Filius, Sabaudici dominii, dexteræ suæ invictâ fortitudine, restitutor, recuperavit, atque ad posteros, quibus hucusque fidelissimè paret, felicibus transmisit auspiciis. Emanuelis Philiberti, post Carolum Emanuelem I. Successor Victor Amedeus, hujusce nominis primus, attentâ Civitatis Clarasco titulum impertivit, Caput Provinciæ peculiaris, ac Præfecti Sedem esse jubens, ad quem ab ordinarii Judicis (Potestatem vocant) sententiis,

Dominorum mutatio.

Civitatis titulum à quo accepit.


[illegible]


ſententiis, uti & ab eo ad ſupremam Taurinenſis Senatus Curiam, provocatur. Publicis rebus adminiſtrandis eliguntur tres quotannis Syndici, nec non octo ſupra viginti Conſiliarii, præter rationum Exactores octo, ex Civium dignioribus per ſuffragia creati. Ad Civitatem verò, Provinciamque ſupremi Principis nomine gubernandam, mitti ſolet ex nobilioribus, atque probatæ virtutis Aulicis unus, qui præterea militari præſidio, reique bellicæ cum imperio præeſt.

...cleſiæ & ...des Sacræ ...ntra & ex- ...a Civita- ...tem.

In Spiritualibus, Claraſcenſis diſtrictus, Aſtenſis eſt portio Diœceſis; ornaturque Civitas ſeptem Parochialibus Eccleſiis, ex quibus, quatuor intrà murorum ſepta, tres agri confiniis includuntur. Omnium antiquiſſima, ac veluti matrix, eſt ea, quæ Apoſtolorum Principi ſacra, D. Petri de Manzano (inde quippe huc olim ejus titulus eſt tranſlatus) nuncupatur Præpoſitura, atque inter Conſiſtorialia Beneficia recenſita, gaudet in Solemnitatibus uſu baculi atque mitræ. In ejus verò Baſilica colitur Sacrum D. Virginii Martyris Corpus, Urbani Octavi Summi Pontificis dono, à Jo. Secundo Ferrerio Claraſcenſi, utriusque Signaturæ Referendario, ac Pontificiæ Domus Prælato impetratum, atque ab eo in hanc Patriam ſuam transmiſſum. Succedunt Eccleſiæ Parochiales S. Martini ab uno Archipresbytero adminiſtrata; S. Gregorii, gaudens titulo Plebanatus; Sanctæque Mariæ de populo, cui inſervientes Religioſi Auguſtinenſes, Congregationis dictæ de Obſervantia Lombardiæ, ædes noſtris temporibus ædificarunt perquam magnificas. Extrà Civitatem numerantur Parochiales S. Bernardi de Narzolis, S. Mariæ aſſumptæ de Roboreto, & B. Virginis, dictæ de Capellatio, in extremo Savilianum versùs agri confinio, quarum Sacerdotes laici ſunt miniſtri. Inſunt præterea trià Mendicantium Religioſorum Cœnobia, S. Mariæ Magdalenæ videlicet, Fratrum Prædicatorum, cujus peramplum Templum Carolus Secundus Neapolitanorum Rex, Claraſcique Dominus, poſt adeptam ex Aragonico carcere libertatem, ſimul cum aliis intrà ditiones ſuas undecim ex voto perhibetur ædificaſſe: B. Mariæ Carmelitarum, cujus olim Cœnobii alumnus Fr. Franciſcus Voertius, qui res patrias monumentis hiſtoricis commendavit: medio denique foro, locoque Civitatis frequentiore (ubi quondam ſub D. Antonii titulo, S S. Mauritii, & Lazari Equitum Ordini annexa Præceptoria) Minoritarum, quos Obſervantes vocant, ejus capacitatis, ut Fratribus, qui ſtatis temporibus ſolent ad Provincialia comitia convenire, hoſpitium præbere quiverit non incommodum. Habet quoque Sanctimonialium, D. Claræ inſtitutum ſectantium elegans Monaſterium, præter alia duo, licet præ vetuſtate fatiſcentia, Templa, unum D. Blaſio, alterum verò Divæ Catharinæ ſacrum, quibus annexa Clauſtra ferunt alias Deo votas Virgines olim inhabitaſſe. Nec deſunt duo, admodum frequentata, Laicorum Oratoria, in quorum uno piâ veneratione colitur S. Efflamiæ Virginis, & Martyris, ab Urbe Romana, unà cum ſuperiùs memorati S. Virginii oſſibus, allatum Corpus; cranium quoque S. Eufredi, ſeu Theofredi Aſcetæ Benedictini, ex hâc, uti fertur, patria oriundi, ad quem, ut in ſuo Italiæ Sanctorum Catalogo ſcribit Philippus Ferrarius, impetrandæ à Deo ſalutis ergò amentes deduci ſolent; aliqua præterea S S. Conſtantii, & Jofredi Militum Thebæorum, ac ſub Maximiani perſecutione Martyrum oſſium portio, aliaque ſacra lipſana, eo, quo decet, cultu ibidem repoſita pio fidelium cultui exponuntur. Non deſiderantur denique Fœminarum, quas dicunt Humiliatas, Sodalitia duo, Publicum Noſocomium, nec non Mons pietatis in ſubſidium egenorum, aliaque tam intrà, quàm extrà Civitatem loca Divino cultui, & exercendis in proximum charitatis operibus deſtinata.

Sacra Lipſana.





1. Castrum, et eius Platea.
2. Palatium. Platea et Turris Commun.
3. Porta S. Martini.
4. Porta Salicis.
5. Porta Burgi veteris.
6. Porta Romanisſa.
7. Porta S. Georgii.
8. Palatium Episcopale.
9. Cathedralis S. Iuvenalis Patroni Civitatis.
10. Ecclesia Parochialis commendata S. Ioannis Hierosolymitani.
11. Ecclesia et Domus Parochialis S. Ioannis Baptistæ.
12. Ecclesia et Domus Parochialis S. Georgii, eiusq; Platea.
13. Ecclesia et Conventus Conventualium S. Francisci.
14. Ecclesia et Conventus Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Minor Observant. S. Francisci.
15. Ecclesia & Conventus Laurentii Capuccinorum.
16. Ecclesia Perceptoria & Domus Hospitalis S. Antonii Viennensis.
17. Ecclesia & Conventus S. Augustini Congreg.nis Lombardiæ.
18. Ecclesia & Collegium S. Mariæ Angelorum Congreg.is de Somascha.
19. Oratorium Congregationis S. Philippi Neri.
20. Monasterium Monialium S. Catharinæ Ordinis Cisterciensis.
21. Monasterium & Ecclesia Monialium S. Claræ.
21. Monasterium Orphanarum S. Brigittæ Compatronæ Civitatis.
21. Domus Canonicalis Pænitentiariæ & [illegible] Peregrinor. ecclesiastic.
22. Hospitale maius & Oratorium Disciplin.rum Sanctiss. Trinitatis.
23. Oratorium Disciplinant. Confallonis Sanctiss.mi Nominis Iesu.
24. Orator. Disciplin.rum S. Iohannis Baptæ Decollati.
25. Domus Canonicales.
26. Domus Collegii Seminarii.
27. Domunculæ Confratriæ S. Spiritus.
28. Domus Montis Pietatis.
29. Ecclesia S. Ioseph.
30. Capella et Palatium S. Marthe.
31. Ecclesia nova Beatæ Mariæ Virginis ad S. Sebastianum.
32. Capella S. Caroli.
33. Capella S. Rochi.
34. Capella Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.
35. Fons Romanisſa.
36. Fons S. Georgii.
37. Fons Burgi veteris.

a. Villa Trinitatis. b. Civitas Montis Regalis.
c Villa Sancti Albani. d. Villa Montanere.
e. Villa Castelletti. f. Civitas Cunei.

Iuvenalis Boettus Fossanensis delineavit.

DESCRIPTIO

FOSSANI

CIVITATIS,

IN

PEDEMONTIO.

Civitatis initia & augmentum.



Pro asserenda antiquitate Fossani, Civitatis in Pedemontana ora Episcopalis, non est quòd inaniter laboremus: nihil enim aliud olim fuit, præterquam mediocris super altis Sturiæ fluvii ripis Vicus, loco tamen adeò amœno, aquis, fontibusque irriguo, fertili insuper, ac salubri, ut Fontis indè sani nomen ipsi obtigisse non nemo credat. Fuisse locum quondam habitatione hominum frequentatum argumento est Sanctimonialium Monasterium in vicino solo, Anno M. C. ædificatum, de quo infrà verba iterum faciemus. Crevit variorum hinc indè populorum coïtione, Romanisii præsertim, Villæmiranæ, Sarmatoris, atque Ricrosii, qui proprios lares ad Burgum vetus (ita tunc Fossanum indigitabant) transferentes, suum cujusque Castelli nomen distinctis Oppidi partibus indiderunt. *Nomen vetus.* Ut ab hostium se faciliùs aggressionibus tuerentur, novis murorum septis Anno M. CC. XXXVI. locum circundare inceperunt, sub auspiciis Marchionis Manfredi Lanceæ, qui circumpositis regionibus Imperialis Vicarii titulo præsidebat, utì docemur marmoreâ Inscriptione appositâ superliminari Portæ Sarmatoriæ, hisce conceptâ verbis:

In nomine Regis Regum, et Reginæ Cælestis, et
Sancti Georgii Patroni nostri, fundatus Locus Fossani
Anno M. CC. XXXVI. Die vii. Mensis Septembris,
Sub regimine Domini Manfredi Lanceæ Marchionis,
Facta fuit Porta Sarmatoris de Loco Fossani, &c.

Ab eo tempore, loci opportunitate allecti convenêre illuc plerique etiam Nobiles, vicinorum Domini Castellorum, quibus proprio in eadem Castella juri renunciantibus, Fossanenses domum publico ære ædificatam, ac in summo fastigio pinnis, (*merlos* Itali vocant) in nobilitatis indicium coronatam, grati animi monumentum, singulis concesserunt. Nobilium de Platea hujusmodi imposterum familiæ sunt vocatæ, sequenti ordine Alphabetico ab Episcopo Salutiensi, aliisque recentioribus recensitæ, videlicet de Amentonis, Ancina, Bava, Bolleris, de Bove, Britiis, Dionysiis, de Drua, Govonis, Marenchis, Monteforte, Opertis, Pasella, Paseris, Paucapalea, Pitatoribus, Ripalta, Specialis, de Sancta Julia. *... Real. ... l. Ne- ... Orig. di ...*

Cùm ex hisce Fossanensium incrementis Astenses, qui latè in ejus Oræ confiniis dominabantur, res suas imminui dubitarent, non cessârunt eos lacessere crebris incursionibus, atque obstare successibus, donec Anno M. CC. LI. sancitâ inter utrosque pace, removendis discordiarum fomitibus est per communes amicos, atque arbitros laboratum. Id ipsum egêre iidem cum finitimis Savilianensibus Fossanenses, cum quibus super Genoliæ, ac Levaldisii dominio litigia intervenerant. Demum pro publico populi regimine leges sibi peculiares ac statuta

ſtatuta municipalia, quorum uſus eſt adhuc in viridi ut plurimùm obſervantia, promulgârunt; datâ in transgreſſores poteſtate animadvertendi annuo Rectori aliunde accito, utì reliquæ in Lombardia Civitates regi tunc temporis conſueverant.

Dominorum mutatio.

Ab Anno M. CC. LXXIV. uſque ad ejus ſæculi finem, iterum Aſtenſium armis petiti, Marchionum Salutienſium præſidium advocare coacti ſunt. Hos tamen Carolus II. Andegavenſis, Provinciæ Comes, & Rex Siculorum, diverſis aggreſſus locis, Foſſano imprimis, Cuneo, Buſcâ, Sturanâ Valle, dominiisque aliis ſpoliavit, quæ ad Robertum Filium hereditario jure transmiſit. Interim Henrico VII. Cæſare Italiam ex Germania inviſente, atque Italos ſibi Principes contra Robertum conciliante, Manfredus Salutienſis Marchio plurimas ab Henrico terras, quas idem in Subalpinis Robertus poſſidebat, clientelæ nomine accepit: Foſſanum præſertim, contra quem Locum, cùm hac de cauſa ingens belli moles ingrueret, inſuper ab inteſtinis Guelphorum, atque Gibellinorum factionibus vexaretur, Foſſanenſes publico decreto Philippum Sabaudum Achaiæ Principem Anno M. CCC. XIV. accerſierunt, cujus, ejusque poſtmodum Filii Jacobi, demum Amedei IV. Sabaudiæ Comitis, cognomento Viridis, atque ab ejusdem Regia Stirpe ſuccedentium imperio, non obſtantibus Principum æmulorum iteratis inſultibus, hactenus paruerunt.

Multum verò Foſſanum debet, hos inter, Emanueli Philiberto, atque Carolo Emanueli hujus nominis Primo, Patri, Filioque immortalis memoriæ Allobrogum Ducibus, quorum ille, ut gratum erga fideliſſimos ſibi Foſſanenſes animum teſtaretur, diplomate dato Taurini Anno M. D. LXVI. non modò Oppidum Civitatis titulo decoravit, Vicariumque ſive Judicem inibi à Ducali Curia deputandum, in plurium Locorum circumſitorum diſtrictum jus dicere voluit: verùm etiam Regium Familiæ Sabaudicæ inſigne publico Foſſanenſium ſcuto, quod conſtat ſex fuſci, candidique alternatim coloris faſciis, addi voluit, unà cum meritorum expreſſiva, in ſummo, epigraphe: FIDELITATIS INSIGNIA: alludens nimirum ad res lapſis retrò temporibus ab iisdem Foſſanenſibus geſtas, qui, quamvis multoties adverſante fortunâ, in obſequium ſui Principis publicè privatimque proprias ſubſtantias, ac ſanguinem expoſuerant. Quamobrem litterarum amantiſſimus Comes Alexander Theſaurus, ſuper Patriæ ſuæ inſigni ſymbolo, eleganti Dialogiſmo ſic luſit:

Foſſanum Civitatis titulo & inſignibus decorat Eman. Philibertus.

Nobile Stemma tibi Foſſanum contigit unde?
Hoc meruit gentis gloria priſca meæ.
Tænia cur orbem ter triplex ordine complet?
Oppida ſena lares hic poſuêre ſuos.
Principis in medio claudis quid ſigna Sabaudi?
Excepit Dominum noſter ab hoſte ſinus.
Quid ſibi vult lauri circum contenta Corona?
Ut victor viream, fulmina nulla timens.

Carolus verò Emanuel viribus totis contendit, ad exitumque perduxit, ut Foſſanenſis Civitas, in Ducalem à Patre erecta, in Epiſcopalem quoque (quod idem Pater animo dudum conceperat, atque morte præventus infectum reliquerat) Civitatem à Summo Pontifice, fixâ ibidem Epiſcopali Cathedrâ, erigeretur.

Carolus Emanuel Primus Epiſcopalem Cathedram Civitati impetrat.

Itaque impetrato, Anno M. D. XCII. à Clemente VIII. Urbis & Orbis Paſtore in primum Foſſanenſem Epiſcopum Camillo Daddeo à Monte Regali, olim Præſule Brugnatenſi, atque, ad conſtituendam novam eidem Diœceſim, nonnullis Eccleſiis à Taurinenſi, Aſtenſique Diœceſibus disjunctis, cœpit Foſſanum inter Epiſcopales Urbes, ſub Taurinenſi Metropoli annumerari. Cùm verò hac de cauſa ſuper Civitatis ſtatu, Eccleſiæque Collegiatæ Foſſanenſis in Cathedralem erigendæ in Conſiſtorio referendi partes demandatæ antea forent Michaeli Bonello S. R. E. Cardinali Alexandrino, is laudibus extulit inter cætera ſacorum ejusdem Civitatis ædificiorum antiquitatem; Palatiorum magnificentiam; familiarum nobilitatem; litterarum cultum; rei militaris peritiam; ſitûs commoditatem; agri fertilitatem; pratorum amœnitatem; copiam armentorum; ſalubritatem aëris; acumen ingeniorum; corporum venuſtatem. Memoravit ejusdem amplitudinem Civitatis; antiqui Caſtri, quatuor, ad angulos, muniti turribus, tutamentum; quinque, ad mœnia, bene obfirmatas Portas; ſpatioſas vias, magnificis hinc indè ſeptas, cum continuata porticu, ædificiis. Laudavit populi numerum ad novem animarum millia computati; ejusdem avitam religionem ex conſtructione peramplæ Baſilicæ ſub titulo S. Mariæ, & S. Juvenalis Narnienſis Epiſcopi, cujus ibidem colitur ſacrum Corpus, à pluribus ſæculis Collegiatæ, futuræ jam Cathedralis, in Civitatis centro, locoque poſitæ opportuniſſimo. Supereſſe prætereà retulit tres alias Eccleſias, nempè S. Mariæ de Salice Hieroſolymitanæ Hoſpitaliorum Militiæ Ordini addictam; S. Joannis, Sanctique Georgii olim Loci Patroni, Parochiales. Numeravit inſuper Eccleſiam ſub titulo S. Antonii commendatam; tria Religioſorum Cœnobia, Conventualium ſcilicet S. Franciſci, Obſervantum, Capuccinorum; tres Laicorum, pietatis operibus exercendis deſtinatas Societates; Hoſpitale magnum; Confratriamque, ſub invocatione Sancti Spiritûs, opulentam. Nec tacuit Sanctimonialium Ciſtercienſium extrà mœnia Monaſterium; S. Petri de Gerbo Eccleſiam ab ejusdem Ciſtercienſis Ordinis Monialibus, quæ degunt Draconerii, dependentem; quampluraque Sacella campeſtria, in quibus, ſingulis diebus, ſaltèm feſtivis, Miſſæ peragitur Sacrificium. Hæc, atque alia, in commendationem Foſſanenſis Civitatis multa, Eminentiſſimus Cardinalis.

Michaël Bonellus S. R. E. Cardin. Foſſanum laudibus effert.

Civium numerus.

Eccleſiæ.

Ab eo verò tempore, vel in Urbem introducti ſunt, vel in agri finibus ſtabiliti Auguſtinenſes, tam ii, quos Baptiſtinos à Fratre

Baptiſta


Baptistâ à Genua Formatore, quàm illi, quos Congregationis Lombardiæ alumnos vocant; Clerici insuper Regulares de Somasca, erudiendæ pietate & litteris juventuti publicè deputati; Moniales sub S. Catharinæ invocatione, Cistercienses; denique Clerici Congregationis à Divo Philippo Nerio in Romana Urbe institutæ: de quorum omnium initiis, progressuque legendus Joannes Niger Canonicus Fossanensis, Protonotarius Apostolicus, Vicariusque Episcopalis, qui non modò res Patriæ suæ peculiari volumine, Anno M. DC. L. typis dato, graviter accuratèque descripsit, verùm etiam eandem Patriam, piorum operum publicâ accessione, magna ex parte nobilitavit: ædificato videlicet, ipsius, aliorumque proborum virorum ære, Clarissarum Virginum Monasterio; Puellarum parentibus orbatarum Orphanotrophio; ac Domo, pro decenter commodèque suscipiendis Sacerdotibus peregrinantibus inopiâ pressis, hospitali. Ne igitur actum ab eo agam, supersedendum mihi duco à referenda memorati S. Juvenalis Antistitis Narniensis, jugis miraculorum opificis, Romanisium, unde, ut initio dixi, Oppidum olim ex parte emersit, atque indè ad dicatam ejus nomini Basilicam, sacri Corporis translatione: Parco etiam S S. Alverii, & Sebastiani Martyrum Thebæorum, quorum veneranda ibidem lipsana, referre adventum, Maximiani Imperatoris persecutione furente in Christianos: atque Sanctorum Theodori, Trosini, Evellii, Tarcitii, Felicis, Candidi, Theophili, & Clementis Martyrum huc ex Romanis cryptis (quod præfatus Auctor præstitit) narrare delationem: hoc unum contentus dicere, posterioribus etiam sæculis habuisse hanc Civitatem in utroque sexu Cives, qui, etsi nondum planè vindicati, atque Apostolicæ Sedis calculo, Cælitum nondum fastis adscripti, sanctimoniæ, probatissimæque vitæ tamen laude florent. Hujusmodi extitêre B. Oddinus Barottus, post Annum Christi M. CCC. LXXXIX. Præpositus Ecclesiæ Fossanensis, miraculorum ante, & post obitum dono illustris: Jo. Juvenalis, & Jo. Matthæus Ancinæ germani fratres, ambo Congregationis Oratorii sub S. Philippo Nerio institutore alumni, quorum piè mirèque gesta plurimi descripsêre; Juvenalis imprimis, qui Anno M. DC. II. sublimatus fuit ad Episcopatum Salutiensem: B. Dominicus, qui inter Minoritas, quos de Observantia dicunt, receptus, diem extremum in benedictione clausisse in Niciensi S. Crucis Cœnobio memoratur: Emanuel Niger, qui cùm Societati Jesu inter temporales Coadjutores, utì vocant, dedisset nomen, Claudiopoli in Transilvania, plumbeâ glande, atque ferreâ securi ictus à Calvini sectatoribus, illustre passus est pro Catholica Fide martyrium: Angelica Veronica Bava; quæ Anno M. DC. VI. ingressa Fossanense, de quo supra meminimus, D. Catharinæ Claustrum, institutumque ibi amplexa Cisterciense, charitate, obedientiâ, sui maceratione, ac prodigiorum patratione insignis, vitam, ut se proprio nomini conformaret, duxit Angelicam potiùs, quàm humanam.

Joannes Niger Canon. Fossan. de patria benemeritus.

Cives Sanctimoniâ clari.

Esset hîc locus, ut aliquid etiam de viris togâ, sagoque illustribus diceremus: verùm ultra aliquid addere religioni ducimus, ne brevitatis propositum excedamus, & nisi inter togatos Antonini, Gasparisque Antonii de Thesauris Jurisconsultorum, nec non Emanuelis itidem Thesauri totius humanioris litteraturæ nostro ævo facilè Principis nomina jam diù toti Orbi innotuissent, quos solos instar omnium nominamus. Quod ad sagatos attinet, in Franciscanorum Conventualium, à Divi Francisci usque temporibus cœpta, admodum ampla sumptuosaque Basilica tot occurrunt virorum bello clarissimorum, quorum ibi marmorei tumuli, monumenta, familiarum imprimis de Opertis, Sandris, Paseris, Thesauris, ut alterius esse putemus, & loci, & otii singulos recensere.

Literati, ac bello clari.





CIVITATIS
BENNARVM
SCENOGRAPHIA.



DESCRIPTIO OPPIDI BENNARUM IN PEDEMONTIO.



Bi quondam ſtetiſſe creditur, ſive Bagenne, ſive vetus Ligurum Bagiennorum, aut Vagiennorum, qui à Pado ad Tanarum pertinebant, Auguſta, Plinio lib. 3. cap. 5. ac Ptolemæo lib. 3. Geographiæ commemorata, viſuntur nunc Bennæ, priſcæ nobile veſtigium amplitudinis, quas iniquiora tempora in eas, quæ ſuperſunt anguſtias contraxerunt. Hujus Loci non modò ſpirituale, verùm etiam temporale dominium acquiſivit, ac per aliquot ſæcula tenuit, Præſul Aſtenſis: ab Anno ſcilicet reparatæ ſalutis D. CCCC. I. quo Ludovicus ejus nominis Quartus Imperator Ehilulpho Aſtenſi Epiſcopo ceſſit *Imperialem Curtem* (ipſis diplomatis, datis Ticini, ejus ævi barbariem redolentibus, verbis utor) *quæ dicitur* BAENNE, *ſitam juxta ejusdem loci Plebem, ſuo pertinentem Epiſcopatui, habentem per menſuram jugera centum millia, cum Caſtello muris circumdato, & aquæductu, & cum omnibus terris & villis, &c. de Plebe* BAENNIS, *quæ ſunt per menſuram triginta millia.* Henricus verò Tertius, itidem Imperator, confirmavit Petro Aſtenſi Antiſtiti, ejusque Eccleſiæ, inter cætera, BAGENNIS, *cum Curte, & Caſtro muris circumdato, & aquæductu, & omnibus terris, ſilvam, &* BANNALE, *habentem per menſuram jugera centum millia*, & cætera quæ continentur in diplomate Imperiali, dato in Aquisgrani Palatio VII. Id. Febr. Anno M. XLI. Ex quibus verbis liquidò conſtat, Bagiennorum, ſive Bagennorum, aut Vagennorum Oppidum Bagenne, vocis truncatione in Baenne primùm, tum Benne facilioris, brevioriſque pronunciationis causâ migrâſſe. Quia verò familiare fuit antiquis litteras B pro V, & V pro B. in Græcorum morem aliquando uſurpare, hinc eſt, ut eos populos dictos aliquandò Bagennos, aliquandò verò Vagennos inveniamus, ut dixit de iis loquens Silius Italicus Belli Punici lib. 8.

Situs.

Dominium loci per aliquot ſæcula tenuit Præſul Aſtenſis.

Nominis origo.

> *Et pernix Ligur, & ſparſi per ſaxa* VAGENNI
> *In decus Hannibalis duros miſêre Nepotes.*

Et id quidem, quo de agimus, Oppidum, Bagenne inferius in veteribus chartis dictum animadvertimus, ad diſtinctionem alterius, Pedemontanorum vulgò dicti *Beinette*, quod Bagenne ſuperius nominatur. Porrò Bagiennorum Auguſtæ meminit vetus lapis, centum ferme ab hinc annis ad Regios Auguſtæ Taurinorum hortos delatus, quem, dum Albam Pompeiam Civitatem in eodem lapide memoratam deſcriberemus exſcripſimus.

Bennarum antiquitatis monumenta complura.

Bennarum prætereà antiquitatem adſtruunt quamplura ævi veteris monumenta, marmorearum baſium, capitulorum, columellarum, ſtatuarumque fragmenta, ædificiorum ruinæ, numiſmata, ſigna, lucernæ fictiles, appoſita tumulis epitaphia, poſitæ inſignibus viris inſcriptiones, quæ licèt plerumque neglecta, dum frequenter eruuntur ex abdito terræ ſinu, priſcas incolarum opes, frequentiam Romanorum, & Loci prædicant amplitudinem. Reſtat ſuſpiciendus ex magna parte vetus, Romanæ procul dubio opus potentiæ, aquæductus, mirabili ſtructus architecturâ, atque ad certa ſpatia affabrè ſculptis marmoribus exornatus, quem eum eſſe, de quo in ſuperioribus diplomatibus facta eſt mentio, non ambigimus: nec deſunt antiqui indicia Amphitheatri, ad exhilarationem populi, publicorumque exhibitionem ludorum, ab iisdem

Aquæductus ſuſpiciendus.

Amphitheatri rudera.

Romanis ædificati. Reſtat itidem loco conſpicuo priſcæ ſtructuræ Caſtrum, ſitu, manuque perquam difficile expugnatu, quod cùm Galli, priore ſæculo, vigentibus inter eos, atque Auſtriacos diſcordiis, pertinaciter obſeſſum, atque occupatum ſedulò muniiſſent, iterum ab iisdem noſtro ævo captum, magna fuit ex parte labefactatum. Eidem, ſive Caſtro, ſive Arci, nec non Oppido ipſi undique muris ſepto, in obſequium Principis ſui cuſtodiendo, præeſt unus, cum militari præſidio, Gubernator.

Caſtrum expugnatu difficile.

Incolarum numerus & indoles.

Incolæ quatuor animarum millia excedere perhibentur, eſſeque ad arma, quàm ad litteras promptiores; ingenio tamen adeò perſpicaci, ut ſi ſtudiis excolantur fructus pariant in ſcientiarum cognitione non pœnitendos. Hoc poſſe abſque mendacii macula affirmari ſatìs probat unus, inſtar omnium, Joannes Botterus, S. Michaelis Cluſini ab Anno M. DC. X. Abbas, litterarum culturâ tam variâ eruditus, ut inter ſui ſæculi erudititiſſimos habitus ſit; teſtantibus id ipſum quamplurimis diverſorum argumentorum voluminibus, quæ Orator, Poeta, Hiſtoricus, Geographus, Philoſophus, publici juris fecit, quæ quotidie, non ſine fructu, doctorum teruntur manibus. Inter Bennarum etiam habitatores floruerunt familiæ avitâ nobilitate conſpicuæ, Arania præſertim, Aurelia, Gazzera, & Manaſſeria, quæ cùm militiam olim equeſtrem profiterentur, eaque de cauſa à Nazario Aſtenſi Epiſcopo exemptionis à ſolutione Decimarum confirmationem obtinuiſſent, dictæ ſunt familiæ militares.

Bennæ Joannis Botteri patria.

Territorii confinia & fertilitas.

Cæterum peramplum Bennenſium territorium (ejus imprimis amœniſſima planities geminos inter colles patens ad quinque circiter paſſuum millia) ab una parte Sturia flumine, ab altera Tanaro terminatum, atque Foſſani, Claraſci, & Montisregalis agro confine, iis abundat omnibus, quæ humano uſui ſunt neceſſe, frumento præcipuè, vinoque optimo, ſericoque; habetque inſuper, quod ad ſublevandam finitimorum annonam Ligurum, non ſine quotidiano lucro transmittat.

Oppidum bini hinc indè torrentes ambiunt. Euſſea, videlicet, atque Mondalavia, quorum aquas ad irrigandos ſuburbanos hortos, agricolarum alicubi induſtria derivavit. Totus (quantum habitatur) locus ad Orientalem, Auſtralemque plagam expoſitus, nihilque habet, quod hominum officere ſoleat valetudini. Vias intus habet ſatis aptè diſpoſitas, domosque ut plurimùm ſumptuoſas, ac palatinas, cæteras commodas nec omninò inelegantes.

Templa.

In publici proſpectu fori aſſurgit Templum Parochiale, pro populi frequentia ſatìs amplum, Deiparæ in Cælum aſſumptæ ſacrum; cujus non modò exterior facies intuentium apprimè arridet oculis, verùm etiam interior aſpectus picturis non ignobilibus exornatur. Ad Orientem viſitur Divi Jacobi delubrum, in quo olim Monachi ſacris operabantur Ambroſiani. At extincto eo in univerſum Ordine, introducti ibidem ſunt, annuente Romano Pontifice, Canonici ſæculares, qui quotidianum perſolvunt in Choro pſallendi penſum. Viſitur etiam in primario Fori ejusdem vico, Minoritarum, quos dicunt de Obſervantia, Monaſterium, ſub D. Franciſci invocatione recens ædificatum, ſacrâque non modici pretii ſupellectile ornatum. Erat olim ad jactum lapidis extrà muros, magnificentiore, ut perhibetur, ſtructum formâ, ſufficiens triginta commodè alendis Fratribus, qui gloriabantur jacta fuiſſe Anno M. CCCC. XXXIII. ab ipſomet D. Bernardino Senenſi prima ejusdem Cœnobii fundamenta. Eccleſiam verò pia incolarum munificentia, nobilium imprimis Toparcharum de Coſta Loci olim Dominorum diverſimodè, quà ſculpturis, quà picturis, quà ligno, quà marmore exornârat. Attamen, cùm pro ſui amplitudine imminere Oppidi propugnaculis videretur; idcirco, dum ſub Caroli Quinti, ac Franciſci Primi Regis auſpiciis, Hiſpani, Galliqne inter ſe, ut ſuperiùs attigi, acerrimè decertarent, dirutum ſolo eſt, non ſine lacrimis Bennenſium, ac bonorum. Quare, cùm per nonnullos annos iidem Religioſi certo domicilio caruiſſent, tandem Anno M. D. XLVI. eorundem Bennenſium pietas intrà Oppidi illos ſepta admiſit, translata ex prioris Monaſterii ruinis Religioſa, quæ ſupererat ſupellectile, Corporeque Sacro B. Paulæ Brixienſis, quam vulgò de Bennis vocant, de qua non erit hoc loco, aliquid peculiariter dicere, inconveniens.

B. Paula Brixienſis.

Orta Brixiæ, Venetorum in Inſubria Civitate, Genitoribus Comite Joanne Paulo Gambara, & Catharinâ Bevilaqua, nupſit ad Annum M. CCCC. LXXIX. Ludovico à Coſta Bennarum, Trinitatis, atque Carruci Toparchæ, tantamque, in ſtatu licèt conjugali, tertium tamen Seraphici Patris Ordinem profeſſa, orationi, patientiæ, macerationi atque demiſſioni operam dedit, ut ejus virtutum merita jugi mirabilium, ante, & poſt obitum, patratione Altiſſimus commendaverit. Illud inter cætera admiratione dignum, quòd cùm illa Bennis die XXIV. Januarii Anno M. D. V. fuiſſet ad ſuperos evocata, ejus Corpus in vetere primò memoratorum Fratrum Eccleſia tumulatum, ad novum deinde intrà Oppidum Cœnobium delatum, ita incorruptum, integrumque inventum eſt, ac ſi paulò antè artus, & membra ſpiritus reliquiſſet.

Præter Obſervantes profitentur eandem ibidem D. Franciſci regulam, ſiti in mediani Vici capite, Capuccini. Inſunt quoque Laïcorum Sodalitia tria; Virorum duo, tertium fœminarum, quas dicunt Humiliatas. Hæc
tribus præcipuis addunt ornamentum, atque
pium tutamen Vicis, quos in habitantium
uſum jugiter diſcurrens ſeparat aquæductus;
illius portio, cujus à Cuneenſi alveo deducen-
di, ut ager indè circumſtans fœcundaretur,
facultatem indulſit inter Beatos adſcriptus A-
medeus IX. Dux Sabaudorum, ſub quo Ben-
nenſes,

nenſes, felicibus auſpiciis, Sabaudicæ Familiæ dominium primitus agnoverunt.

Henricus II. Gall. Rex hic aliquot diebus ſubſtitit.

Hujuſce Oppidi diverſorium gratum adeò habuit Henricus Secundus Galliarum Rex, Chriſtianiſſimus, dum Anno M. D. XLVIII. quas tenebat ultrà montes ditiones inviſens, hac pertranſiret, ut voluerit aliquot inibi diebus, cum tota ſui comitiva, non ſine animi voluptate, ſubſiſtere. Idipſum fecit Princeps qui tunc erat S. R. E. Cardinalis Mauritius à Sabaudia, unà cum Suprema Taurinenſis Senatûs Curia Anno M. D. C. XXX. quo tempore totam fermè Pedemontanam Provinciam lue peſtiferâ inficiente, locus iſte ab eo flagello, Deo Optimo Maximo præſervante, immunis fuit. Nulli ergò mirum videri debeat, ſi Bennas, tot prærogativis inſignes, immortalis memoriæ Heroina Chriſtiana Francica Sabaudiæ Duciſſa, Carolique Emanuelis II. Mater, & Tutrix, Civitatis titulo, quem eis aſſentiente Senatûs ſuffragio, impertivit, dignas exiſtimaverit.


Chriſtiana Francica S. D. Bennas Civitatis nomine donavit.


Cæterum, cùm immediatum Bennarum dominium Comitatûs titulo poſſideret olim nobiliſſima, quam ſuperiùs memoravi, familia de Coſta, Cherio oriunda, ex qua plures viri bello, paceque conſpicui prodiêre (Georgius ille imprimis, qui inter ſui temporis fortiſſimos copiarum ductores annumeratus, utilem Carolo Quinto Imperatori contra Gallos, atque Emanueli Philiberto Sabaudiæ Duci contra Angronienſes Evangelicos navavit operam) Comes Joannes Ludovicus Georgii Succeſſor, Coronæ hujusmodi Feudum Sabaudicæ in totum cedens, ut ſic utile dominium directo conjungeret, aliis in Sebuſiana Provincia ditionibus permutavit.

Bennarum dominium temporale.

Quod ad Spiritualem jurisdictionem attinet, licèt olim Bennenſe Oppidum Aſtenſis, ut dixi, eſſet portio Diœceſis, ab Anno tamen M. CCC. LXXXVIII. Urbano Sexto Pontifice Maximo diſponente, recenter tunc creato Monteregalenſi Epiſcopo eſt addictum. Hæc pro tempore habuimus, quæ de Civitate Bennenſi ſub compendio diceremus.

Spirituale.




PALATIVM SARMATORIS.
30.

DESCRIPTIO
SARMATORII
COMITATUS
ET
PRÆTORII
IN
PEDEMONTIO.

Nominis origo.



Eroces inter Populos, qui Anno CCCC. III. Alaricum Baltham Gothorum Regem ad Italicam prædam affectati sunt, Europæorum quoque Sarmatarum ferocissimæ Cohortes confluxerunt. His igitur, in prædæ partitione, fertilissimus Collium, Camporumque Tractus inter Tanagrum atque Sturiam, sortitò contigit; quem nostra etiam Ætas Sarmatiam vocat. Statimque apriciorem supra Collem, Sturiæ fluvio imminentem, munitissimum Castrum veluti Provinciæ verticem atque Propugnaculum moliti, de Gentis nomine SARMATORIUM dici voluerunt. Hoc ergo, ad Annum usque D. CC. LXXII. ad Gothorum, & Longobardorum Regnum pertinuit, ut Astensi Dynastiæ assuta lacinia. Postquam verò Caroli Magni Arma Italiæ Regnum Occidentali Imperio subegêre, Ludovicus Imperator, multa inter Oppida, quibus Heilulphum Astensem Episcopum, sedisque illius successores muneravit, Anno Domini D. CCCC. I. Sarmatorii quoque Castrum, Villam, & quindecies centena Terræ Jugera ad Castrum pertinentia, eâdem Donatione complexus est.

Dominorum varia mutatio.

Jam verò, cùm variâ temporum fortunâ res Italas agitante, Cisalpina quoque Oppida, multos inter Regulos, totidemque Rivales, potentiori cedere cogerentur, Sarmatorium Salutianus Regulus Astensi Episcopo surripuit: Carolus Siciliæ Rex Salutiano eripuit.

Itaque per Andegavensium Regum manus aliquandiu trajectum, Joanna Regina Caroli Proneptis Francisco Bollerio Siniscallo suo in Subalpinis, ejusque successoribus Sarmatorium feudi Jure impertivit, Anno supra millesimum trecentesimo quadragesimo tertio.

Cùm ergo in Bolleria familia, Sabaudorum postinde Principum fiduciaria, Sarmatorium integrè, ad Annum usque M. D. L. constitisset: tum major ejus Feudi pars ad Antonium Thesaurum Cæsareum Equitem, Ducumque Sabaudorum Consiliarium, ejusque Filium Antoninum Astensis Comitatûs Præsidem, emptitio jure pervenit. Cùmque portionem reliquam Alexander Antonini filius acquisivisset, Serenissimus Carolus Emmanuel Senior, Sabaudiæ Dux, totum Sarmatorium in uno Alexandro, ejusque familia consolidatum, Comitali titulo decoravit: eundemque Alexandrum Astensis Episcopus de Sarmatorii Decumis, Præcessorum more, investivit.

Carolus Emmanuel I. Comitali titulo decoravit.

Fulget porrò feudi hujus nobilitas omnimodâ in subditos Jurisdictione; meri mixtique Imperii, & gladii Potestate; jurisque dicendi in prima, & secunda instantia, salvo Directi Domini supremo Jure. Fulget etiam antiquitate, atque integritate Feudi: nihil enim soli à primæva Ludovici donatione fuit imminutum. Extat idem feudalium Jugerum numerus: idem emphyteuticorum, caducorumque Bonorum Jus, atque Decumarum; idem Molendini atque Portorii proventus: eadem Terræ fertilitas; sinceritas aëris; piscosi fluminis, & Venationum oblectamenta; præcipuè verò fidelitas, & amor subditorum.

Sarmatorii Comitatus laudes.

Castrum ab Alexandro Comite excitatum.

Unum deerat, & sanè præcipuum decus. Nam quoniam citerioris sæculi bellicus furor Sarmatorii Castrum ita everterat, ut nullum pristinæ magnificentiæ vestigium superesset, nisi fama, & Octogonæ Turris marmoreæ substructiones: Hanc quoque Feudi jacturam, Thesaurorum providentia reparavit. Nam Alexander Comes, qui Equestribus virtutibus amœniora studia conciliârat, Architectonicæ quoque Artis Theoriâ delectatus, elegantissimum Templum Parœciale, ad Dei cultum, & nobilissimas Ædes ad Dominorum sedem atque Domicilium, æquiore in solo, suo ære, atque ingenio à fundamentis excitavit. Cujus operis tanta venustas est, atque approbatio, ut plerique Nobiles hoc ex Archetypo suarum Ædium Typum mutuati sint; & Victor Amedeus Sabaudiæ Dux, cùm è Clarascensi congressu ad Ædes istas invisendas divertisset, affirmârit, nullum se, quoad Architectonicam rationem, absolutius Ædificium sua in Ditione conspexisse. Qua in receptione Emmanuel Thesaurus Alexandri filius Inscriptionem hanc superliminarem affixit.

Emman. Thesauri inscriptio.

VICTOR AMEDEVS DVX INVICTISSIMVS
CVM CHRISTIANA A FRANCIA,
POSTQUAM ORBEM TVRBIDISSIMVM TRANQVILLA PACE SERENAVIT,
OBSCVRVM HOC QVOQVE DOMICILIVM
SERENISSIMO ADSPECTV ILLVSTRAVIT.
DIE XXVII. JVNII. ANNO M. D. C. XXXI.

Maluit tamen Alexander in illa structura, commodam, venustamque Civilis Palatii formam meditari; quàm pristina Castelli munimenta restituere: nam cùm futura ex præteritis tempora conjiceret, hanc demum consilii sui rationem afferebat: Nunquam Bella deerunt in hac Patria: ergo si munitæ fuerint Ædes, ab utraque factione diruentur, ne pugnantibus officiant: sin apertæ; ab utraque servabuntur, ut prætereuntes excipiant. Atque ita evenit Novissimo enim Bello, cùm adversos copiarum Ductores ultro citroque commeantes, æquè Janitor exciperet, incolume Palatium stetit.

Successit igitur Alexandro Comiti Philibertus Primigenius; Philiberto Alexander alter: quo sine liberis diem ultimum obeunte, Anno supra millesimum sexcentesimo quinquagesimo tertio Emmanuel Thesaurus Comes & Eques Majorum Insignium Sanctorum Mauritii, & Lazari, defuncti Patruus, & Masculorum ex ea Familia postremus; quicquid sibi Juris in Sarmatorii, & Castromanni Comitatu competeret, in VICTORIUM AMEDEUM GABALEONEM Andesenni & Baldicherii Comitem, Generalem Peditum Commissarium, utpotè ANGELICÆ THESAURIÆ Neptis suæ Virum, transtulit, eorumque liberos. Qui cùm Patrui Juribus, Principis quoque Jura approbationemque cumulâsset, totius Comitatûs Dominium sua in Familia atque agnatione constabilivit Anno M. D. C. LV.

DESCRIPTIO CIVITATIS ET MARCHIONATUS CEVÆ IN PEDEMONTIO.

Situs.



N Ligurum Statiellorum, qui ab Apennino ad Tanarum fluvium, atque indè ad Boreale latus Maritimarum Alpium pertinebant, extremis agris, supra dexteram Tanari ejusdem ripam, loco plano, undique tamen collibus amœnis circumdato, sedet Ceva, Civitatis nunc titulo insignita, Marchionatûs celeberrimi quondam Caput. *Antiquitas.* Ea commendatur imprimis antiquitate, utpote quæ jam dudum cognita fuerit Plinio, Cebanum, ex ovium lacte, caseum, qui è Liguria advehebatur, l. 11. cap. 42. Historiæ naturalis, commemoranti. *Caseus Cebanus Plinio laudatus.* Is nunc, Rubiola vernaculè appellatus, etsi exiguæ admodum formæ sit, magno tamen etiamnum in pretio habetur, ac non in Pedemontanos, Ligures, atque Insubres modò, verùm etiam in longè positas gentes distrahitur. Præter lacticinia, *Vinum Cebanum.* maximè commendatur in circumpositis Cevæ collibus generosissimi vini proventus, castanearum ad radices montium, tuberumque in circumjacente agro, saporis exquisitissimi ingens copia. *Incolarum mores.* Naturæ dotes cumulat incolarum industria, variis ibidem artificiis, mercimoniisque operam dantium: ex quo fit, ut, propter loci opportunitatem, mediâ ferme viâ inter Montem-regalem, atque Savonam siti; nec non propter venalium rerum, atque omnis generis mercium ex maritimis in Pedemontem, atque indè in Ligusticam Oram transvectione, Civitas rebus omnibus abundet victui atque humano cultui necessariis, & habitatores sint valde pecuniosi. Cælum, quamvis, ut dixi, eadem Civitas loco depresso & collibus circumdato sita sit, non est insalubre; *Aëris salubritas.* exposita siquidem æqualiter ad ortum, occasum, meridiemque, habet præaltam ad boream rupem, quæ, hyemis inclementiam arcens, confert hominum valetudini.

Populi numerus. Non respondet tamen populi numerus tot naturæ artisque prærogativis; nam, quamvis olim plusquam sexcentæ numerarentur familiæ, sive Domorum Capita, iis, qui in agris degunt, minimè computatis, potueritque à muris suis, quibus vallatur undique, potentissimos sæpe arcere hostes (Anno præsertim M. D. XLIII. cùm acri per multos menses Gallorum pressâ obsidione, tamdiu invicta restitit, donec Amalfitano Duce suppetias ferente, hostis inglorius, reque infectâ indè abire coactus est) *Civitatis variæ clades.* hodie tamen magnopere est incolarum numerus diminutus, cùm propter frequentia veterum, recentiorumque bellorum damna, tum etiam propter eam, quæ pridie Nonas Julii Anno M. D. LXXXIV. successit aquarum eluvionem: quum videlicet ob immoderatam imbrium, ex alvei sui claustris erumpens vicinus torrens, cui nomen *Chiavetta*, totam inundavit trium horarum spatio Civitatem, dejecit magna ex parte muros, pontes, domos, templa; atque ex suburbiis unum, idque cæteris amplius, ac frequentius, solo evertens, utriusque sexûs, omnis-

que ætatis plurimos, unà cum ſubſtantiis opibusque, miſerandum in modum exrinxit. Acceſlir malorum cumulo Anno M. D. C. XXV. morboſa, ac poſt ſex annos contagioſa lues, quæ ſuperſtites abſumſit magna ex parre habitatores.

Arx ab Emanuele Philiberto ædificata.

A Carolo Emanuele II. fortiùs communita.

Diminurionem populi, per tot clades hoſti reſiſtere non valentis, quam maximè compenſavit Arx ab Emanuele Philiberro Sabaudo Duce ad loci turelam ædificara, quam cùm Anno M. D. C. XLIX. Hiſpanicarum copiarum millia tredecim, Caraſſenæ Marchione, ſummo bellicarum expeditionum Præfecto ducente, multorum dierum ſpatio oppugnaſſent, expugnare nequaquam potuerunt. Eam verò non ita pridem Carolus Emanuel Secundus Dux, acceſſione novorum operum, adeò communivit, ut nihil ultra deſiderari poſſe ad tutanda ea Ditionis confinia videatur; accedente præſertim vigilantiſſimorum Gubernatorum miniſterio, qui ex nobiliſſimis, fortiſſimisque Sabaudiæ Aulæ Proceribus, cum delectu mitti conſuevêre. Hujusmodi fuêre Thomas Rotarius, Guido Villa, Alphonſus Eſtenſis, Philibertus Rangonus, Carolus Emanuel Pallavicinus, Franciſcus de Memes, Catalanus Alferius, Carolus Hieronymus Solarius Comites, Marchionesve, primariis bellicæ rei muneribus conſpicui, atque ad ſummum Sabaudici Torquis Equitum Ordinem, in præmium virtutis, nobilitatisque tandem aſſumpti.


Arcis hujus Præfecti nobiles.


Sacra Deo ædificia.

Nec verò minùs per ſacra Deo ædificia, Religioſasque Cælo militantium preces, quàm per Arces, militaremve manum, Ceva fuerit ab hoſtium tuta inſultibus. Inſunt enim, præter primariam Baſilicam, Canonicorum Collegio, Archipresbyteroque uno inſignem, tria ad Civitatis extrema, æquali ferme ſpatio diſpoſita, Regularium Cœnobia: Minorum videlicet D. Franciſci Conventualium unum, circa Annum ſaluris M. CCC. ædificatum, ubi ſumma cum veneratione ſervantur, pars ſacratiſſimi ligni vivificæ Crucis, binique D. Blaſii Sebaſteni Epiſcopi, & Marryris denres: Auguſtinenſium alrerum, cujus fundaror extiriſſe perhiberur P. F. Joannes Baptiſta Poggius Genuenſis, vir eximiæ Sanctiraris, à quo ortum habuir Congregatio, ab ejus nomine dicta, Baptiſtinorum; ejus verò Cœnobii Eccleſiæ cultum auget una è Coronæ Dominicæ Spinis: tertium Fratrum Capuccinorum.


Marchionatus Cevenſis amplitudo & domiri.


Cevenſem Marchionarum, unum ex iis, qui ab Aleramo Marchione Monferratenſi creduntur initium habuiſſe, Oppida olim circiter centum conſtituebant. Ejusdem ſupremum dominium, cùm Nani Marchionis ceſſione Anno M. CC. XCV. centum millium librarum Aſtenſium pretio, in Aſtenſes ipſos tranſlatum eſſet ex magna parte; Aſtaque demum Civitas, unà cum ipſius Diſtrictu, Comitatu, & appendicibus (donante in favorem Beatricis Luſitanæ, Carolo cognomento Bono Sabaudiæ Duci nuptæ, Carolo Quinto Cæſare) Anno M. D. XXXI. ad Sabaudos deveniſſet, Emanuel Philibertus Dux, memoratorum Caroli, ac Beatricis Filius, cæterique ab eo Duces, reliquis ſuis titulis ſupremi Cevenſis Marchionatûs dominii titulum addiderunt; remanente utili, ut vocant, dominio, penès immediatos, Principisque clientelares Locorum Dominos, qui ejusdem Marchionatûs titulo inſignes, gaudent primâ, & ſecundâ forenſium cauſarum cognitione per conſtitutos ab ipſis Judices. Ab his provocatur ad Præfectum, toti Cevenſi Provinciæ, quæ quadraginta conſtat Oppidis, jus dicentem, à quo ſimiliter ad Senatum, qui Taurini reſidet, appellatur.




CEVA
Civitas
Marchionatus ejusd
Nominis Caput
A. Ecclesia Parochialis S. Mariæ Virginis Assumptæ, Collegiata.
B. Ecclesia, et Cœnobium FF. S. Augustini.
C. Ecclesia, et Cœnobium FF. Capuccinorum.
D. Ecclesia, et Cœnobium FF. S. Francisci.
E. Ecclesia, et Societas Humiliatarum sub titulo S. Elisabeth.
F. Ecclesia S. Caroli.
G. Ecclesia, et Confraternitas S. Catarinę, et alia S. Mariæ.
H. Ecclesia S. Spiritus.
I. Ecclesia Prioratus S. Joannis.
K. Ecclesia B. M. Virginis.
L. Ecclesia S. Andreæ Ap.

DISSEGNO DELLA CITTÀ DI MONDOVI IN PIEMONTE.





FIVME ELERO.

FIVME ELERO.

FIVME ELERO.

FIVME EL

Membri della Città di MONDOVI. e cose principali di eßa.

✠. Piazza Maggiore.
2. Vasco.
3. Caraßone.
4. Vico.
5. Breo.
6. Pian della valle.
7. Borgato.
8. Toscana.
9. Cittadella.
10. Vescouado.
11. Palazzo de' Governatori.
12. Palazzo della Città.

Chiese Parochiali.

13. Cathedrale.
14. S. Lorenzo.
15. S. S. Andrea & Euasio.
16. S. Giouanni.
17. S. S. Donato & Giouanni.
18. S. Pietro.
19. S. S. Pietro & Paolo.
20. Santa Maria Maggiore.
21. Santa Maria della Pace.

Luoghi e Chiese de' Regolari.

22. P P. di S. Dominico.
23. P P. di S. Francesco.
24. P P. Zoccolanti.
25. P P. di S. Agostino.
26. P P. Capucini.
27. 28. P P. Giesuiti.
29. P P. Foglientini.
30. P P. Carmelitani Scalzi.
31. P P. Ministri degli infermi.
32. P P. Agostiniani Scalzi.
33. P P. Certosini.
34. Seminario de' Chierici.

Monasteri di Monache

35. Di S.ª Clara.
36. Di S.ª Maria di Carità, Cisterciensi di S. Benedetto.
37. Di S.ª Maria, Cisterciensi di S. Bernardo.
37½. Capuccine.

Altre Chiese oltre le Parochiali.

38. S.ª Maria delle Vigne.
39. Priorato della Mad.ª della Gariglia.
40. S. Gio. Batta, Commenda de' Caval.ri di Malta.
41. S. Sebastiano.
42. S. Rocco.
43. S.ª Croce.
44. S S. Antonio & Giouanni Decollato.
45. S. Giouanni Euangelista.
46. S. Steffano.
47. S.ª Maria del Pillone.
48. S. Antonio.
49. S. Spirito.

Hospedali.

50. S.ta Croce. 51. S. Antonio.
52. S. Steffano.
53. Epiffania.
54. S. Giouanni Euangelista

Cose Notabili della Miracolosa Virgine à Vico.

55. L'Abbadia di d.ta Santißima.
56. Palazzo di S. A. R.
57. Semin
58. Hosped
& L


Franciscus Toscanus



PROSPECTVS ANTERIORIS PARTIS SACRI TEMPLI DEIPARÆ VIRGINIS IN MONTEREGALI

Ascanius vitotius fuit inventor et operis effector Anno 1596.


Dimidius Pes Montisregalis.



PROSPECTVS INTERIOR SACRI TEMPLI DEIPARÆ VIRGINIS IN MONTEREGALI

Scala de Trabuchi sei.

ICHNOGRAPHIA SACRI TEMPLI DEIPARÆ VIRGINIS MONTISREGALIS AD VICVM AB ASCANIO VITOTIO EXCOGITATA ET IN OPVS PERDVCTA ANNO DOMINI MDXCVI.



DESCRIPTIO URBIS MONTIS REGALIS IN PEDEMONTIO.

Situs.



Ons Regalis, nobilissima ad Ligusticas Alpes Civitas, variis accessionibus, prout ratio temporum tulit, ad amplitudinem paulatim excrevit, quâ hodiè inter præcipuas Urbes Regiæ Sabaudicæ Celsitudinis ditione comprehensas censetur. Et verò, sive sitûs amœnitas, sive Cæli salubritas, & felicitas agri spectetur, nulli facilè cedit. Urbs monti, quem nomine præfert, inædificata, ejus, & verticem, & latera diversis stationibus, seu Vicis complectitur. Editissima pars, vulgò *la Piazza*, in aream bene amplam extensa, & arce instructa, nobilitatis ferè totius, jam tum ab Urbe condita sedes est. Illinc, velut è specula, non circumjacentia modò, sed Pedemontii vasta planities, quà Alpibus præcelsis, quà collibus frugiferis vallata, in amphitheatri speciem amœnissimam longo prospectu lustratur. Cæteræ stationes monti hinc indè impositæ, ejus acclivitatem occupant. Carassonium ad Orientem in radicibus situm, ad Occasum Breum, & continenter ad radices Planum Vallis, seu *il Pian della Valle*, totam verò Urbem subjectus Ellerus amnis alluit.

Diversæ stationes seu Vici.

Stationum origo.

Hærent in nominibus hæc veluti vestigia Pagorum, qui ad condendam Urbem conspiraverunt. Condita videlicet est Civitas fœdere Populorum, tum qui è Liguria, & gemino Marchionatu Salutiarum, & Cevæ, tum qui è vicinia in eamdem sedem coierunt Anno salutis M. CC. XXXI. quamvis multò ante, scilicet à M. XXXVIII. area, quæ Monti insidet, coli cœperit; adeò ut M. CC. jam habitatoribus bene multis locus frequens esset. Eminet in fronte januæ ad Sacellum D. Antonii Patavini in Templo primario lapis exesus edacitate temporis, aureo, & pervetusto charactere incisam præferens epigraphem hujusmodi.

M. CC. XXXII. DIE X. EXEUNTE AUGUSTO, ÆDIFICATA FUIT TERRA MONTIS REGALIS. DEO GRATIAS. M. CC. XL. DIE XV. AUGUSTI ÆDIFICATUS EST LOCUS FRATRUM MINORUM IN MONTE REGALI POST XIV. ANNOS AB OBITU D. FRANCISCI.

Urbis origo & incrementa.

Hujus enim ædis D. Franciscus Patronus audiit, antequam D. Donato inaugurata, primariæ locum obtineret.

In his incrementis luculentam Societatis mutuæ, quà utilitatem, quà laudem videre est. Illi enim sese debet quotus quantus Mons Regalis est. Etenim cùm Italia incursibus Barbarorum, & perpetuo bellorum tumultu miserè concussa abiret in partes, Regulis compluribus, non dominatum modò, sed tyrannidem usurpantibus, vastata paulò antè à Friderico Aenobarbo Mediolano, nobiles non pauci, malè tuti in Patria, vertêre solum, & ex Insubria in Subalpinas hasce Provincias sese receperunt. Hic cùm Populos Tyrannorum insolentiâ vexatos offendissent, quo vindicaretur à quotidianis injuriis libertas, ut inventa inter ruinas antiquæ Turris testatur epigraphe, actum est inter contiguos Pagos, Vicum, Carassonium, Guascum, aliosque plures de nova sede optanda, in quam omnes confluerent, prioribus dirutis, ut viribus in unum coalescentibus, violentiam aliorum faciliùs propulsarent.

Mons ergo Vici (nomen mutuatur à Vico Pago, cujus ad Incolas magnam partem spectabat) delectus est. In eum colonias unanimes transtulerunt. Amplificatis deinde spatiis, cùm adjacens monti planities ædibus celebraretur, vastis mœnibus torus ambitus

ſeptus eſt, quorum adhuc reliquiæ viſuntur; ea porrò mœnia, dum Achaiæ Principes regerent Urbem, erecta ſunt, quæ in tantam amplitudinem protendebantur, ut non domos tantùm, ſed interceptos quoque hortos, & magnam agri partem, & vineas ſanè multas clauderent gyro. Verùm ſuperiore ſæculo, cùm Subalpina regio univerſa diverſarum partium campus eſſet & præda, partim à Cæſarianis militibus, partim à Gallis æquata ſolo, & disjecta, uti, quas dixi, reliquiæ, & veſtigia magnitudinis priſtinæ poſteris teſtantur, oſtenduntque loca, quæ modicis diſtincta intervallis in ipſis montis radicibus incoluntur, non ſuburbia cenſenda eſſe, ſed ejusdem corporis membra, quia ipſo mœnium ambitu continentur, quibus olim civitas univerſa circumſcribebatur. Adde, quod incolæ vel ab initio, civitate donati ſunt.

Ab Emanuele Philiberto S. D. munita.

At ne Urbs tanta immunita penitus eſſet impoſterum, Emanuel Philibertus Sabaudiæ Dux, ubi regionem à Gallis uſurpatam recepit, arcem in ſummo monte, ubi primaria, vel, ut ajunt, Cathedralis Ædes erat, conſtrui juſſit, Prætoremque Civibus dedit, ut Guelfas Gibellinasque factiones, quæ apud illos vigebant adhuc, prorſus extingueret. Ut verò ad novæ Urbis primordia redeam, illud in primis in ea condenda cautum eſt, ut qui ex antiquis Pagis illuc migraverant, commodioris agriculturæ gratiâ ſtationem locarent ad eas partes, quæ ad ſingulorum fundos veteres pertinerent. Hoc & re ipſâ, & deſumptis indè nominibus Caraſſonii, Breique ſervatum eſt. Guaſchenſibus ea pars obtigit, quam Vallis Planum hodie dicunt. Sed celebris ejus Pagi ſuperſtes eſt memoria in poſteris veterum Dominorum, qui de priſco clientelaris prædii, ſeu ut Gothica vox ſonat, Feudi vocabulo, *Guaſchi*, vel (ex regionis idiomate) *Vaſchi* dicuntur, & Monte Regali nobiles in primis degunt.

Montis Regalis nominis antiquitas & origo.

Stabilita feliciter Civitas concordiâ diverſorum, conditisque legibus ad pacificam rerum adminiſtrationem magis ac magis floruit in dies, & jam tum ab Anno ſalutis M. CC. XXXI. Mons Regalis appellata eſt. Ductum eſt id nomen ab ædibus Breſſanorum à Monte Regali, qui Caraſſonio potiebantur, ſed conſentiente eminentiâ poſitionis, cæterisque loci meritis dignis veluti ſuffragiis, quod ad unam ſtationem ſpectâſſe videretur, in omnes tranſiit. Tenet inſuper fama Trochilum in exciſione fagi ad iter Saracenorum incurſionibus transverſis ſeptis occludendum, avem nomine Regulum è ceſpitis latibulo exegiſſe. Acceſſit ad nomen dignitas, Anno enim M. CCC. LXXXVIII. Montem Regalem Urbem honorificè compellavit Urbanus ſextus Pontifex ſummus, creato ejusdem Antiſtite Damiano Zoallio è ſacra familia Prædicatorum.

Dominorum varia mutatio.

Diu vixit legibus ſuis, ſed inteſtinis ſeditionibus miſerè vexata, externos ſibi quærere Dominos coacta eſt. Jam quò tutior eſſet ab hoſtibus, Sabaudis Principibus, Anno M. CCC. XLVII. ſeſe Urbs crediderat, ſed ut temporum vices ferunt, variam ſervitutem paſſa, Dominum ſæpe mutavit, donec mortuo Roberto Neapolitano Rege, ſub cujus poteſtate erat, hæres Joanna Regina ſuæ illam reddidiſſe libertati dicitur, quâ cùm frui cœpiſſet, diù non potuit. Rediêre enim Cives, libertatis uſu, & nomine erecti, ad priſtina ſtudia diſcordiarum, & partium. Quare ab hoc inteſtino malo latiùs in dies gliſcente monita, Urbem quæ non Civibus, ſed hoſtibus conſtet, ſe ipſam regere non poſſe, Amedeo à Sabaudia Achaiæ Principi ſe, Provinciamque univerſam, pactis conditionibus, Anno M. CCC. XCVI. quà vi, quà ſponte commiſit. Ab hoc Principe ad Succeſſores Sabaudiæ Duces longâ ſerie tranſiit, quorum fidei, clementiæque commendata, tranquillâ pace fruitur, & optimos ſuo Principi populos rependit.

Agri amœnitas & fertilitas.

Etenim quamvis ager amœniſſimus ſit, in paucis quippè, qui in exiguos colles ex intervallo aſſurgit uber proventibus, & vina ferens Apiana, alendo itidem pecori peropportunus, opimaque armenta Liguriæ, finitimisque Civitatibus abundè in cibaria ſuppeditans, aëris etiam mira temperies, ut in bellariis, cæterisque è ſaccharo munuſculis ſaporis exquiſitiſſimi ſentire eſt; Incolarum tamen indoles potiſſimum ſpectabilis eſt.

Incolarum indoles, numerus.

Alpinâ videlicet habitudine homines, excelſo omnes animo, & plebeia etiam pectora ad generoſitatem facta præclaram in armis virtutem non raris experimentis ſuo Principi probaverunt, & indolem numerus adjuvat, quippe intrà paucas horas ubi res urgeat, habito delectu ex Urbe ſola ſupra ſex peditum millia ad ſigna vocari poſſunt, audaciâ, robore, diſciplinæ militaris laude, veterano militi nihil conceſſura.

Conſtat, è Parœciarum monimentis, quadraginta ante annos, quinquaginta capitum millia expleviſſe eorum numerum, qui Urbem, & adjacens Territorium incolebant, nunc quadraginta circiter millia numerantur, neque armis ſolùm, ſed etiam litteris, pacisque ornamentis aptiſſima naſcuntur ingenia.

Mons Regalis in Universitatem à Pio V. Pontif. Max. erecta.

Hinc Senatores cooptati, Præſides, ſupremi Cancellarii, & extremis hiſce temporibus purpurati Eccleſiæ Patres Ceva, & Bona. Quare Juriſconſultorum Collegium hîc floret, & in ſua Univerſitate, ut vocant, in Theologicis diſciplinis, in utroque jure, & medica facultate laureatos ritè autorat. Hoc Urbi ſuæ (Præſul enim Montis Regalis fuerat) evectus ad Pontificatum B. Pius V. Hierarcha Summus conceſſit, & peculiari diplomate ſanxit; Emanuel verò Philibertus tunc temporis Sabaudiæ Dux comprobavit.

Plebis ſtudia.

Præter hæc maturioris ætatis ſtudia, excolitur juventus litteris humanioribus, & philoſophicis in Collegio Societatis Jeſu. Plebs verò exercendis commerciis mirè attenta, & opportuna, quippe nativâ induſtriâ ad cujuslibet artis opificia plurimùm valet. In hac Urbe galericuli quidam è paleis texuntur ſummâ tenuitate operis, ſummo artificio, tum vario ductu textuque ſtipularum, arbores, animalia,

animalia, & quodlibet rerum genus in ipso opere describitur, adeò ut pluribus aureis emantur. Sæpè nundinas aperit publicè magno externorum concursu & celebritate.

Religiosi Coetus. Nec desunt ea Christianarum Urbium ornamenta, quæ à Religiosis Cœtibus conferuntur. Degunt enim Monte Regali Claustrales, qui S. Augustini, tum severiorem, tum mitiorem disciplinam exercenr. Adde Prædicatores, Minores Conventuales, de Observantia, & Capuccinos, Carmelitas pariter excalceatos, seu austeriores, Cruciferos, sive Hospitalarios infirmorum curæ addictos. Piarum insuper fœminarum Gynæcea quatuor, duo Cistercensium, sive Benedictinorum, tertium Regularium S. Claræ, quartum Capuccinorum disciplinam sequentium.

Mons Regalis B. Theobaldi patria. Anno millesimo centesimo quinquagesimo Albæ Pompeiæ è rebus humanis subductus est Beatus Theobaldus ex hujus Patriæ sedibus oriundus, cujus mortem æra campana sponte vocalia prodidêre, & in principe Templo novum cenotaphium Pario marmore extructum, cereisque ardentibus coronatum divinitus apparuit: porrò tot miraculis claruit, ut in Pontificio diplomate Clementis hoc nomine Octavi, Divus Theobaldus nuncupatus legatur.

Urbis Scutaria Tessera. Cùm adhuc sui juris esset, gerebat Urbs pro Scutaria tessera, rubra in area, argenteum Montem tricipitem, cyaneo umbrarum recessu illuminatum, in cujus vertice Amedeus, vulgò *il Verde*, Dux Sabaudiæ Crucem præfixit albo distinctam. Comitum itidem corona jam dudum accessit.

Templum Deiparæ Virginis à Vico. Gloria tamen longe maxima Urbi Deiparæ Virginis à Vico Templum est, miraculis, & populorum cultu celeberrimum. Hoc verò satis sit in præsens innuere de Oppido, quod leucam circiter ab Urbe dissitum, pars tamen Urbis ex veteri institutione censetur, & de Templo; peculiarem enim sibi exigit narrationem, uti etiam alia longè plura ad Civitatis statum, administrationemque spectantia, quæ fusius prosequi operæ pretium in præsentiarum nequaquam est.




CVNEVM.
FERENDO
1. Arx. 2. Palatium Gubernatoris
3. Templum D. Ambrosii.
4. Palatium publici conventus.
5. Conventus P.P. Capucinorum.
6. Templum B. Mariæ Virginis à Plebe.
7. Oratorium Sodalium D. Sebastiani.
8. Cœnobium Monialium S. Claræ.
9. Oratorium Sodalium à Misericordia.
10. Orphanotrophium Puellarum.
11. Collegium P.P. Societatis Iesu.
12. Templum eorumdem.
13. Conventus P.P. Minorum Conventualium.
14. Oratorium Sodalium à Sancta-cruce.
15. Nosocomium. 16. Cœnobium Monialium discalceatarum Sanctæ Claræ.
17. Cœnobium Capucinarum tertii ordinis
18. Templum Collegiat: B. Virginis à Bosco
19. Palatium Luperiarum ad quod diversatus est Franciscus I. Galliarum Rex.
20. Propugnaculum D. Iacobi.
21. Propugnaculum D. Annæ.
22. Propugnaculum omnium Sanctorum
23. Propugnaculum D. Francisci.
24. Propugnaculum à Quadralio.
25. Propugnaculum Virginis à Bosco.
26. Propugnaculum ab Vlmo.
Gessius fluvius
Sacellum D.
Stura Fluvius
Iuvenalis Boetius Fossanensis. delineavit.
35.


CUNEUM Vulgo CONI.
FERENDO

DESCRIPTIO
CUNEI
CIVITATIS
IN
PEDEMONTIO.



IN primo eo Italiæ sinu, qui, quòd ingentibus Alpium jugis subjaceat, Subalpina olim Gallia ab antiquis Vagiennis culta, Maritimas inter, & Cottias Alpes protenditur, ab editissimi radicibus Vesuli duodeviginti circiter passuum millia, Cuneum Civitas sita conspicitur. Pedemontii ad fauces, quasi in ejus corporis excubet tutamentum, ex præruptis montium anfractibus prodeunti, levamen laborum profusâ, lævigatâque planitie, & fatigatis itinere membris solatium, uberi, atque ad omne voluptaris aucupium effusâ commeatuum copiâ exhibet. Gemini, quibus hinc inde alluitur, fluvii, Stura ad Aquilonem, ad Meridiem Gessius, quà in angustum urbs desinit, procurrente utroque in latitudinem latere, mutuo se fœdere, immixtis aquis, mox complexuri Cuneum efformant, & ethymon.

Nominis ety.

Cuneum extructum anno M.C. XX.

Sub Annum M. C. XX Romanam Ecclesiam Calisto II. P. O. M. Imperium Henrico IV. Cæsare moderante, prima ejus jacta fuisse dicuntur fundamenta. Ponendis mœnibus Dominorum in omne nefas effrænarè ruentium (quæ est mansurarum rerum conditio, non nisi ruinis altiorum inniti) clades casusque, per infestissimam castrorum vastationem ab oppressis populis illati, materiem suppeditarunt. Id sibi inter cætera flagitia nefariissimum circumfusæ regionis tyranni veriùs, quàm Toparchæ, ranquam Cæsareo sancitum diplomate beneficium, fas æquumque volebant, primum candoris virginei florem, è ducendis mox virginibus, antequam maritale thorum contingerent, delibare. Neque hîc verò effusa in omnia piacula libido restitit; adulteria, stupra, expilationes, effrænis licentiæ comites, voluêre. Hoc omni Tyrannide immanius jugum, ut tandem humeris excuterent gementes tot jam per annos populi, in coacto clanculum è singulis pagis præstantiorum Conventu, obfirmato, in remedium præsens consilio, constitutâ demum die, indicto, per accensos montium superciliis ignes, aggressionis signo, turmatim è suis quisque vicis, districto ferro in Dominos irrumpere, agere in fugam, animi impotes æquè ac mentis, palatia sternere, castra ipsa truculentæ munimentum impietatis delere; ac ne quod in libertatem assertis, exterorum Principum ope, exitium ampliùs conflaretur, unanimi voto, avitis relictis sedibus, oppidum in eo, ubi etiam nunc jacet constituunt; obvallatumque insuper ad naturæ securitatem validis mœnibus, sibimet asylum ponunt, & patriam.

Regiminis ac Dominorum mutatio.

Gliscente deinde in dies incolarum ab eversis circumquaque oppidulis undique confluentium numero, pacto cum Asta juris tunc sui civitate, Mediolanensique Duce Luchino Vicecomite fœdere, aliquot annos conditis in speciem Reipublicæ legibus floruit. Hinc Provinciæ Comitem Carolum Andegavensem adsciscunt in Dominum. Verùm eo extincto, devolutoque per multiplicem peripetiam ad Joannam Neapolis Reginam, tantæ imparem moli mulierem, & domesticis adhæc fatigatam ærumnis dominatu, ne toties ingruentium in se hostium, Guelphorum præsertim & Gibellinorum, impetus suis exsaturare cladibus cogeretur; validissimum à Regia Sabaudorum domo contra oppugnantium tela accersit clypeum, Amedeo VI. Allobrogum Comiti, ejusque posteris, perpetuam ultrò præstans, obtestansque fidelitatem; adlegatis Ripluanam arcem, qui id totius urbis no-

Cuneum Amedeo Sexto S. D. ultro sese subdunt.

nomine obfirmarent, ratumque facerent, Oratoribus Anno M. CCC. LXXXIII. tertio Idus Aprilis. Et tanta fuit præstantissimæ Civitatis suscepta in fide constantia, ut numquam exinde, licèt frequentibus tentata aggressionibus, Sabaudici, hoc est, lenissimi moderaminis habenas, aut detrectarit umquam, aut excusserit, aut alieno Principi in ditionem concesserit. Nam posthac plurimis, iisque validissimis fuit cincta obsidiis, primumque ab Helvetiis, duce Francisco Stampa Patritio Mediolanensi admotum, sub annum supra sesquimillesimum decimum quintum, ut Francisco I. Gallorum Regi illac cum frequentissimo exercitu profectionem in Italiam contra fœderatos Principes adornanti, viam tutius obstruerent. Certè Cuneensium tunc primò enituit infracta constantia, ubi munitissimis omnibus Pedemontii oppidis tanto exercitui, vel pactâ deditione vel militari irruptione cedentibus, sola ipsa, reliquorum tot inter excidia, stetit immota.

Illibatam exinde Duc. Sab. fidelitatem præstitit.

Obsessa ab Helvetiis Duce Franc. Stampa.

Secundum ei illatum anno supra sesquimillesimum quadragesimo secundo, à Claudio Annebaudo ad maritimam mox totius Gallicæ oræ præfecturam evecto, quem Franciscus Rex atrociori in dies adversus Sabaudos odio invalescente, violatis, quæ per decennium Paulo III. P. M. adnitente, pactæ fuerant Nicææ cum Carolo Cæsare induciis; cum equitum peditumque, ad duodeviginti omninò millibus supremum armorum Ducem, in Pedemontii exitium vastitatemque allegârat. Trecentis non ampliùs militibus, celeribusque equitibus, ad quinquaginta dumtaxat, tutatam urbem adortus is est, assiduoque per sex integros dies, haud levi mœnium, turriumque editiorum ruinâ, decem, & octo muralium tormentorum lacessitam molimine, post tres frustra incussas impressiones suorum, sauciis non paucis, ad quadringentos desideratis, relinquens, aliò suis armis, quod hîc alienis dederat, pabulum triumphorum quæsitum abscessit.

A Gallis Duce Claudio Annebaudo.

Nec feliciùs, ferociùs licèt admotum quindecim post annos à Brissaco Marescallo militaris scientiæ in paucis per id ævum perito, summoque in Subalpinis Gallici exercitus pro Henrico Rege moderatore arrisit. Accesserat is prædabundo, assuetoque metendis palmis milite, vel ipso victoriarum nomine metuendus, bellorumque felicitate, quam Clarasciæ arcis expugnatio adhuc clariùs illustrarat, elatior, Italiam universam, Pedemontio jam toto subacto, spe devorabat; hebetatam tamen ab hoc Cuneo armorum suorum aciem, fractamque ferociam militum, non exiguo & copiarum & nominis detrimento, indoluit. Et sane nihil ab impigerrimo Duce in ea obsidione ad oppidi expugnationem desiderari relictum; nam, & fretus viginti armatorum millibus exercitûs, & viæ ad copiarum auxiliarium ingressum constantissimè interclusæ, & obsessi ad subvectionem commeatuum aditus, & occupati ad propugnacula consurgentia tumuli. Quid maximè posset debita suo Principi fides in Cuneensium animis tunc maximè patuit, quando ære publico plura tormenta bellica fusa sunt, & in summa pecuniarum inopia parandis militum stipendiis, argentum est cusum. Duodesexaginta dies, duabus supra quinquaginta, nullâ intermissione, muros quatientibus obsidionalibus machinis, tot adeò ferocium phalangum in unum collata signa vel ipsis spernentibus mulieribus, quater sustulit; perque sex mille (ut perhibent) fulminum muralium ictus lacerum effractumque inter clades validius, Ferdinandi Avali Cæsarianorum militum Præfecti immissis inopinatò suppetiis, hostem, quatuor suorum millibus quà confossis, quà cæsis solvere obsidionem adegit: manante interim insignis Cuneensium præstantiæ per Italiam universam rumore, quem inter acervos cadaverum tumulata Gallorum excitaverat.

Ab iisdem Duce Brissaco Marescallo.

Ob hanc tam admirandam in obsidionibus ferendis constantiam, Privilegia ei amplissima, grati in fidelissimam urbem animi monumentum à suis Principibus impertita. Civitatis titulo, diplomate in ejus laudem luculentissimo insignivit Emanuel Philibertus, facultatemque tribuit, quâ Jurisconsultorum, Medicorum, Causidicorum, Tabellariorum omnisque generis opificum collegia, exemplo institutoque urbium cæterarum, erigeret: jure insuper elargito Jurisprudentiæ, artisque Medicæ candidatos laureâ, Doctorumque insignibus decorare. Ad hæc, ne pari cum cæteris urbibus jure exæquati solùm Cuneenses viderentur, eos omni vectigalium genere, quæ ultrò, citroque commeantibus, mercium, aut alterius cujusvis rei nomine irrogantur per universam ditionem, idem Emanuel Philibertus exemit, qui præterea in Subalpinorum conventibus, cœtibusque omnibus, antiquiori dicendæ sententiæ loco, reliquis Subalpinorum civitatibus Vercellensibus, Astensibus, Nicænis, & Augustanis exceptis præire, potioresque habendos declaravit. Duabus insuper Dux idem epistolis invictum Cuneensium robur gratulatus est, quod tanti hostis conatus irritos, solutâ jam obsidione, reddiderant, quibus, mirum est, quantis eos laudibus efferat, quàm se gratum, tantique, ut inquit, beneficii memorem futuris temporibus polliceatur, & potissimùm, quòd eorum constantiâ, & fide fuerit tota ditio restituta.

Privilegia ob fidelitatem ei impertita.

Neque verò faustiorem ab ejus oppugnatione sortita sunt exitum sub Cardinalis Valetensis, Longævillæque Ducis expeditione molimina, cùm Anno M. D. C. XXXIX. Pedemontium civilium bellorum turbine, ad vividius studiosissimæ in Ducem suum nationis fidei experimentum exercente, præfervidâ irruptione ab eorum armis petitum est: nec nisi irriti, quibus evoluto penè biennio id per totos quatuor supra quinquaginta dies exinde tentavit Henricus Comes Harcurtius, conatus cecidissent; Nisi ubi tunc dubium erat (quod grassante Civili bello fatum populorum est) quomodo debita servaretur Principi fides, devotum

Alia urbis obsidiones.

votum Sabaudico Imperio Cuneensis Populi ingenium Regiæ Matri, Regiæ tunc Sobolis patronæ obsequi voluisset.

Cunei insignia. Gentilitia patrii stemmatis insignia, si quæ alia toto Pedemontio, & pro meritorum amplitudine, & Regiorum profusâ vicissitudine officiorum sanè insignia gerit in scuto; imam argenteæ purpuræque tæniæ, nobile Cuneensium virtutis à Siculis Regibus coronamentum, alterno fusæ excursu transversa ter ambiunt; superiorem implet Regale Sabaudorum Ducum stemma toto insignium decore exornatum; tortili spira multis palmæ ramulis utrinque scutum obumbrantibus circumducta, aureis inscripta characteribus: FERENDO. Sabaudici scuti consortia illi impertita ab Emanuele Philiberto, quòd dum is supremo moderamine, pro Philippo Rege Belgium administraret, alienis nimium bellis distentus, geminam supra narratam Gallorum obsidionem, ab Annebaudo, mox à Brissaco petitum fortiter tulerit, ac fortissimè proturbarit. Ideo addita multiplicium palmarum decora honoris causam ipso lemmate declarante FERENDO.

Magnitudo & munimenta. Cæterum Civitas, si amplitudinem ambitûs quæras, fusiori mœnium excursu bellis conttacto septingentos non ultra passus protenditut; at situs opportunitas, & è circumsitis Provinciis undique confluentium negotiatorum frequentiâ, & aggerum haud ità facile perviorum munimento non imparem amplissimis oppidis facit. Ad Orientem, quà fastigiatur in Cuneum, Arcem opponit, quæ vel intet semirutas vallorum ruinas, castigatâ per crepidinum suarum ingentes obices fluviorum licentiâ, terrorem hostilibus armis, vel ex ipsa fronte incutiat; sed hæc validissimis mœnibus in speciem Arcis Civitate ipsa conclusâ, brevi æquanda est solo. Urbem porrò præter septem quibus obvallatur propugnacula, quà Gessius adstrepit editissimus, confragisque exasperatus margo, imperviam armis, penè inexpugnabilem animis facit. Geminæ portæ, quarum altera in fastigio, in opposito latere altera sita; assurgunt capitibus spatiosæ plateæ, quæ amplissimis hinc inde fusæ porticibus mediam urbem intersecant.

Templa intra Urbem. Parœcias habet, Basilicam Virginis à Bosco, sitam ad portam, quâ in Alpes egreditur, atque ita nuncupatam, quod ante oppidi constitutionem, à densissimo nemore circumseptum ibi sacellum Deiparæ coleretur, in quo, coactus è circumjectis populis Procerum cœtus de Urbe ponenda primùm statuisse perhibetur. Hoc jam vetustate collapsum, mox non restautari modò, sed longè ampliori, ac formæ venustissimæ more publicis eleemosynis substrui, & splendidè ornari curavit liberalis Civium pietas. Est hæc Ecclesia nobili Canonicorum collegio insignis. Templum Virginis à plebe surgens ad mœnia lateris Meridionalis, quà altissimâ margine Gessium premit, & id haud contemnendæ amplitudinis, ac venustatis. Fanum Divi Ambrosii, à Mediolanensibus intra Arcem jam conditum, mox tamen in urbem ipsam, eo deleto, majori loci opportunitate substructum, in plateæ latere haud longè ab Arce ipsa, molis est quidem exiguæ, capacitatis angustæ, sed populi frequentiâ, ac sacrorum splendore, cultuque nulli secundum.

Monasteria. Habet præterea, in medio fermè lateris Borealis, Conventum PP. Minorum Conventualium, qui priscis admodum temporibus excitatus, paucis ex iis, quos augustus ille Ordo in Pedemontio jactat, amplitudine molis concedit. Horum in templo, quod inter cætera maximum est, nec ulli ejusdem Ordinis in toto Pedemontio inferius, geminos fama est Concionatores sanctitate simul, ac singulari dicendi facultate præclarissimos perorasse, SS. scilicet Bernardinum Senensem, ac Vincentium Ferrerium. Ad latus Australe propiùs Arcem, Conventum PP. Capuccinorum, quorum Templum dicatum est S. Ludovico Tolosano Antistiti, Roberti Andegavensis Siciliæ Regis, ac Cunei olim Domini, Fratri. Ante ipsum plateæ centrum, Collegium PP. Societatis Jesu; eorum Templum novo constructum architecturæ opere, haud leve addit urbi ornamentum.

Virginum Gynæcea. Ad hæc tria sacrarum Deo Virginum gynæcea. Cœnobium Monialium S. Claræ ad Meridiem, aliud earundem Discalceatarum sub titulo Annunciationis ad Aquilonem, æquo ambo binorum stadiorum intervallo ab Occidentali porta distantia, sacris insignium Martyrum reliquiis ambo decorata, in hoc D. Cassiani, in illo D. Tiburtii corpus, Jo. Pauli Lascaris Magni Melitensium Magistri donum asservatur: Cœnobium Capuccinarum tertii Ordinis, ab ultimo haud longè situm. *Oratoria.* Est insuper Oratorium Sodalium à Sancta Cruce, picturis insigne, qui sedulâ charitate peramplum Nosocomium, Montemque pietatis (ut vocant) à cive suo erectum administrant: Oratorium D. Sebastiani, amplitudine, & forma molis satis commendatum, in quo colitur Corpus D. Fabiani Martyris, & nuper alendis pauperibus Xenodochium erectum est: *Xenodochium.* Oratorium Sodalium à Misericordia, sacris D. Pontiani Martyris reliquiis insignitum, cui adjacet Orphanotrophium puellarum, ab iisdem Sodalibus administratum, & erectum. *Orphanotrophium Puellarum.*

Templa & Cœnobia extra Urbem. Hæc intra mœnia, extrà verò, præter minora delubra, ruralesque ad quinque Parœcias; eminet ad marginem Sturæ sacellum B. Virginis à ripa, speciosiori nuper formâ restauratum, in quod, ob recentia (ut in vulgus manavit rumor) prodigia, ingenti cultûs, pietatisque studio, maximâ populi frequentiâ itatur. Quingentos abhinc passus, paulò supra Fluvium colitur fanum Portentosæ Virginis ab Ulmo, cui inserviunt PP. Augustiniani Congregationis Genuensis. Alia ex parte, decem circiter stadia ab urbe, imminet Gessio Conventus PP. Minorum Observantiæ restauratæ, quorum curæ est persplendidum Templum B. Virginis ab Angelis, in hocque summo cultu prosequuntur, mem-

membris post centesimum septuagesimum ab obitu annum adhuc integris, Corpus B. Angeli de Clavasio Summæ Angelicæ Auctoris, ac in Cruciatæ expeditione, quæ contra Turcas Anno M. CCCC. LXXXVIII. indicta est, supremi Curatoris, ac Nuncii Apostolici.

Agri amplitudo, & fertilitas.

Ad quindecim millia passuum Cuneensis ager circumfunditur: mollis aër, & crassiusculus, amœna cæli temperies, uberrima ad frulges soli feracitas, quatuordecim amplis aquagiis campos perpetuò obeuntibus.

Incolarum numerus.

Incolarum numerus undena omnino millia vix attinget, plurimis à pestis, non paucis à belli grassatione oppressis.

Cuneum caput Provinciæ.

Caput est Provinciæ, & Præfecturæ, multa ideo sub se oppida continens. Gubernatoris titulo Urbi, & Provinciæ ex præcipuis Dynastis aliquis semper præficitur, cùm inter potissimas totius Pedemontii dignitates non ultimum locum obtineat Cuneensis Provinciæ moderatio.


Magistratus.

In Magistratu Ducali recensentur Præfectus, Referendarius, Vicarius, seu Judex, Advocatus Fiscalis, & Patrimonialis, in municipiis bini, pro consueto, Consules, sexto quoque mense creari soliti, Consiliarii &c: Est insuper Collegium insigne Causidicorum. Cives tantâ sedulitate, ac prudentiâ, municipalia jura, publicosque census administrant, ut nesciam an uspiam facilè in toto Pedemontio Civitas sit, quæ in tanta difficillimorum temporum vicissitudine validius steterit.

Viri pietate, doctrinâ, & armis clari.

Et viros nihilominus numerat armis, doctrinâ, pietate, ac omni ex parte præclarissimos. Quamplurimi enim fuêre, qui Apollineas lauros eruditis irrigârunt atramentis, ac Martias palmas in castris messuêre præstantissimi bellatores: qui Episcopali dignitate insignes, & vigili custodiâ nulli secundi, Niciensi, Dignensi in Gallia, Iporediensi, &c. Ecclesiæ præfuêre; qui suomet purpurati sanguine sibi, Patriæ orthodoxæ fidei, splendoris, ac gloriæ plurimum attulerunt, Petrus scilicet, & Catalanus de Pascalibus, Ordinis S. Francisci, quos pro fide Catholica Anno M. CCC. XXII. interemere Vallium Incolæ à Religione Romana dissidentes, quos cum argumentis non poterant, vi & suppliciis in Ecclesiæ Romanæ sinum reducere tentaverant; eorum Corpora Valentiæ asservata, & non paucis clara miraculis, non tantùm patriæ, sed exterarum etiam regionum pietas veneratur. Inter cæteros autem Sanctitate præstantes meruit Beatorum syllabo suum nomen inscribi Stephanus Corvus ejusdem supradicti Ordinis S. Francisci. Plures insuper Equites sacros numerat diversorum Ordinum, Magistratuum Præsides, Senatores, Legatos apud Regem Catholicum, & Christianissimum, eorumque Consiliarios, Legum Scriptores, & Medicinæ, Theologos, Jurisperitos, Militum Duces, Ærarii Ducalis Præfectos, Urbiumque Gubernatores. Quorum singulis haud parùm calamo insudandum esset, ni statutæ brevitatis legibus prohiberemur.




GARE XIV M.
1 Petra digna credita olim habitatio Alerami. et Adalasiæ Conjugis. Othonis Imperatoris filiæ.
2. Castri Vestigia. 3. Tanarus Fluvius.
4. Ecclesia Parochialis Sᵗᵃ Mariæ de Ripa.
5. Templ. Paroch. Sᵗᵃ Catharinæ Virg. et Mart.
6. Templum Paroch. S. Antonii de Padua.
7. Templum Parochiale S. Petri Apostoli.
8. Ecclesia. et Cœnobium S. Dominici.
9. Ecclesia. et Cœnobium Capuccinorum.
10. Templ. et Confratern. S. Ioannis Baptistæ.
11. Templum, et Confraternitas Sᵗᵃ Mariæ Gratiarum.
12. Templum, Sodalitatis Sᵗᵃ Elisabeth.
13. 14. Ecclesiæ S. Rochi.
15. Ecclesiæ Sᵗᵃ Mariæ ad Nives.
16. Templ. Confraternitatis S. Ioannis Decoll.
17. Templ. S. Mariæ Annunciat.
18. Templ. Parochiale S. Constantii.
19. Sacellum S. Iacobi.
20. Sacellum S. Sebastiani.
40.

DESCRIPTIO OPPIDI GARETII AD TANARUM.



Situs. MEdio, Bagnascum inter, atque Ulmetam, itinere, viâ, quæ à Monte-regali ad Maritimam Oram ducit, occurrit, populatio frequentissima, plurimis distincta Pagis, ac, uti vocant, Burgis, Villisque, quam Latini Garetium, Itali *Garezzo*, dicunt, Sabaudo Duce in temporalibus subdita, in spiritualibus verò, sat conspicuum Diœcesis Albensis membrum. *Dominium temporale & spirituale.* Intersecatur à Tanaro fluvio, aliisque ex circumstantium Collium vicinia jugiter profluentibus aquis; super quibus positi plures, partim lapidei, partim tignis, asseribusque compacti pontes, commodum hinc indè per sejunctas habitationes præstant transitum.

Domus, pro regionis qualitate, non inelegantes, confertæ alicubi, sibique invicem cohærentes, ampla alibi identidem relinquunt intervalla, ubi spatiosa aperiuntur compita, atque fora, pro ea, quæ ibi exponuntur mercimoniorum distractione, Septembri præsertim, atque Novembri Mensibus, quo tempore, non ex terris Cevensis Marchionatûs modò, Pedemontio, Insubriaque, sed ex Liguria, illuc ad nundinas convenitur. *Fora.* Habet etiam res topiaria, & hortensis, quo, multipliciter exculta, iisdem gaudeat intervallis, inserviatque incolarum necessitati non minùs, quàm exhilarationi. *Horti.* Incolarum porrò eorundem numerus sex animarum millia excedere perhibetur. *Incolarum numerus.* Eorum verò domicilia, sex distincta Parochiis ab Ecclesiis S. Mariæ dctæ de ripa, S. Petri Apostoli, S. Constantii de Legione Thebæorum Martyris, S. *Templa & Cœnobia.* Antonii Paduani, nec non S. Catharinæ Virginis, & Martyris, Ecclesiastica percipiunt Sacramenta. Præter has aliasque Deo sacratas ædes, utpotè S. Mariæ Gratiarum, S. Mariæ ad Nives, S. Joannis Baptistæ, ejusdem Decollati, S. Mariæ Annunciatæ, Sanctæque Elisabeth, quæ à piorum Laicorum Sodalitiis, atque Confraternitatibus frequentantur, sua etiam in Garetiano Districtu habent perampla Cœnobia Dominicani (inter hos, plures admodum celebres Theologi, Concionatores, atque ad Sacræ Inquisitionis munus assumpti, quin etiam, Episcopalibus infulis decorati, priore, & præsenti sæculo floruerunt) & Capuccini, nostrâ ætate introducti.

Licèt verò locus sit mœnibus destitutus, ac, jubente Victore Amedeo primo Sabaudiæ Duce, solo tenus dirutum fuerit Castrum, quod magnificè extructum à priscis Marchionibus, eorumque habitationi destinatum in summo Collis vertice eminebat, non ea tamen postremis hisce temporibus sensit bellorum incommoda, atque vexationes, quibus alia Oppida, Civitatesque succubuerunt; in quarum ruderibus ac ruinis spectatores habent, quod commiseratione ac lacrymis prosequantur.

Quamvis uberiorem triticeæ messis, vinique proventum Garetii ager invidere possit plerisque aliis Cevensis Marchionatûs agris; *Pascuis & sylvis abundat.* hunc tamen Cereris Bacchique defectum, largè Pomona atque Diana supplent incredibili propemodum castanearum in nemoribus abundantiâ, & pabulorum, non modò in pratis, quæ aquis percommodè irrigantur, sed in Montibus etiam, ubi in æstivis copiosa armentorum alitur multitudo, ex quibus exquisitorum lacticiniorum copia ingens provenit.

Inter

GARETII AD TANARUM DESCRIPTIO.

Specus Petra digna dictus. Inter Garetiensis Districtûs arduos vertices locus ostenditur cavernosus, vocabulo Petra digna, quem inhabitâsse permultos annos, ibique, ut sibi pararet victum, conficiendo carboni dedisse operam, vulgò creditur Aledramus Saxo, postquam à Cæsarea Othonis Primi Imperatoris aula, unà cum Alasia ejusdem Imperatoris filia, quam, perditè adamatam, rapuerat, aufugisset; genuisse verò septem ibidem filios, quos, post sibi reconciliatum, Albingaunensis intercessione Antistitis, Aledramum, veniamque filiæ impetratam, idem Otho Marchionatu uno singulos decoraverit. At hæc, ut pluribus alibi ostensum, inter fabulatorum nugas computanda, cùm Aledramus, non ex Germanis ortus, sed in Italia natus, avitas ibidem possedisse ditiones, investituramque tantummodò ab Othone accepisse comprobetur non paucis, quæ hîc afferre non est operæ pretium, documentis.


Quod verò magis commendat tractûs ejusdem Montes, est vetus Carthusiensium Eremitarum Domus, quam Casotum dicunt, accepto à propè labente fluvio nomine. Hæc inter ejus Ordinis antiquissimas computata, utpotè quæ paulò pòst S. P. Brunonis exitum sit fundata, viros aluit peculiari Sanctimoniæ laude insignes. Inter eos autem primo loco commemorandus Beatus Gulielmus ex Garrellorum, sive Fenocchiorum, ut ajunt, Garetiensi familia oriundus, cujus vitæ integritatem Deus frequentibus prodigiis illustravit, cujusque sacrum Corpus ejusdem Monasterii Ecclesia hactenus veneratur. *Casotum Eremus Carthusiensium.*




ORMEA, lat. VLMETA.
TANARVS FLVVIVS.
41.

DESCRIPTIO OPPIDI ULMETÆ IN PEDEMONTIO.

Situs. Bi Tanarus, seu Tanager fluvius, in Pedemontanam Oram rapido cursu descendens, Valli satis amplæ, atque opimæ incipit nomen facere, visitur Ulmeta Oppidum, Italis *Ormea*, quod primum ex Maritima Regione per Unebiæ, sive Arociæ Valles in Pedemontem venientibus, post superatum Navæ Montem, occurrit. Protenditur in longum situ declivi sensim se extollentis Collis, estque Oppidum muro undique circumseptum, ac forti munitum Arce, ad cujus custodiam Gubernator cum militum præsidio à Duce *Arcis conditor.* Sabaudiæ deputatur. Eam, sub annum Christi M. D. XXXVIII. Garcilascus ex Cevæ Marchionibus, qui Francisci Primi Gallorum Regis contra Cæsarianos diu ac feliciter partes secutus est, loci Dominus, propriis sumptibus dicitur excitâsse. Sabaudi posteà Duces, sitûs opportunitate edocti, in ampliorem tutioremque formam instaurârunt. Eâ ut potiretur Marchio S. Crucis, copiarum Hispanicarum ductor, vigente Anno M. D. C. XXV. inter Sabaudos, & Genuenses bello, utque indè commodius officeret Sabaudicæ Ditioni, longâ pertinacique Oppidum, ean- *Agri fertilitas.* demque Arcem pressit obsidione. Ager longè, latèque excurrit, frumento, Castaneis, diversique generis arboribus fœcundissimus. Silvas etiam cæduas, pluribus locis profert, nec non pabula feracissima, ex quibus magnus lactis, laudatissimorumque caseorum proventus, præsertim in finibus Viozenæ, cujus opportunitate allecti Incolæ Plebis Theicii, Genuensium Subditi, eosdem fines persæpe usurpationibus sibi acquirere, quin etiam manu armatâ invadere aliquandò conati sunt, sua tamen egregiè tutantibus Ulmetensibus. Ex quo factum est, ut inter Sabaudi Ducis, ac Reipublicæ Genuensis Populos, deprædationibus, hostilibusque injuriis via non semel aperta sit. Sicuti verò ex Maritimis in Pedemontem commeantium transitus esse ibi assolet frequentissimus, ita etiam non parùm emolumenti affert mercium omnis generis asportatio, multòque afferret magis, nisi Plebensibus, ad quorum, bis in hebdomada celebrari solita, mercimonia res suas venales afferunt Pedemontani, lucrum potiori ex parte cederet. Populus, cujus numerus *Incolarum numerus & indoles.* ad tria circiter millia accedit, est non minùs negotiationis, quàm armorum studiosus, nec bonarum artium omnino rudis. Ingenia, si alibi, quàm in Patria excolantur, mirum, quantum proficiant, excellantque; utì non ita pridem excelluit Bernardinus Rossignolus *Bernardus Rossignolus è S. J.* è Societate Jesu, vir multimodæ scriptionis, qui postquam sui Ordinis Provinciarum Venetæ, Romanæ, & Mediolanensis Provincialis summa cum prudentiæ laude fuisset, obiit demum in Collegio Taurinensi, ejusdem Rector, meritorum annorumque plenus. Nec omittendus Eminentissimus S. R. E. *Franciscus Adrianus Ceva S. R. E. Cardinalis.* Cardinalis Franciscus Adrianus Ceva, qui licèt Monteregali ortus, Garcilascum tamen Patrem, ex Dominis Monasterolii, Marchionibus Cevæ, & Comitibus Ulmetæ, juris scientiâ peritissimum, ex hoc Oppido procreatum fuisse gloriabatur. Nec plura de Ulmetæ situ, ædificio, agro, populo, cujus loci dominio, sub Comitatûs titulo, insignitus à Patre fuit Serenissimus Princeps Mauritius à Sabaudia.


CARTVSIA VAL LIS PISII. fundata 1173.
del. 1667
Grangia Sancti Michaelis
Pisius fluvius
Molendinum
Grangia Correrie

DESCRIPTIO
CARTHUSIÆ
VALLIS PISII,
IN
PEDEMONTIO.



A Clusa, Diœcesis Monteregalensis Oppido, Meridiem, atque Orientem versùs, contra Pisii, sive Pedis fluvii alveum, ad Alpium Maritimarum latus, quod Pedemontanæ obvertitur Oræ, progredientibus occurrunt supra sinistram fluvii ripam calcariæ quamplures, ordine longo, fornaces, quarum beneficio calx ædificationibus necessaria toti circumquàque regioni abundè suppeditatur. Indè verò, si per fluvii ejusdem superiora in intimam pergas Vallem, ad Arduæ Montis radices obviam fit locus ab omni quondam hominum conversatione semotus, & qui repræsentavisse tantum desertæ faciem solitudinis videatur. Nam hyemem longam patitur, ac potissimo anni tempore, altâ nive, ibi, canoque cuncta rigescunt gelu. *Situs.* Ad dexterum verò amnis ibidem latus, in sinuantis se Vallis, nemoribus supernè consitæ, leni adscensu, sese spectandum offert celeberrimum Carthusiensium Monasterium, quod ad Annum M. C. LXXIII. agnoscit Arnaldum de Morotio, *Fundatores.* aliosque Loci ejusdem Dominos, nec non Joannem Priorem Ecclesiæ S. Blasii de Morotio, annuente Fructuariensi Abbate, à quo eadem dependebat Ecclesia, fundatores. Hi enim, ut confectarum eâ super re verba referam tabularum, *fecerunt donationem, in manibus Ulrici Prioris de Ordine Carthusiensi, de terrâ quæ jacet in montanis Villæ, quæ dicitur Clusa, sive in loco, qui dicitur Ardua, à Rivo de Almâ, & à Rivo Corverii usque ad summitatem Alpium ex utrâque parte fluvii, qui dicitur Pedes.* Ab eo tempore, Carthusiensis instituti Cœnobitæ Vallis Pisii sacra septa, quæ, pace dixerim cæterorum, paucis, non intrà Sabaudam ditionem modò, verùm etiam in tota Italia, cedunt nitore, atque magnificentiâ, inhabitârunt. *Agri adjacentis ubertas.* Annosæ circumsitorum montium stirpes, lætaque in jugis pascua, abundè sufficiunt quicquid est, sive alendo igni, sive rei ædificatoriæ, sive nutriendo equino, bubulo, aut pecorino gregi; unde lacticiniorum saporis exquisitissimi vis ingens provenit, necessarium. Non caret jucundâ memoratus amnis piscatione; nec versandis *Fluminis commoditas.* frumento terendo molis, aut avehendis, secandisque ferreâ serrâ trabibus inutiles fundit aquas: nec desunt ad utrumque fluvii marginem amœna prata; quo tempore alibi Sirius agros urit, gratâ herbarum viriditate luxuriantia, ac multicolore florum gemmatâ varietate. Præter hæc, nihil est, quod humano victui satisfaciat, vel suadeat incolatum. Reliqua Monachorum necessitatibus opportuna præstant plura, quæ ipsi piorum largitione, sive emptione acquisiverunt, agri jugera in Cuneensis Civitatis finibus posita, aliisque in vicinia sparsis locis, messe triticeâ, atque latè virentibus pratis admodum abundantia.

Quod ad Monasterii ipsius structuram attinet: *Monasterii structura.* transmisso per lapideum pontem fluvio, extimum septum, ad Australem plagam, ingredientes excipit ingens quadrilongæ figuræ area, elegantibus clausa muris, munitaque eminentibus ad angulos ædificiis, in quibus ea diversari solet laïcorum hominum turba, qui vel gregem curando, vel fabrilia exercendo, vel secandis asseribus, vel sculpendis marmoribus, aliisve

liisve hujusmodi servitutibus utilem Monasterio navant operam. Quamobrem spectare ibidem licet plures horum artificiis accommodas hinc indè dispositas officinas. Huc etiam convenire solet è circumsitis pagis inopum multitudo, frequentium eleemosynarum, quas penus Religiosa distribuit, subsidium acceptura.

Raro patens in summa fronte vestibulum in interius, quadratæ omninò formæ atrium ducit introeuntes. Sublimes quæ circum circà exurgunt ædes, cedunt magna ex parte in hospitium percommodum advenarum, quos è diversis regionibus pietatis studio huc divertere, ac dies aliquot immorari non raro contingit. Hos mensâ, cubiculo, omnique officiosæ charitatis genere excipientes Religiosi, reficiunt spirituali piorum colloquiorum cibo non minùs, quàm corporali.

Ad Orientale areæ, atriique sibi rectà succedentium latus, ubi scilicet locus, ab hominum consortio remotissimus: ad superimminentis declivia Montis vergit, spectare licet intima Monachorum ipsorum conclavia, atque claustra, quadrifariam, per continuatam, marmoreisque fultam columnis porticum, excurrentia. Occurrunt circumquaque distinctæ ad æqualia spatia cellulæ Ascetarum, cum suo singulæ sacello ad privatim Missæ Sacrificium celebrandum, modicâ, pro studentium usu, Bibliothecâ, atque eleganti extrinsecus viridario, omnis generis floribus, attonsisque plantariis doctè consito; in quo, quoties ab orando, psallendo, studendove vacare juvat, possit, juxtà Apostoli præceptum Monachus quisque manibus operari. Hæc negotiosa silentium otia: hæc Mundi blandimentis valedicentium curifugia. Interius hujusce clausuræ spatium ornat obvius hortus, arboribus ad normam satis, atque in medio umbilico, fonte aquas sursum ejaculante omninò spectandus. Quod verò majori cum fructu spectes, visitur ibidem prælaltâ signatum Cruce, pro humandis defunctorum Monachorum cadaveribus Cœmeterium: iis videlicet, deputatum, qui modò sublimè æternum vivant, putrescere humi non dedignantur.


Templum B. Virg. Mariæ sacrum. Sed, ut, unde discessimus redeamus, nihil est, quod magis alliciat oculos, nihil, quod magis conciliet sanctitatem, quàm ipsa in intimum claustrum, sive atrium penetrantibus sese offerens, Virgini Deiparæ Sacra Basilica, minorum hinc indè separatim assurgentium sacellorum, veluti Matrix, atque Coronamentum. Ea, utì Christianis veteribus mos fuit Deo consecrata struere ædificia, rectà respicit Orientem; bifariamque divisa, separat à reliquo Templi Sancta Sanctorum corpore, atque à Laicis spatium destinatum Monachorum, sive stationi, sive prostrationi. Fornix, murique plasticâ figurarum mille ornati varietate, superinducto renident auro, intermixtis identidem picturis, tantâ elegantiâ coloratis, ut naturæ ars illudere voluisse videantur. Non minorem admirationem pariunt in dispositis ex utraque parte Monachorum Sedilibus, ligneæ in Altarium ornamentis marmoreæ cælaturæ. Tantâ prætereà industriâ compactum est ipsum ex secti diversicoloris tessellario opere marmoris pavimentum, ut nihil in toto Templi ambitu occurrat, sive ad latera, sive sursum, sive deorsum spectes, quo non animus mirificè recreetur: ut nihil intereà dicam de sacra texturæ holosericæ acu picta, phrygiataque in usum sacri ministerii supellectile; nihil de vasis auro, argentoque elaboratis; nihilque de pretiosis lipsanothecis, ex quibus, cum splendore majestateque conjunctus, divinus augetur cultus.

Quod verò intuentium maximè attrahit oculos animosque, est Religiosorum ipsorum longè à sæculi fluctibus inibi Domino famulantium Angelica conversatio, atque venerationem gignens aspectus. Porrò inter hujus alumnos Domûs numerati sunt retroactis sæculis multi, natalium splendore non minùs, quàm laude sanctimoniæ commendati. *Nobiles hujus Domus alumni* Hos inter recensentur Domni Antonius de Aviliana, Emanuel, Gulielmus Petrus, & Georgius Lascares, trinum Intemeliæ, Tendensium in Alpibus Maritimis Comitum, familiæ sidus; Raimundus de Briga, Dominicus Torniellus, ac Antonius de Morotio, quorum aliqui Religiosa functi sunt, cùm in hac, tum in Casularum, S. Petri de Toirano, Astensi, Papiensi, Pisana, Mantuana, Ferrariensi Domibus, Præfectura; cum laude præceptæ à Christo Domino serpentinæ prudentiæ, atque columbinæ simplicitatis: de quorum singulis, cùm alibi scriptum reperiamus, nostri non est instituti aliquid ultrà addere.


Illud hoc loco non omittendum (quando de Morotiis, quibus suis initia prænobilis hæc Cartusia accepta refert, iterum incidit sermo) *Dominorum de Morotio Stirpis descriptio.* Dominorum de Morotio Stirpem, inter totius Pedemontanæ Provinciæ antiquissimas computari, utpote quam sex circiter ante sæcula constet innotuisse, dedisseque Viros pace, belloque; togâ, sagoque conspicuos: Obertum, inter cæteros, de Morotio ad Annum Christi M. LXXV. intimum Adelaidæ Secusinorum Marchionissæ familiarem; Franciscum Anno M. CCC. LXXII. Astensem Præsulem; Georgium ejusdem Francisci Fratrem, equestrium Galeatii Vicecomitis Mediolanensium Principis copiarum ductorem; Ludovicum, Carolo Emanuele Primo regnante primarium in Supremo Taurinensi Senatu Præsidem; Carolum Philippum denique, Magnum, sub Carolo Emanuele Secundo Duce Sabaudiæ, Cancella-

cellarium. Taceo Ludovicum Franciſcum Joannæ Mariæ Baptiſtæ Sabaudorum Duciſſæ, nunc tutorio nomine ditionem moderantis, primum quondam Eleemoſinarium, non ità pridem, non ſine bonorum luctu, fato functum, cujus diſertiſſimæ, quas identidem publici juris fecit, lucubrationes, nominis immortalitatem conciliabunt. Taceo etiam Carolum Franciſcum ejusdem Duciſſæ Scutiferum, ad Magnæ Britanniæ primùm Regem, deinde ſemel atque iterum ad Regem Chriſtianiſſimum, poſteà ad Romanorum Imperatorem, Bavariæque Ducem extrà ordinem Legatum; poſteà Victoris Amedei II. qui Carolo Emanueli ſucceſſit, Ducis pueritiæ moderatorem vigilantiſſimum; aliosque ejusdem Heroas gentis, quorum laudibus magnam præſtabit acceſſionem inſigne hoc, cujus deſcriptionem utcunque dedimus, primaria beneficentia, Monaſterium.





DEMONTIUM



STURA F.

Sacella B. Bernardi

DELINEATIO OPPIDI DEMONTII IN VALLE STURIANA.

A. Templum Parochiale sub Titulo D. Donati Episcopi & Matyris.
B. Ecclesia Parochialis D. Ioanni Baptistæ dicata.
C. Ecclesia Parochial. D. Mariæ Magdalenæ dicata.
D. Congreg.º Disciplinator. sub tit. S. Crucis.
E. Congreg.º Confratrū D. Ioanni Baptistæ Decollato dicata, cui aggregata est Sodalitas Consororum sub tit. S. Elisabeth.
F. Domicilium Fratrum Capuccinorum.
G. Confraternitates Spiritus Sancti tres.
H. Ecclesia Sanctorum Antonii de Padua & Rocchi.
I. Arx munitissima prægrandi et prealto scopulo consistens, in qua extructa est Ædicula Beatiss. Virg. Mariæ dicata.
K. Palatium quondam D.ni de Boleris.
L. Palatiū. M. Platea Communitatis.

M. DC. LXVI

Iuvenalis Boetius Fossanus ... Delineavit.

DESCRIPTIO DEMONTII OPPIDI IN SALUTIIS.


Turia fluvius, ex Argenteria Monte profluens, nomen fecit Valli, quæ de ejus nomine dicitur Sturiana. Ea plusquam viginti passuum millibus longa, ac frequentissimè habitata, dividitur in Superiorem, atque Inferiorem: utramque verò ab invicem dividit Demontis, sive Demontii Oppidum, locus, si quis alius in vicinia, dignus commemoratu. Nomen accepisse videtur à Monte quodam in media Valle sito, taliterque à circumstantibus Maritimarum Alpium (quæ eò usque, ac plus ultrà etiam extenduntur) appendicibus separato, ut eminus inspectantibus præcelsæ, acuminatæque formam pyramidis repræsentet, latèque in campos circumpositos dominetur. Ibi primas incolæ fixisse dicuntur sedes, usi priscorum mortalium, post diluvii tempus, consuetudine, qui loca ad habitandum deligebant utplurimùm eminentia, adscensu ardua, hostibus inaccessa, amicisque ipsis non sine labore persæpe, & periculo, adeunda. At cùm Oppidanos agrorum excolendorum opportunitas ex monte paulatim in planitiem invitasset, indè quoque abire coacti sunt, ob bellorum Vallis utriusque populo variis temporibus frequenter illatas clades, iteratasque conflictationes inter Salutiensium Marchionum, Provinciæ Comitum, ac Mediolanensium Vicecomitum copias, aliosque finitimos, quibus animus semper fuit potiendi eâ, diversis prætextis titulis, regione. Igitur ad attigui crepidinem Montis, sub tutela ibi in summo clivo ædificati cujusdam Castri, propriis admotis laribus, circumdatoque muris, quorum adhuc extant vestigia, potiori ex parte, loco, in novam habitationem varia artium genera induxerunt, ac per negotiationes, & mercimonia opes brevi congesserunt, pecuniasque.

Situs. *Nominis origo.*

Has ut congererent, fuit magno ejus itineris commoditas adjumento, ab iis, qui ex Cuneensi, atque Salutiensi tractu per Argenteriæ Jugum in Provinciam, Delphinatumque proficiscuntur, necessariò frequentandi. Ad hoc etiam præstò fuit soli fœcunditas, rebus ad humanum victum necessariis apprimè à natura instructi, non in sitis tantummodò hinc inde collibus, ubi vini, pomorum; castanearum, cæduæ silvæ, ac, si vulgatæ fides habenda famæ, pretiosorum etiam metallorum vis ingens, verùm etiam in subjecta planitie, quæ tritico, fœno, lino, canape, atque hortensibus, Sturianæ aquæ beneficio, frugibus valde abundat. Hinc sequentibus sæculis aucta populi multitudo, qui, licet post contagiosam Anni M. D. C. XXXI. luem ad longè minorem numerum, quàm anteà fuerat, sit redactus, tamen, computatis iis, qui agros habitant, explevisse dicitur super quatuor mille quingentas animas.

Rei augendæ opportunitas. *Soli fœcunditas.*

Veteres etiam, recentesque bellorum motus munitiones Oppido, ejusque dependentiis inviderunt, excisâ primùm Rupelli Arce, quæ à Sturiana in Macranam Valle transitum tutabatur; dein Anno M. D. LVIII. sub diuturni videlicet exitum belli, everso à Ferdinando Avalo Marchione Pescariensi eo, quod Oppido imminebat, Castro superiùs memorato, ne Gallis, in Pedemontium ex Delphinatu, vel Provincia descendentibus, ibidem, ut jam fuisse compertum fuerat, refugii de cætero locus esset. Hoc verò Castrum, unà cum immediato loci dominio, jure feudali per duo sæcula possederat Boleriorum familia, à Francisco illo Bolerio ex Sarmatorii Dominis genus ducens, qui cùm Joannæ ejus nominis

Demontii Domini.

minis primæ Neapolitanorum Reginæ, ac Provinciæ Comitiſſæ, Vicarii primùm in plerisque Civitatibus, deinde Reginalis Seneſcalli in Lombardia, & Pedemontio muneribus functus, fidelem operam navaviſſet, Demontis, atque Roquæ ſparveriæ in Sturiana Valle, nec non Centalli, illuſtris Cuneum inter atque Foſſanum, Oppidi, toparchiis, aliisque in præfata Provincia feudis ab eadem Regina donatus eſt.

At verò, cùm Anno M. D. LXXXVIII. pro Salutiano Marchionatu inter Gallos, Sabaudosque acre exarſiſſet bellum, Carolus Emanuel Sabaudorum Dux, ſubacto, ſimul cum tota Sturiana Valle, Demontis Oppido, ſeriâ cogitatione perpendens, quantum conduceret rebus ſuis illud Italiæ, ſuæque Ditionis oſtium in tuto ponere, transalpinosque illinc, vel arcere, vel in officio continere; ſitu, manuque inexpugnabilem Arcem ædificavit in eo Montis vertice, in quo diximus poſitum primò fuiſſe Oppidum, & qui à reliquis collibus, montibusque avulſus, latè in diffuſam planitiem, ſubſilientesque hinc inde montium crepidines dominatur: ei verò Arci, omni apparatu bellico perquam munitæ, Duces ſtrenuos deputavit; fruſtrà nitentibus Gallis ſub præteriti finem ſæculi, eâ vi, aſtuve potiri. Verùm tandem inter Henricum IV. Gallorum Regem, & eundem Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, ſancitâ pace, in eas deventum fuit conditiones, ut Sabaudus cederet Regi Sebuſianam, aliasque trans Alpes, & circa Rhodanum ditiones, hic verò juri, quod uti Viennenſis Delphinus, ac uti Provinciæ Comes, prætendebat in Salutiarum Marchionatum, & Sturianam Vallem, præcipue verò ſupra Demontem, Roquam ſparveriam, Centallumque renunciaret, ſalvo Boleriorum, quos ſuprà memoravi, jure clientelari, à ſupremo deinceps Sabaudi imperio, nutuque recognoſcendo. His ſic pactis, inconcuſſa Demontis, Sturianæque Vallis poſſeſſio penes eundem Sabaudum ſtetit.

Arx expugnatu difficilis.

Quo tempore à Demontano tractu aperti hoſtium impetus arcebantur, non minùs ab occultis Reformatorum inſidiis cavere neceſſe fuit, qui à finitimo Delphinatu Doctrinâ ſuâ inficere quoque nitebantur Provinciam Subalpinam, in qua, præcipuè verò intrà Vallium abdita, non pauci, eorum ſeducti ſermonibus, Catholicæ fidei vale dixerant. Quamobrem Dux Sabaudus, ut opportunè ſerpenti malo mederetur, non modò eorum Doctores à ſuis finibus, edictis, legibusque proſcripſit, verùm etiam, accedente Pontificis Summi auctoritate, neceſſarios ſumptus ſuppeditavit ab Anno M. D. XCVI. & deinceps, ut Apoſtolici eò Operarii mitterentur. Hi primùm fuere Jeſuitæ, & Capuccini, qui ſedulò in vinea Domini laborantes, ad ſalutis iter quamplurimos reduxerunt. Ne verò Doctrina eorum ſemel profligata ad priſtinos lares reverteretur, continuatâ ab Anno M. D.C. XXXIV. ad hæc uſque tempora Apoſtolicâ miſſione, in Animarum ſalutem iidem ibidem excubant Capuccini.

Miſſiones Apoſtolicæ conſervandæ Religionis ergo.

Eccleſiaſticam in reliquis Politiam, licet interpoſitas habeat ex magna parte Salutienſem, ac Foſſanenſem Diœceſes, curat Archiepiſcopus Taurinenſis, ſub prima Archidiaconi Taurinenſis cognitione, cujus eſt, tam Demontis, quàm reliquorum ad Argenteriæ uſque Jugum in tota Valle ſuperiori Oppidorum Eccleſias de perſonis idoneis providere. Inter eas, cùm Demonte tres olim numerarentur Parochiales, S. Jo. Baptiſtæ videlicet, S. Mariæ Magdalenæ, & S. Donati, eæ in unam tantùm, S. Donati, eleganti Templo inſignem, conflatæ ſunt.

Eccleſiaſticum regimen.




BARCHINONA.
A
B
C
D
E
F
G
G
H
I
A. S. Petri Ecclesia Parochialis.
B. Cœnobium Dominicanorum.
C. Ecclesia S. Mauritÿ, Præsbiterorum Doctrinæ Christianæ.
D: Sodalitium Pœnitentium.
E. Domus Præfecturæ, & Carcerum publicorum.
F. Molendina.
G. Veterum murorum reliquiæ.
H. Pons super Vbaya Flumine.
I. Insula oblonga in eodem Flumine.
66

DESCRIPTIO OPPIDI BARCHINONÆ IN PROVINCIA.

Situs.



Archinona in Alpibus Maritimis, Diœcesique Ebredunensi conditorem agnoscit ad Annum millesimum ducentesimum trigesimum primum, Raimundum Berengarium, Aragoniâ Stirpe genitum, Provinciæ Comitem, qui, in memoriam suæ in Catalania Barchinonis, tale Oppido nomen imposuit; ad cujus ædificationem convenerunt incolæ locorum Falconi, & Droillæ non contemnendis à Principe donati immunitatibus & privilegiis. Brevi in eam amplitudinem devenit, ut egregio murorum ambitu munita, indigenisque aucta, aptissima visa sit omnis generis mercimoniis exercendis, unde viri suapte naturâ industrii, & sagaces per Galliam, Italiam, Corsicam, Sardiniam, aliasque remotiores Provincias excurrunt negotiationis ergò: ex quo fit, ut licèt loci facies, montibus undique tecta, nivibusque hiberno tempore diù obducta modicam præstet telluris fœcunditatem, tamen non modò necessaria undique importentur, sed pecuniarum ingens vis accedat, vulgòque opulenti audiant non tantùm qui Barchinonam, sed quotquot Vallem Montium, sive Sturanam Superiorem, cujus Barchinona Vicaria Sedes est, Patriam habuerunt. Nec verò dum terrenis inhiant opibus, cælestes adipiscendi sollicitudinem omninò deposuerunt. Prodierunt siquidem ex iisdem locis omnibus sæculis Illustres Viri, quos eximia in Deum pietas commendavit. Hos inter memorandus Petrus de Droilla, electus circa Annum M. CC. Dignensis in Provincia Antistes; S. Joannes de Matta ad Annum M. C. XCVIII. Fundator Ordinis SS. Trinitatis, sive Redemptionis Captivorum, ex Falcono propinquo Pago, ubi visitur ejusdem Ordinis Sodalium Domus, oriundus; Hugo de S. Caro, sive de S. Theodorico, eximius sacræ Theologiæ Interpres, primus ex Prædicatorum Ordine Cardinalitiâ purpurâ decoratus ab Innocentio IV. in Concilio Lugdunensi, variis in Christiani Orbis commodum legationibus functus, prudentiâque non minùs, ac sapientiâ, quam doctissimæ elucubrationes testantur, quàm vitæ ad extremum usque spiritum innocentiâ commendatus; Franciscus de Mayronis, Ordinis Minorum Doctor, cognomento Illuminatus, S. Elzearii Ariani Comitis conscientiæ moderator. Ut omittam alios recentiores, qui Deo dicatos Ordines illustrarunt, decusque sacris Infulis addiderunt. Habet porrò id Oppidum Religiosorum Domos duas, Dominicanorum unam à prædicto Hugone Cardinali olim fundatam; Clericorum Doctrinæ Christianæ alterum, non ita pridem inibi stabilitam, ut ritè Christianis præceptis, piisque moribus juventus institueretur, præstoque esset, qui Reformatorum in finitimis Delphinatûs Vallibus degentium dogmatibus se opponeret. Quod ad regimen externum attinet, dum ab Anno scilicet M. CCC. LXXXVIII. ad M. D. CC. XIII. se Sabaudis Principibus addixerunt, Vallis Montium, sive Sturanæ, Vicariâ Sede Barchinona insignita est, eoque loci circumjacentium oppidorum Oratores solebant convenire, ut in publico totius Regionis Parlamento, deinde in magno Civitatis Niciensis Consilio, quæ proposita, quæ responsa erant, referebantur. Pro confinium custodia, rerumque bellicarum administratione habebant assignatum à Principe Capitaneum, ut vocant, Virum probatæ in armorum tractatione experientiæ: pro Civilibus verò causis secundarum appellationum Judicem Præfecti titulo illustrem, quod munus obire solebant unus ex Senatoribus

Conditor. *Nominis origo.* *Incolæ Mercatores.* *Viri pietate in Deum clari.* *Ædificia sacra.* *Regimen politicum.*

bus Nicienſibus, ad cujus Urbis ſupremum Magiſtratum provocant quicunque appellationem interponunt ab ejusdem Præfecti pronunciatis.

Verum ea conditionibus Ultrajectinæ Pacis mutata ſunt anno M. D. CC. XIII. Articulo enim quarto Tractatus Chriſtianiſſimum Regem inter & Sabaudiæ Ducem ſanciti, decretum eſt, quod integer *Barchinonis Vicariatus* Francis cederet, à quibus Regia Celſitudo mutuò accepit Vallem Pragelarum cum arcibus *Exiles* & *Feneſtrelles* atque integris Ocelli, Sezanæ, Bardonachiique Vallibus, Caſtro Delphinenſi & Terris Cis-Alpinis reſpectu Pedemontii Provinciæ, ita ut totus ille Barchinonenſis tractus reſtitutus ſit Provinciæ cujus pars olim fuerat.

Domorum, cæterorumque ædificiorum ſtructura, quamvis non ſit inelegans, elegantior, atque amplior certè foret, niſi bellicus furor Anno præſertim M. D. XCI. Duce Diguerio, nec non M. D. C. XXVIII. Uxellarum Marchione eum Regionis tractum hoſtiliter invadentibus, cuncta peſſundediſſet, atque incendio deformaſſet. Martis tamen damna, atque direptiones, Incolarum ſupplevit in Principem ſuum pietas, & induſtria: adeò ut brevi cuncta ſint non modò in ſtatum priſtinum, ſed in meliorem formam reſtituta. Hinc fit, ut Oppidum illud ſemper Sabaudi Duces non parvi fecerint, exornaverintque Barchinonenſem Ditionem titulo Principatûs, quem noſtris temporibus, uſque ad vitæ finem, ex Caroli Emanuelis I. Sabaudiæ Ducis diſpoſitione, obtinuit Generoſiſſimus Princeps Mauritius à Sabaudia, olim S. R. E. Cardinalis.

Incolarum induſtria & in ſuum Principem pietas.




TENDARVM
OPPIDVM.

DESCRIPTIO
OPPIDI
ET
COMITATUS
TENDÆ
IN
PEDEMONTIO.



X Pedemontana Regione in Maritimam tractûs Niciensis iter agentibus, post Corneliani Montis descensum sese offert oppidum Tenda, illustris olim Comitatûs Caput. Jacet hic locus partim in declivi præalti collis, in cujus fastigio cernere est rudera vetustissimi, ac omninò invii Castri, ubi antiquissima Tendensium habitatio, duratque etiamnum Ecclesia, in qua sacerdos sacris statutis diebus, operatur, partim in subjecta planitie, ubi elegans Fratrum Capuccinorum Cœnobium, salis portorium, pratorumque amœnissimorum longus prospectus ad ripam præterlabentis fluvii Rutubæ. Primarium Templum B. Mariæ Virgini, dictæ de Bosco, sacrum, Canonicorumque Collegio insigne, ea est amplitudine, structurâ, totque decoratur marmorearum statuarum, picturarumque affabrè factarum ornamentis, ut non immeritò Tendensium Comitum, à quibus fuit ædificatum, piam ostentet magnificentiam, quorum ossa inibi tumulis marmoreis asservantur, insigniaque eleganti marmore sculpta conspiciuntur. Præter antiquissimam, quam dixi, in superimminenti Montis jugo sive Arcem, sive Castrum, alium murorum ambitum, nonnullis distinctum Turribus ædificarunt Tendenses Comites in fastigio prærupti undique scopuli, qui in tota quanta est Oppidi facie dominatur, viamque Regiam infernè stratam tuetur, per quam ex Maritimis in Pedemontanas Regiones quotidianus cernitur itinerantium accessus recessusve. In eo Castro habitârunt olim Tendæ Reguli, qui inde in satis amplum & citrà atque ultrà Cornelianum Montem diffusum Comitatum dominium exercebant, ex quo tempore Civitatis Albintimiliensis possessione antiquissimâ exacti à potentioribus Genuensibus novas sibi sedes in avito Comitatu figere coacti sunt. Contraxerunt verò Albintimilienses Comites cum præcipuis Italiæ, Galliæ, Hispaniæque familiis affinitates, dederuntque non modò Genuensi, & Mediolanensi Ducibus Uxores, sed acceperunt etiam à Sabaudis Comitibus Leonoram, dein à Græcorum Cæsaribus Irenem Theodori II. Lascari Imperatoris Natam, Gulielmo Albintimeliorum Comiti nuptam, cujus posteri assumpto Aquilæ bicipitis stemmate, idcirco Vintimilii Lascari dicti sunt, fœcundum illustrium virorum genus, sive pietatem, sive infulatas dignitates, sive bellicam fortitudinem, sive militares Ordines spectes. Prodierunt siquidem ex Lascarorum Tendensium stipite DDD. Emanuel, Gulielmus Petrus, & Georgius, qui ante duo sæcula in Carthusiensium Ordine, & Vallis Pisii Monasterio summa cum sanctimoniæ laude vixerunt; F. Rodulphus, qui D. Dalmatii Cœnobium in agro Tendensi à suis fundatum sub D. Augustini Regula electus Prior diu prudentissimè gubernavit, egitque, ut justa F. Baptistæ

Situs.

Templa & Cœnobia.

Arx in Montis jugo.

Albintimiliensium Comitum præstantia.

Lascarorum Tendensium Stirpis Viri Ecclesiastici illustres.

Baptiſtæ Pogii Genuenſis inſtituta reformarentur; F. Nicolaus à Tenda ex Prædicatorum Ordine aſſumptus ad Archiepiſcopatum in Cypro Famauguſtanum; Marcus, Antonius, & Thomas Epiſcopi in Provincia Regienſes, ſicuti ex iisdem Laſcaris Caſtellarii Dominis, progenitus eſt noſtro ſæculo F. Joannes Paulus Laſcaris, qui Melitenſium Equitum, quorum Ordinem profitebatur, ad ſummam uſque ſenectutem innocens vitæ, labisque purus, ſupremum rexit Magiſtratum; ut innumeros alios omittam, qui ex ea clariſſima ſtirpe, veluti Græcorum ex equo Trojano Duces, prodierunt. Deſierunt verò Tendenſes Laſcari in Annam Joannis Antonii Tendæ Comitis Natam unicam, & Heredem, Renato, Magno Sabaudiæ Notho, nuptam, qui cùm in Claudio Filio, & Honorato Nepote Tendæ dominium continuaſſet, deficiente tandem virili ſtirpe, derivatoque ad fœminas Comitatu, ab iis in Sereniſſimum Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem translatus eſt jure permutationis. Ex quo factum eſt, ut tranſitus ex Pedemonte in Nicienſem tractum per Cornelianum Montem, quouſque ager Tendenſis excurrit, cœperit tutiùs frequentari, juxta ea, quæ olim Nicienſes cum Amedeo Comite, cognomento Rubeo convenerant. Orſus erat ejusdem Ducis filius Carolus Emanuel prædicti Montis viſcera longo tractu aperire, ne jugum aſcendendi neceſſitas hiberno tempore nivibus undique obductum, viatoribus officeret; attamen quod non ex ſolido ſaxo, ſed ex inconſtanti humo interiora conſtarent, opus fuit neceſſario conſilio intermiſſum. Non eſt, quod in Tendenſi agro, qui latè diffunditur, ubertatem fructuum, ac copiam quis requirat, nam Alpinis Montibus undique ſeptum, paſcuis, ſilvisque cæduis tantum abundat. Non deſunt tamen, quâ parte Nicæam itur, amœnæ Valles vitibus, pomiferiſque arboribus conſitæ: nec non caſtanearum, amygdalarumque proventu commendatæ. Nec incolas fallit in adlabenti fluvio troctarum exquiſitiſſimarum piſcatio. Quod verò magis in promptu eſt, præſtat rerum copiam mercimoniorum, quæ illac tranſeunt exportatio, ex qua fit, ut locus ille ſitu oportuniſſimus à Sabaudis Ducibus magno in pretio habeatur.

Tendæ Dominium quomodo ad Duces Sabaudiæ devenerit.

Soli ſterilitas.





ONELIA *vulgo* ONEGLIA



A. *Ecc. Parochialis S.t Ioannis.* B. *Confraternitas Orationis.* C. *Confrat. nova S. Ioan. decoll.* D. *Temp. et Cœnob. S. Augustini.* E. *Confrat. S.mæ Annunciation.* F. *Temp. et Cœnob. Capucinor.* G. *Temp. S.mæ Virg. Lauretanæ.* H. *Antiquæ Arcis Vestigia.* I. *Templum S.æ Luciæ.* L. *Ecclesia Sancti Hyacinthi.* M. *Xenodochium.*

DESCRIPTIO URBIS ET PRINCIPATUS ONELIÆ, IN GENUENSI DITIONE.

Situs.



Nter Mauritii Portum, atque Dianum Genuensium Oppida, visitur, in amœna planitie ad mare sita, elegantibus ædificiis spectanda Onelia, Italicè *Oneglia*, quam ad Occidentem Imperius fluvius alluit, ubi olim cernere erat Arcem non modicam, quam sævientia inter Ducem Sabaudiæ, atque Genuensem Rempublicam odia solo tenus diruerunt, quod idem contigit Macri, Petrælatæ, Bestagni, aliisque Sabaudici in eo Ligustico tractu dominii sive Turribus, sive Castris, ubi veterum murorum vix pauca supersunt rudera. Eandem sortem subire ante nonnulla sæcula coactum fuit, longiori spatio à littore dissitum, atque in assurgente clivo positum, Castrum vetus, quo in loco fama est quondam habitavisse eos, qui postea situ commodiore Oneliam ad mare ædificârunt.

Arces diversæ solo tenus dirutæ.

Templa & Cœnobia.

Spectantur verò ad Oneliam Ecclesia D. Joanni Baptistæ sacra, undecim Canonicorum, quibus Præpositus unus præest, Collegio insignis, D. Augustini Eremitarum, nec non Fratrum Capuccinorum, non longè ab Oppido, amœnissimo loco, pulcrè, concinnèque ædificata Cœnobia, aliaque ornatissima Sacra Templa: viæ verò lapidibus diversi coloris stratæ, nitidæ, atque mundæ quingentis circiter amplis domibus sepiuntur, quas incolunt nautæ, artifices, mercatores; nec desunt oriundi ex Genuensi Urbe primates, qui avitam profitentur nobilitatem. Populus, optimæ utplurimum indolis, atque erga advenas benevolus, & amicus, peculiari præstat, non modò erga Deum pietate, sed etiam erga Principem fidelitate, & observantiâ; cujus inibi vices agere solet non modò juris, verùm prudentiæ quoque consultissimus Senator, Præfecti atque Gubernatoris titulo decoratus à cujus placitis ad Supremum Senatum Niciensem à Sabaudicæ ditionis in ea Ora incolis provocatur. Cæterum Onelia nomen facit, sive uni, sive tribus in ea Regione Ligustica sitis Vallibus, quas huc illuc assurgentes tumuli, atque colles intersecant, & coronant, in quibus licèt frumenti, vini, aliorumque fructuum proventus non ita copiosus sit, olearum tamen arboribus tota Regio adeò silvescit, ut olei exinde ingens vis conficiatur tota Europa laudatissimi, atque, si dicere licèt, nullibi terrarum sic probati, sive condiendis cibis, sive in medicinæ usum adhibeatur; adeò ut accedentibus identidem Oneliam ad hujusmodi oleum exportandum, Belgicis, Batavicis, Britannicis, Gallicis, aliarumque gentium navibus, magnum exinde incolæ quæstum capiant, vulgòque audiant pecuniosi, ac divites. Prior, quæ propriè Oneliæ Vallis denominatur, ad S. Lazari Villam desinit. Eam si continuatum, sive pomarium, sive pomœrium dixeris, non facilè mentieris, tanta est arborum frequentibus ædificiis permixtarum copia.

Viarum & Ædificiorum elegantia & numerus.

Incolarum Indoles.

Magistratus.

Valles tres adjacentes Oleum optimæ notæ proferunt.

Oneliæ Vallis.

Vallis Macri.


Altera quæ Vallis Mari, seu Macri dicitur, ab eodem S. Lazaro ad S. Bernardi usque collem assurgit, ibique Valli Plebis Theicii, quæ Genuensium ditio est, committitur. Ejus caput Macrum eleganti Minorum de Observantia Reformatorum, Monasterio nobili-


bilitatur, quod F. Benignus dictus à Genua, oriundus tamen à Gattorum Villa, in Oneliæ Valle, Provinciæ Genuensis Provincialis primùm, dein totius Seraphici Ordinis Minister Generalis, excitavit.

Vallis Petrælatæ. Tertia Petrælatæ, vulgò *Prelà* nuncupata, reliquis duabus ad Occidentem est, Valli Portus Mauritii, ac Dulcedo, Genuensis Dominii Oppido, ad Meridiem contermina. Harum Vallium à maritimo littore ad Pornatii usque confinia, cujus loci quarta pars ad Ducem Sabaudum spectat, amœnissimus tractus ad quindecim millia passuum protenditur. Numerat quinquaginta tria sive oppida sive Pagos, Domorum capita tria millia, animas quatuordecim mille, viros armis gestandis aptos bis mille.

Trium Vallium Domini. In Oneliæ, cujus primo loco meminimus, Valle dominabatur olim Præsul Abingaanensis, cujus Diœcesi etiamnum tota ea Regio inclusa est. Tenuit ad Annum usque M. CC. XCVIII. quo, cùm se imparem cerneret ad resistendum finitimis Genuensibus, Marchionibus Clavesanæ, Comitibusque Albintemeliensibus, à quibus frequenter infestabatur, præviâ Romani Pontificis facultate, temporale Vallis dominium transtulit in Nicolaum, & Fredericum de Auria fratres, Babilani de Auria Genuensis Patricii filios, à quorum heredibus postmodum Anno M. D. LXXVI. Serenissimus Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ adquisivit, emptionis, ac Petrælatæ Valles, cùm ab Albintemelii Comitibus in Lascaros, Tendæ, Albintemeliique pariter Comites, ab iisque in Renatum Nothum Sabaudum, Magnum Regiæ Franciæ Domûs Præfectum, cui Anna Lascara, unica Tendæ Comitis filia, nupserat, concessissent; deficiente virili prole, à successoribus fœminis, Renata Jacobi de Urfè Marchionis, ac Henricetta Caroli Lotharingi Humenæ Ducis Uxoribus, Anno M. D. LXXV. nec non M. D. LXXIX. idem Dux Sabaudiæ accepit, datis aliis in Taurinis, ac Sebusianis, dominiis, ac ditionibus: sub cujus Regiorum successorum pacifico dominatu, gratulantibus suam sortem populis, perseverant prædictæ Valles; licèt in bellicis conflictationibus Hispanorum ad Annum M. D. C. XIV. Genuensium ad M. D. C. XXV. iterum Hispanorum ad Annum M. D. C. XLIX. exagitatæ ab hoste fuerint.

Hæc sunt quæ de Onelia dicere breviter datum est, ad cujus laudes quàm maximè facit percelebris illius marium domitoris, maritimarumve copiarum Ductoris Andreæ de Auria virtus, qui in Oneliæ Oppido natus est Anno M. CCCC. XXXVI. die ultimâ Novembris, Divo Andreæ Apostolo, à quo nomen auspicatò illi inditum est, sacrâ, Patre Cevâ, Matre Caracosâ de Auriis, ejusdem loci ex parte Dominis, qui licèt ad summam usque senectutem, septuagenario major, vixerit, ob res tamen domi, forisque præclarè gestas vivet imposterum ejus memoria immortalis. *Andreæ de Auria Architalassi encomium.* Sicuti etiam non omittendi Ecclesiastici Præsules duo, ejusdem nominis, cognominis, familiæ, patriæque, Marcus Antonius de Tomatis Patruus, insignis Jurisconsultus, Episcopus Bitetti in Regno Neapolitano; nec non Marcus Antonius de Tomatis Nepos, Astensis, dum hæc scribimus, Antistes, quos Caravonicæ in Valle Macrensi Oppidum mundo peperit.




CASTRUM et OPPIDUM
DULCIS-AQUÆ


DESCRIPTIO DULCISAQUÆ OPPIDI

ET

MARCHIONATUS

IN

PEDEMONTIO.



Situs. IN eo Maritimarum Alpium tractu, qui olim Albintemelienſis Comitatûs vocabulum præferebat, duorum mille paſſuum ſpatio à Liguſtico Mari, atque à Nicienſi Urbe vigeſimo, non ampliùs, lapide diſtans, viſitur Dulcisaquæ Oppidum, id nominis, *Nominis origo.* ut veroſimiliter opinari licet, ſortitum, non tam à dulcibus, perennibusque fluentis, quæ canalium beneficio derivatæ, ac ſurſum proſilientes, in ſuperiore ſcaturiunt Caſtello, quàm ab infernè labentis Nerviæ fluvii aquis, longo inde curſu exortis, partim à Toragio, à Gordalo partim Monte, quorum alter eſt jurisdictionis Sabaudicæ interclusus, atque Genuenſium ex ea parte ditioni conterminus. Is porrò fluvius, poſtquam Buſii, Pignæ, atque Inſulæ bonæ Oppidorum radices alluit, lapideo coërcitus ponte, Burgum, uti vocant, dividit ab Oppido Dulcisaquæ, inſervitque verſatilibus pluribus, pro olei expreſſione, molis, ad quas, non ſine eximio Toparchæ proventu, terendas olivas deferre ſolent, non Oppidani modò, verùm etiam finitimi Campitubei, Vallisbonæ, aliorumque Genuenſis dominii locorum habitatores.

Oppidum, quod murus, occurrentium ſibi ædium acceſſione continuatus, circumdat, frequenter admodum habitatur, utpote quod *Cœli temperies & ſoli fertilitas.* gaudet cœli temperie feliciſſimi, atque ob maris viciniam, circumpoſitorumque tutamen montium, nullis ferme eſt obnoxium incommodis brumalium tempeſtatum: prætereàque ſolum proferat ea omnia, quæ ſunt alendis incolis neceſſaria; generoſum imprimis vinum, ficus, amygdalas, avellanas nuces, poma, mala citria, ac cedrina, melopepones, olera, legumina omnis generis, &, quod caput eſt, olei exquiſitiſſimi ingentem copiam, ex olivarum cultu, quibus agri loca editiora jugiter vireſcunt, provenientis. Nec deſunt Artifices varii, ex quorum laboribus aucto lucro, pecuniâque, proſtat domi, quod & oppidanis veneat, & vicinis.

Loco Oppidi frequentiore, exurgit primaria, amplitudinis non contemnendæ Baſilica, *Templum primarium.* D. Antonio Abbati, veteri Entimilienſis familiæ, olim, ut narrabimus, Dulcisaquæ dominium poſſidentis, Patrono, ſacra; ubi ſpectare licet nonnulla Nobilium de Auria, ejusdem deindè Toparchiæ Dominorum, cum ſuis epigraphis, atque epitaphiis monumenta. Ibidem verò ſacris operatur Sacerdos unus, Præpoſiti titulo inſignis. Succedunt eodem in Oppido, S. Spiritus, atque, in adjacente Burgo, D. Sebaſtiani Eccleſiæ, excultæ ſingulæ piorum Sodalitiis Laicorum: nec procul dicatum Archangeli Michaëlis nomini Phanum.

At ſi, inde egreſſus, conſcendas collem ad Auſtrum ſitum, in cujus eminentiore faſtigio ſuperſunt veteris Caſtelli, cui quondam Abelli nomen, rudera, & veſtigia, videre erit elegans Auguſtinenſium Diſcalceatorum *Cœnobium Auguſtinenſium Diſcalceatorum.* Cœnobium, noſtro fundatum ævo propè jam ibidem pridem extructum Templum, prodigiorum, Deiparâ intercedente, ſub cujus invocatione colitur, famâ percelebre. Priùs verò quam eò loci devenias, ad viæ ſenſim, leniterque in ſpiræ modum aſcendentis flexuras, viſere licebit quatuor ſupra decem minora Sa-

Sacella, in quibus præcipua Incarnationis Christi mysteria, ejusdemque Intemeratæ Matris gesta ad vivum repræsentantur: quo possit fidelium turba, & ab itineris incommodo ad certa spatia conquiescere, & in meditatione rerum divinarum identidem recreari.

Arx difficilis expugnatu.

Ex opposito ultrà amnem latere exsurgit superba Castri, sive Arcis moles, perquam difficilis expugnatu, naturâ videlicet, industriâque, ad ejus munimen convenientibus. Quà enim Septentrionalem plagam respicit, scopulus est omninò abruptus, atque in præceps ruens; ex aliis verò lateribus, habet duo solidi operis propugnacula super vivâ fundata rupe. Ad Castri interiora, ubi structuræ antiquioris procul videntur nonnullæ Turres, atque turritæ ædes, adsunt perampla atria, solaria, aulæ, cœnacula, cubicula, cuncta ferme concamerata. Ea autem hucusque extitit fixa Dominorum Dulcisaquensium habitatio.

Dominorum successiva mutatio.

Hi fuêre, ut superiùs attigi, primò quidem Albintemeliensium Comites, aliique, ab his titulum nacti, Nobiles Genuenses, deinde verò Proceres de Auria, genus ducentes à percelebri illo in Reipublicæ Genuensis Annalibus ac Populi Capitaneo, Oberto de Auria, qui Anno M. CC. LXX. emptione hujusmodi dominium acquisivit. Hos inter, fuêre non pauci bellicâ gloriâ insignes; Stephanus imprimis de Auria, qui postquam superiore sæculo pro Republica Genuensi à Gallorum armis Corsicam Insulam defendisset, Cuneum etiam, Nicæamque pro Emanuele Philiberto, ejusque Patre Carolo Sabaudiæ Ducibus strenuè munivit, egregièque ab eorundem hostium machinationibus est tutatus. Ejus verò posteri etiamnum idem dominium possident à Sabaudo Duce, cui clientelare obsequium præstant insigniti Marchionatûs titulo, complectentis præter Dulcisaquæ, quod hactenus descripsimus, etiam Podii Rainaldi, Apricalis, Insulæbonæ, atque Rochettæ Oppida.


Bellorum varia incommoda.

Non caruit autem is regionis tractus bellorum aliquando incommodis, divisis præcipuè in factiones, sub Roberti Neapolitarum Regis, ac Provincialium Comitis regimine, Genuensibus, ac labentibus Joannæ Reginæ, Neptis ejusdem, rebus. Sub finem ævi nuper elapsi, cùm acre bellum inter præfatos Genuenses, atque Sabaudi Ducis subditos exarsisset, arctâ iidem Genuenses Dulcisaquæ Oppidum, ex improviso adorti, vallarunt obsidione, ducto eo loci sex mille oppugnatorum exercitu. Cùm tamen eorum conatibus, iteratisque aggressionibus per multos dies continuatis generosissimè obstitisset Carolus Tana, Interaquarum Marchio, militaris fortitudinis, litterariarumque exercitationum gloriâ conspicuus adolescens, qui Oppidum cum præsidiario milite pro Sabaudo custodiebat, attulissetque suppetias Ludovicus San-Martinus ab Alladio, S. Damiani Marchio, re infectâ, injecto tantùm in Burgum igne, inde discedere sunt coacti.

A Genuensibus frustra obsidetur.


Viri preclari ejus urbis.

At verò bellorum incommoda ac ruinæ efficere nequaquam potuerunt, quin viros industrios ac conspicuos hæc persæpè patria genuerit, atque aluerit sinu suo. In horum numero non prætereundus Joannes Thomas Borgonius, Regius Secretarius Victoris Amedei II. Ducis, ejusque in scribendi arte Magister, cujus eruditis delineationibus debet Sabaudica ditio, quidquid ex nonnullis lustris in lucem prodiit numeris omnibus absolutum, ac Joannes Baptista Cassinus, publicus olim in Bononiensi Academia, posteà verò penes Ludovicum XIV. Gallorum Regem Christianissimum, Mathematicarum disciplinarum, atque Astrologiæ Lector, inter hujusce ætatis celeberrimos numerandus.



TURRIS TURBIÆ,
Ubi ſuperſunt quamplures Priſcæ
Molis, pro ſuſtinendis Auguſti
Trophæis, Reliquiæ.




TROPHÆA AUGUSTI.
IMPERATORI CAESARI DIVI F. AUG. PONT. MAX.
IMP. XIV. TRIBUNIC. POTEST. XVIII.
S. P. Q. R.
QUOD EIUS DUCTU, AUSPICIIS QUE GENTES ALPINÆ OMNES, QUÆ
A MARI SUPERO AD INFERUM PERTINEBANT, SUB IMPERIUM PO. RO.
SUNT REDACTÆ, GENTES ALPINÆ DEVICTÆ, TRUMPILINI, CAMU-
NI, VINONETES, ISNARCI, BREUNI, NAUNES, FOCUNATES, VINDELICO-
RUM GENTES QUATUOR, CONSUANETES, VIRUCINATES, LICATES, CATE-
NATES, ABISONTES, RIGUSCI, SUANETES, CALUCONES, BRIXENTES, LEPON-
TII, VIBERI, NANTVATES, SEDUNI, VERAGRI, SALASSI, ACITAVONES, MEDUL-
LI, UCINI, CATURIGES, BRIGIANI, SAGIONTII, EBRODUNTII, NEMALONES,
EDENETES, ESUBIANI, VEAMINI, GALLITÆ, TRIULLATI, ECTINI, VER-
GUNNI, EGUITURI, NEMENTURI, ORATELLI, NERUSCI, VELAUNI, SUETRI.

DESCRIPTIO
TROPHÆORUM
AUGUSTI,
VULGO
TURBIA
IN
PEDEMONTIO.



EX Monœci Oppido, arduo admodum aſcenſu, conſurgunt Alpium juga, atque intrà milliare, Caurum versùs, exigua remanet, atque æquata planities, ternis collibus circumſepta: Qui verò Mari imminet, collis Turbiæ cognominatur, alter, qui ſeptentrionalibus opponitur ventis, Agellus, ſivè, ut vulgus ait, *Agel*; Tertius verò, qui occiduum proſpicit Solem, Sembolæ nomine exprimitur.

Situs. In hujusmodi plana area ſitum eſt Turbiæ Oppidum, ducentis, & ampliùs Domibus compoſitum, ex antiquæ Molis, ſive ædificii ruderibus conſtructum, de quo infra nobis eſt ſcribendum.

Muri ambitus Receptus dictus. In editiore Oppidi parte adeſt muri ambitus, pinnis circumquaque coronatus, circularem fermè retinens figuram, quem vulgò *Receptum* dicunt, ex hujusmodi parietinis, ſive vetuſti ædificii reliquiis excitatum. In illum eundem, vigentibus Guelphorum, ac Gibellinorum civilibus factionibus, Pagorum circumſitorum Indigenæ, mulieres, ac pretioſiora earundem transmittere conſueverant, vel ut eorundem incurſiones faciliùs evaderent, vel ut ibidem ab hoſtibus ſeſe defenderent.

Vetuſta moles in Receptus meditullio. In Receptûs prædicti meditullio, partim recens, partim vetuſta conſurgit moles, ex cujus ruderibus colligi facillimè poteſt ejus ſtructuram fuiſſe hujusmodi.

Ejus ſtructura qualis olim fuerit. Nuda aderat ſuperficies ſoli, ſive æquata platea, quadrato lapide pavimentata, duobus, & quadraginta in qualibet facie pedibus protenſa, cui inſidebant Stereobatæ tribus fermè pedibus Geometricis eminentes. Stereobatis innitebantur circumquaque ſtylobata, & iisdem murus ad omne latus, ex vivæ rupis quadratis tabulis ſaxeis expolitis, ac prominulis, cum alveolis, aut canaliculis eleganter compaginatus; ex quo muro ad intrà per ſex pedum intervalla extabat compactio quatuor itidem parietum, ex quadrato ſaxo rudi, & inculto, in quadrum diſpoſita, quorum intervallum cæmento ex calce, arena, & ſaxis fuerat repletum. Inter compactionem, & murum exteriorem, expletio prædictæ conſimilis inerat, ex calce, ac retrimentis lapideis.

In facie ad Meridiem obverſa oſtium fuerat excavatum in umbilico, ſex latum pedibus, & duodecim elevatum, per quod patebat acceſſus; ad lævam inane reperiebatur, tribus patens pedibus, in quo inerant ſcalæ cum gradibus palmaribus, per quos ad coronatum muri culmen patebat aſcenſus. Idem oſtium, iidemque gradus reperiebantur in muri facie oppoſita, Septentrionem proſpiciente; geminæ verò murorum facies laterales Orientem, & Occidentem ſpectantes ſolidæ erant ex quadratis lapideis rabulis prominulis aptè compaginatis conſtructæ. Super hac quadrata baſi æquatum extabat planum circumquaque effuſum, & ſuper ſolido Compactionis alia conſurgebat baſis, quatuor itidem habens facies, ex quadrato lapide opere elegantiori ſculpta, ac ſuperpoſita corona.

Altera ex his frontibus inſcriptionem exhibebat à Plinio tranſcriptam cap. 20. lib. 3. laterales facies magna hinc, & indè Trophæa ex pario candido marmore, ac medii Anaglyphi opere concinnè elaborata exhibebant,

Marii Trophæis quæ Romæ adhuc hodie conſpiciuntur conſimilia. Super hoc ſecundo quadrato, quod cæmento itidem plenum erat, duobus exceptis ſpatiis, ad geminas cochlides ſcalas conſtruendas aptatis, impoſita fuerant in orbem ſtereobata, ſtylobatibus è vivo ſaxo exſculptis circumdata, quibus ſtructiles columnæ diligentiſſimè compaginatæ Doricas ſequentes præcepta inſidebant, ſuperpoſitum Epiſtylium ternis ornatum faſciis, Zophorum cum Triglyphis, & metopis, ac cæteris ornamentis coronam ſuſtinentibus, quæ omnia à Dorica Architectura non recedebant.

Currebat in orbem perpetuus murus poſt columnas cæmento prædicto plenus, atque intercolumniis ædiculæ, ſeu loculi excipiebantur. Coronæ Fornix ſphæricus incumbebat, cum coſtis, ex ſoliditate muri poſt columnas conſtituti, enaſcentibus, ac Molis demum totius culmen eximio cultu conſpicuum implebat Auguſti Cæſaris ingens ſimulacrum.

Moles hæc vetuſta igne conſumpta fuit.

Ædificium prædictum igne conſumptum fuit, ut igniariæ machinationis cuniculi nonnulli eidem ſubſtructi, & extantia columnarum fragmenta, nec non ingentium ſaxorum circumquaque diſperſorum frequentia, etiam procul à Mole abundè teſtantur.

Pars ejus orbicularis a Gothis extructa.

Poſt Gothorum tempora pars illa orbicularis, quam dixi, conſtructa videtur, quæ ex ornamentis in ejusdem ſummitate conſtitutis Gothicam refert Architecturam. Geminis etiam verſoriis ſcalis uſi ſunt ad ampliorem aſcenſum conſtituendum, ex quo ad Turrim prædictam patet acceſſus. Aliis deinde temporibus paries pinnis exornatus inædificatus fuit ſuper ſolidiori compactione, quam vulgus Oſſaturam vocat, cum exigua Turri in angulo ad Orientem, ac mare obverſa. Intrà verò murum, atque Turrim, nonnulla fuêre excavata, & conſtructa cubilia, prout commodiùs fieri potuit, ad militum ſtationem, cùm ab ima Ædificii parte ad uſque ejusdem ſummitatem per gradus ex parte Occidentis in ipſo cæmento exciſos intrà compactionem, & exteriorem murum comprehenſos, aſcenſus pateat.

Inſcriptionis marmorea rudera.

Extant circa Oppidum fragmenta plurima ex pario candido marmore Inſcriptionis prædictæ, Trophæorum, ac Simulacri, ſed illorum pars in Receptûs muro ædificando conſumpta fuit, pars in ſepulchris non procul exiſtentibus, ubi ædes ſacra cum fornice valde amplo, ac Turri Campanaria ex ſaxis ab eadem mole extractis creditur excitata, quæ munitæ Turris, vel Caſtri vices ad Oppidi tutelam gerit, atque propè viam ſita eſt, quæ Genuâ Provinciam itinerantes perducit.





NICÆA
ad Varum
Templum Parochiale B.V. Assumptæ. 15. Oratorium S. Crucis.
Templum Cathedrale S. Reparatæ. 16. Oratorium Misericordiæ.
Templum Parochiale S. Martinj ubi 17. Oratorium Nominis IESU.
Cœnobiu FF. Eremit. S. Augustini. 18. Xenodochium Orfanorum.
ubi Cœnobium FF. Carmelitarum. 20.
Templum, et Collegium Societ. IESU. 21. Oratorium Sacræ Sindonis
Templum, et Cœnobium S. Dominici. 22.
Templum, et Cœnobium FF. Minorum 23. Xenodochium S. Rochi.
Conventual. S. Francisci. 24. Xenodochium S. Crucis.
Templum, et Cœnob. S. Francisci 25. Templum B. Virginis
de Paula. 9. Templum, et Cœnobi- de Subsidio.
um FF. Discalceatorum S. Augustini. 26.
Templum S. Caetani. 27.
Templum, et Monasterium S. Claræ tos S. Francisci.
Templum, et Monast. Visit. B.M.V. 28. Palatium
Monast. S. Bernardi. 29. Palatium Senatorium.
Monast. S. Fran. Salesij. 30. Palatium Urbanum.
56.

NICÆA CIVITAS

Notabilia Castri.
A. *Pars eminentior vulgo Donion.*
B. *Acropolis vulgo Cittadella.*
C. *Templum, olim Cathedrale.*
D. *Platea.* E. *Puteus.*

Notabilia Civitatis
1. *Palatium S. R. Col.*
2. *Ecclesia Cathedralis.*
3. *Palatium Episcopale.*
4. *S. Dominicus.*
5. *S. Augustinus*
6. *S. Jacobus.*
7. *S. Franciscus.*
8. *Jesuitæ.*
9. *Augustiniani discalceati.*
10. *S. Francisci de Paula.*
11. *S. Caietani, Theatinorum.*
12. *Porta maritima.*
13. *Porta vulgo Pairolera.*
14. *Porta Pontis.*
15. *Porta S. Alodii.*
16. *S. Clara Monialium.*
17. *S. Maria Monialium.*
18. *S. Francisci Salesii Monialium.*
19. *D. Barnardi Monialium.*
20. *Suburbium Pontis.*
21. *Palatium Senatorium.*
22. *Forum olitorium.*
23. *Forum Piscatorium.*
24. *Palatium Civitatis.*
25. *Fons.*
26. *Turris Horologii.*
27. *Mons Albanus.*
28. *Mons Bonosi.*

DESCRIPTIO COMITATUS ET CIVITATIS NICÆÆ AD VARUM.



Juxta emendatissimam Petavii Chronologiam.

Lib.4.Geogr.

Nicææ conditores.

In descriptione Italiæ Ligusticæ.

Phoceenses, antiquissimi Joniæ populi, Persarum sub Harpago Tyrannidem exsecrati, dum novas inquirunt sedes, Anno Mundi ter millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto, ante Christum quingentesimo trigesimo nono, Massiliam in Galliis condiderunt. Viribus aucti, Strabone teste, in circumjacentia littora excurrentes, amœnissimo prope Varum illecti tractu, ne illum ab imminentibus Saliis, capillatisque Liguribus occupare prohiberentur, celebrioris de iis partæ victoriæ monumentum perenne, Nicæam * loco munitissimo statuerunt. Niciam maluit dicere Leander Albertus, à Nicio Laërte Etrusco Duce; sed meliùs Cluverius, cum Plinio, Ptolemæo, epitomatore Livii, & aliis antiquioribus Geographis, Massilienses, non Etruscos eidem conditores assignat. Unde accidisse reor id, de quo Strabo eodem lib. 4. ut licet Nicæa in Italia, Antipolis in Gallia sit, in judicio re disceptatâ, Italicæ Præfecturæ decerneretur Antipolis, Nicæa Massiliensi. Nonnullis orta suspicio est, dictam initio à Populis Bacchi cultoribus Nisam, à Nisa Bacchi Monte, & pari modo Cemellenum à Semele Bacchi matre. Sanè plura circa Nicæam nomina Græciam redolent, cùm sit, & in finitimis montibus suus Pelion, suus Ossa, & in planitie sua Olympia.

Agri adjacentis fertilitas.

Andreas Thevet in Geogr. Univers. lib. 16. cap. 17.

Tacitus in vita Agricolæ initio.

Ager non admodum latè patet, sed ob collium amœnitatem, ubertatem soli, cæli clementiam, ullius vix capax hyemis, ita ad omnia humanæ vitæ commoda factus est, ut qui maximam Orbis partem lustraverat Andreas Thevet, in sua Geographia universali, opportuniorem condendæ Urbi locum nusquam se vidisse testetur. Suas olim in eo delicias habuerunt Romanorum Primarii, in eaque parte, quæ Templum dicitur, Tacito teste, ab Ottonianis Procilla Julii Agricolæ mater, dum in hortis suis otiaretur, occisa est. Sanè quidquid uspiam frugum in omni sui parte parit Italia, in hoc veluti primo vestibulo, felicissimâ ubertate progerminat.

Sigonius de Regno Italiæ.

Ptolemæus l. 8. Geographiæ.

Theophilus Raynaud in notis ad Valerianum.

Errant qui putent ex Cemelleni vicinæ urbis ruinis Nicæam coaluisse: Cemellenum enim vanum jam nomen, cujus sola extant Amphitheatri, Thermarumque vestigia, usque ad Longobardorum in Galliam excursiones, Sigonio teste, superfuit; Nicæa verò, vel ab ipso Ptolemæi ævo, inter celebriores Italiæ urbes numerabatur secunda, ut videre est apud eundem Ptolemæum lib. 8. in sexta Europæ tabula, in qua post Romam immediatè Nicæa ponitur, mox Terracina, Neapolis, &c. Suspicari possit aliquis, duas hasce usque adeo vicinas urbes in unam coaluisse. Distincta tamen semper habuêre nomina, cùm unus utriusque fuerit tamen aliquandò Episcopus Cemellenensis, & Niciensis, ut colligitur ex Epistola S. Hilarii Papæ ad Leontium, Veranum, & Victurium, & ex nonnullis Conciliorum subscriptionibus, quæ utrumque titulum præferunt.

Nicæa bellorum clades sæpius passa.

Bellorum frequentia antiquam illi majestatem excussit. Ut enim invadentibus ab Occidente Italiam exercitibus prima semper occurrit, illatas sibi olim ab Ottonianorum, Vitellianorumque dissidiis clades, non semel perpessa est, Anno præsertim præteriti sæculi quadragesimo tertio, quo à portentissimo Francisci Primi exercitu, & à maritima Aria-

* Civitatis illius nomen à Græcâ voce Νίκη ortum videtur.

Ex Jovi, Doglionio, & aliis hiſtoricis. Ariadeni Archipiratæ claſſe diù oppugnata, deſperantibus Turcis munitiſſimæ dejectionem Acropolis, irati urbi jam deditæ, totam fermè incendio abſumpſerunt, captis duodecim civium millibus atque in peſſimam ſervitutem redactis. *Ex manuſcriptis.* Ex eo tempore minor illi frequentia Civium, quæ paucos ante annos tanta fuerat, ut tabificâ lue abſumptis viginti quatuor hominum millibus, adhuc qui ſuperfuerant tantis retundendis hoſtibus pares eſſent. Sed ſatiùs fortaſſe urbes deſcribere, non quales fuerint, ſed quales ſint.

In aperta juxta littus planitie, mari imminet editiſſima rupes, quæ à Ludovico primum, tum à Carolo Tertio Sabaudiæ Ducibus firmiſſimis coronata propugnaculis *Nicææ Arcis deſcriptio.* tantam impoſitæ Arci ſecuritatem facit, ut ægrè aliam in tota Europa reperias, cui, vel à bombardis, vel à cuniculis minor ſit metus. Quâ parte Meridiem, & Liguſticos Montes reſpicit, inacceſſa ſcopulorum aſperitas, etiam ſine mœnibus hoſtes excluderet. Minor illi ab Aquilone ſecuritas, ex annexo depreſſiore tumulo, in quem feralia planè tormenta attollentes Turcæ omnes jam prope ab ea parte muros excuſſerant. *Novæ arcis deſcriptio.* Quam opportunitatem, ne ultra cederet hoſtibus, Bellaciſſimus Emanuel Philibertus, aream illam totam in novam Arcem erexit, in quam, vel amiſſâ urbe, recepti Cives eriperent victoribus gaudia, dum differrent. Ita triplex in una Arce ordo murorum; quorum quilibet ſuperior inferiorem tuetur; certante arte, inditas loco à natura munitiones vel æquare, vel vincere. Ingreſſos excipit ingens platea, variis hinc inde belli officinis ornata. Habet à læva auguſtiſſimum Templum totum è ſecto compactum ſive lapide, ſive marmore, Deiparæ Virgi- *Boterus in ſuis Relationibus.* ni ſacrum; in fine verò mari minax, longâ bombardarum horreſcit ſerie, infra quam puteus viſitur miræ planè profunditatis, duriſſimo totus exciſus in ſaxo, aquarum non minùs ſalubritate, quâm redundantia admirandus.

Urbis deſcriptio. Quà ſe leniter jugum in Occidentem inclinat, ſubſtrata Arci Civitas eſt, ædificiorum celſitudine anguſtias areæ ſupplens, hinc clauſa mari, indè Paulone fluvio, quem lapideo premens ponte, ſuburbiis nectitur, iis & ipſa munita propugnaculis, quæ oppugnatoribus magis difficultatem victoriæ faciant, quâm deſperationem. Sparta tamen hæc ſuis abundè munita civibus eſt. Excitatiſſimi ingenii homines, frequentibus exerciti bellis, ex quo præſertim Sabaudiæ Ducibus adhæſerunt, Agri ſui vineas elegantiſſimas, & frequentiſſimas deſeruerunt ſæpè libidini hoſtium, Arcem, & fidem *Sub quibus olim Nicæa fuerit.* nunquam. Paruerunt olim Provinciæ Comitibus, Neapolis Regibus; ſed in diſſidiis Ladiſlai, & Ludovici II. Duratianorum partes contra Andegavenſem ſequuti, protracto in ſex annos bello jam feſſi, impetrârunt à Ladiſlao hanc libertatem, ut dummodò ad Andegavenſes non accederent, quemcumque mallent Principem advocarent. Vicit Joannis Grimaldi Boleani Toparchæ ſententia; atque ita unà cum Raymundo Garnerio, & Antonio Dionyſio, ad Amedeum VI. miſſus, Ludovicus Grimaldus ejuſdem Joannis *Anno Domini 1388.* frater, interpoſito ſacramento eundem totius Nicienſis Comitatûs Dominum dixit. Conſenſerunt in hanc ipſam deditionem paucos *Noſtradamus in hiſtor. Provinc. part. 1.* poſt annos Ludovico III. Rege Andegavenſes. Horum tamen Hæredes Nicææ deſiderium ſæpius in bella commovit, conatu nun- *Nicæenſium fides erga Duces Sabaudiæ.* quam felici, quod fideliſſimis populis, optimorum amorem Principum pluribus educatum privilegiis nullus unquam potuerit fortunæ furor excutere. Quemcunque Sabaudi Sanguinis Principem viderint, contineri non poſſunt, quin illicò magnis vocibus Sabaudiam inclament. Tantam hanc benevolentiam admiratus eſt Summus Pontifex Paulus III. cùm *Anno Domini 1538.* Nicæam, unà cum Carolo V. & Franciſco I. coiſſet utriuſque diſſidia placaturus. Cùm enim de Caroli III. Ducis conſenſu, Petrum Aloyſium Farneſium, excubitorum ſuorum Præfectum præmiſiſſet, qui ſibi in Arce ſe- *Tonſus in vita Eman. Philib. & alii Hiſtorici.* dem pararet, arrepto ſecum puerulo Emanuele Philiberto armati Cives, Arcem ingreſſi, obfirmatis portis, ad omnem inſtantiam non aliud reſponderunt, quàm ut, elato ſupra muros Regio puero, identidem Sabaudiam exclamarent. Ita amantium more etiam ſecura veriti, maluerunt ſibi obedientiæ famam, quàm Duci ſuo ultimum illum afflictæ aſylum fortunæ perire.

Sed huic Urbi non minùs conſtans ergà *Civium pietas.* Deum, quàm ergà Principem fides. Tutiſſima ex hac parte antiqua Italia Religio eſt; adeò à Dogmatibus finitimorum Delphinatum nullo unquam afflari contagio potuit. Ab Apoſtolorum temporibus, Sancti Nazarii *Viri hujus urbis Sancti.* operâ luſtralibus Chriſti aquis abluta, dedit eidem fidiſſimum ſocium Celſum Cemellenenſem puerum: dedit & ſingulis ſæculis illibatæ fidei ſuæ teſtes idoneos; Martyrem & E- *In Martyrolog. ad diem 5. Decembris.* piſcopum Baſſum, qui ſub Decio, & Valeriano à Perennio Præſide equuleo tortus, laminis candentibus uſtus, fuſtibus & ſcorpionibus cæſus, in ignem injectus, cùm evaſiſſet, illæſus, duobus clavis confixus, palmarum ſylvam intulit cælo; Martyrem item, & Epiſcopum Pontium, cujus opera in hac ipſa Urbe Philippi Cæſares, primi è Romanis Principibus, ſeſe Euangelii legibus ſubdide- *Ex ejuſdem homiliis.* runt. Valerianum item Cemellenenſem inter Scriptores Eccleſiaſticos S. Leonis ævo eloquentiæ laude clariſſimum; Syagrium inſuper ſanctiſſimum Præſulem, Caroli Magni Nepotem, antiquiſſimi S. Pontii extrà Urbem *In Archivis monaſterii S. Pontii.* Cœnobii fundatorem; ut omittam Hoſpotium Abbatem, & incluſum, de cujus virtutibus, atque miraculis præclariſſima ſcribunt Gregorius Turonenſis, Paulus Diaconus, Sigebertus, & alii.

Religionem antiqua Templa teſtantur, S. *Templa & Cœnobia.* Reparatæ Virginis & Martyris, Sanctorum Dominici, Franciſci, Auguſtini, Jacobi Apoſtoli,

postoli, Rocchi, Sanctæ Crucis, Sancti Sepulcri, Sancti Sudarii, Sancti Spiritûs, Monialium Sanctæ Claræ, Visitationis B. Virginis atque Bernardinarum, quibus novissimè pia civium liberalitas adjecit omnium elegantissimum Collegium Societatis Jesu, Minimorum Augustinensium Discalceatorum, Clericorumque Theatinorum Asceteria. Quatuor Mendicantium Ordines habuêre suis ab exordiis ampla Cœnobia, unde plerique Magni viri Bellorum sacrorum tempore ad dilatandam inter barbaros fidem prodierunt. Nec desunt Xenodochia, Nosocomia, & alia multiplicia Christianæ pietatis officia in subsidium egenorum.

Magistratus. Civitas tota aliquam Democratiæ speciem retinet. In quatuor distincta classes, Nobilium, Mercatorum, Artificum, & Ruricolarum, suum singulis assignat Consulem annuum, stolâ purpureâ insignem, cui decem viri ex eodem ordine assident à consiliis. Nobiles Familiæ plures, eæque insignes, ut occurrunt è numero, Lascares Græcorum Cæsarum genus, Tendarum olim, & Vintimilliæ Comites, Grimaldi Barones; Bollii, Berræ, Chiabaudi, Badati, Galeani, Puteji, Caysii, Borrilioni, Portanerii, Caravaschivi, Isnardi, Roccamauræ, Laugerii, Tonduti, Marchesani, Fabri, Achiardi, Orsierii, Flottæ, Buschetti, Villarii, Graglierii, De Albertis, Martelli, Claretti, & alii plures, de quibus alias. Hinc magno numero Melitensium Equitum instituta sequuntur, quorum jam Summus Magister Eminentissimus Jo. Paulus Lascaris à Castellario Nicæam Patriam summoperè illustrat, sicut & olim illustravit Cardinalium Collegium eruditissimus Jacobus à Puteo; Jurisconsultos Honoratus Leotardus Senator; Historicos Petrus Jofredus, erudiendæ pietate, & litteris Victoris Amedei II. Sabaudiæ Ducis Sardiniæque Regis pueritiæ, inter multos lectus; Concionatores, Societatis Jesu alumni Aloisius Juglaris, Jo. Andreas Albertus, aliique.

Familiæ Nobilis.

Nicææ Comitatus ad nonaginta ferme milliaria Aquilonem versùs protenditur; centum minimum frequens pagis, inter quos celebriores, Hospitellum, Sancti Stephani, Sancti Martini, & ad lævam proximi littoris Villafranca, ubi olim antiquus Herculis portus longè alius à Monœco, quem Lucanus non portum, sed stationem vocavit, deceptumque Cluverium constat ex ipsius versibus Pharsaliæ lib. 1. *Lib. 1. Italiæ antiquæ.*

Quàque sub Herculeo sacratus nomine portus,
Urget rupe cavâ pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut zephyrus, solus sua littora turbat
Circius, & tutâ prohibet statione Monœci.

Ejusdem frequens occurrit mentio in historiis: In Valer. Max. lib. 1. cap. 6. Julio Obsequente de Prodigiis, in Silio Italico lib. 13. Tacito hist. lib. 3. & aliis.

Agrum Nicæensem multa nobilitant præter dicta, insigniores quædam Cavernæ, & gemini fontes, alter semper ebulliens, atque ideò Calidus dictus, alter Sanctus ex eo quòd illi aliqua divinatio esse credatur; quoties enim in arenti Jugo uberiore erumpit scatebrâ, alias siccus, & arenis non aquis dives, vicinis populis, Bellum, Luem, famem denunciat. *Fons sanctus.*

Coronarunt olim Nicæam ampla suburbia, quorum sola jam rudera extant, unius præsertim extra Pairoleriam Portam siti, in quo Moniales Cistercienses à Gynæceo S. Stephani magno numero alebantur, & alterius à Sancta Cruce, in quo fuit celeberrimum Cœnobium, quod paucos ante annos quàm dirueretur, severiorum Franciscanorum millia in Comitiis Generalibus exceperat. Atque ita hi, ad D. Mariæ Cemellenensis Templum translati, extra Urbem habitant, sicut Benedictini Monachi ad S. Pontii, Capuccini ad D. Bartholomæi, Augustiniani Discalceati ad D. Joannis Baptistæ; Intrà Urbem verò (præter Dominicanos, Franciscanos, Augustinianos, Carmelitas, Jesuitas, Minimos, Theatinos) Sanctæ Claræ, Visitationis B. Mariæ Virginis, & Cistercienses sub D. Bernardi titulo Moniales: ut nihil interea dicam de pluribus piis, tam virorum, quàm mulierum Sodalitiis, aliisque divini numinis cultui destinatis. *Nicææ suburbia.*

Prædictis addam Urbem arcemque à Gallis anno M. D. C. XCI. captas fuisse; verùm pace, anno M. D. C. XCVI. sancitâ, restitutas; postea verò Gallorum sæpius præda, nunquam enim Sabaudio bellum Gallus indixit, quin Nicæam Nicæanumque Comitatum invaserit.



VILLA FRANCA APUD NICIAM AD VARUM.



1. Arx.
2. Porta Castri.
3. Porta loci.
4. Ecclesia Parochialis.
5. Turricula pro excubiis.
6. Ecclesia P.P. Capuccinorum.
7. Receptaculum vulgo Darsena.
8. Spelunca.
9. Fons Magnus.
10. Promontorium vulgo Mala lingua.
11. Scopulus vulgo Graßuegl.
12. Promontorium vulgo Mala Ripa.
13. Turris Ramiculi.
14. Castrum Montis Albani.
15. Mons Maurorum.
16. Promontorium vulgo Capo grosso.
17. Castrum S. Hospitii.
18. Portus vulgo Fossa grande.
19. Portus vulgo Fossa piccola.
20. Ecclesia S. Joannis.
21. Fons S. Joannis.
22. Petra Formica.
23. Ecclesia B. Mariæ de pulcro loco.
24. Turris Bosii.
25. Rupis rubea.
26. Portus vulgo di Mala.
27. Promontorium vulgo Caudagl.
28. Templum S. Michaelis.
29. Isia.
30. Trophæa Augusti vulgo Torbia.


A
A
F
D
C
B
E
G
H
P
M
O
C. di Malalengua
PORTO DI VILLAFRANCA
Con l'Ancoraggio misurato à palmi di Nizza, 12 de quali fanno un trabucco, e sei il braccio di Mare
A. Luogo e Forte di Villafranca.
B. Lazaretto nuouo.
C. Darsena
D. Forte di Monte Albano.
E. Altro Lazaretto cominciato à Lempea uerso la Città di Nizza.
F. Conuento de P.P. Capuccini
G. Tonara, ò Pesca de Toni.
H. Forte di S. Hospitio
I. Torre di Momborone
L. Chiesa di S. Michele, con le rouine dell'Antica Villa di Monte Oliuo,

DESCRIPTIO URBIS VILLÆFRANCÆ MARITIMÆ IN NICÆANO COMITATU.



Situs.

Illafranca Niciensium, alia à Pedemontana, distat ad ortum à Nicæa Urbe duobus circiter mille passibus, in saxosi, montuosique sinus, quà mari alluitur, umbilico; ubi Alpium maritimarum declivia sensim inter duo promontoria, Montis Bonosi, sive Bosonis, nunc *Montboron* ad Occiduum, Malæ-linguæ verò ad orientem Solem curvescentia, Portum efficiunt, quem Plinius, Ptolemæus, aliique Geographorum veterum probatissimi, Herculis Monœci Portum appellavêre, alium à Monœci statione, Italis *Monaco*, Gallis *Mourgues*, cujus Portus, Stationisque meminit Lucanus lib. 1. Pharsal. his versibus:

Herculis Monœci Portûs, & Monœci stationis differentia apud Veteres.

Quàque sub Herculeo sacratus numine Portus
Urget rupe cavâ pelagus; non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus; solus sua littora turbat
Circius, & tutâ prohibet statione Monœci.

Ptolemæus vero tab. 3. Europæ Portum Herculis, qui nunc est *Villafranca*, & Portum Monœci, qui nunc est *Monaco*, distinctè describit: *Post Vari ostium*, inquit, *ad Ligusticum mare, Massiliensium sunt Nicæa, Herculis Portus, Trophæa Augusti, Monœci Portus.* Nam Montes, quorum summum jugum, nomine Alpis Summæ, in Antonini Itinerario indicatur inter utrumque Portum, *Herculeos Colles, & nebulosa saxa Monœci* dixit Silius Ital. Belli Punic. lib. 15. ubi ait:

Intereà Rutulis longinqua per æquora vectis
Herculei ponto cœpere existere colles,
Et nebulosa jugis attollere saxa Monœci.

At quando apud veteres Portus Herculis Monœci conjunctim habetur mentio, de Villæfrancæ Portu intelligendum, utì proculdubio intellexit Cornelius Tacitus Histor. lib. 3. ubi postquam dixit Fabium Valentem è sinu Pisano Portum Herculis Monœci depulsum, haut procul indè (Cemenelione scilicet, priscâ, nunc verò excisâ Urbe, Nicææ ad Boream, non longò intervallo, confine) egisse ait Marium Maturum Alpium Maritimarum Procuratorem. Barbaris postmodum Italiam & Galliam invadentibus, Portus hic habitatorum infrequentiam passus est, qui ut rebus suis consulerent, seque ab eorundem Barbarorum invasionibus tutarentur, relictis avitis sedibus ad mare sitis, eminentem in summo vertice montem incoluerunt, ædificato Castro, cui ab Olivo denominatio posteà facta est, unde subjectus Portus sequentibus sæculis Olivulæ nomen obtinuit. Ne verò omninò habitatio maritima deseri videretur, extructum est ad ejus Montis radices elegans Monasterium B. Mariæ de Pulcro loco, cui S. Hospitius, solitus aliquandò, ut liberiùs Deo vacaret, Turri quâdam in Peninsula, ubi nunc Arx, dicta *de Sant Sospir*, se includere, Abbas præfuit, de qua re consulendus Hist. Francorum

Castrum Olivi.

Portus Olivulæ.

Monasterium B. Mariæ de Pulcro loco.

Arx de Sant Sospir *dicta.*

rum lib. 6. cap. 6. Gregorius Turonensis. Nec deerant aliæ circum circà Portum, sive à Monachis, sive ab Eremitis constructæ cellæ, præsertim ubi Ecclesiarum S. Joannis ad Crottas, & S. Stephani de Cortina rudera adhuc conspiciuntur. Hæc in eo statu perdurârunt ad Annum usque M. CC. XCV. quo Carolus II. Hierusalem, & utriusque Siciliæ Rex, ac Provinciæ Comes, Montis Olivi Incolas in eum locum deduxit, qui nunc Villafranca est, ibidem circundatis muro Turribus, ædificatâ Ecclesiâ Divo Michaëli Archangelo sacrâ, & derivato in Oppidum perenni fonte in habitantium commodum, quos prætereà multis exemptionibus ac privilegiis decoravit, ut sic Portus ab advenis, Mercatoribusque tutiùs frequentaretur: uti frequentarunt Anno M. CCCC. VI. & sequenti Benedictus Antipapa in suâ obedientiâ Pontifex XIII. ad cujus, cum Sigismundo Cæsare, ac Ferdinando Aragoniorum Rege colloquium Anno M. CCCC. XV. eadem Villafranca est destinata; Anno M. D. XXI. Beatrix Lusitaniæ Regis Filia Carolo Duci Sabaudiæ desponsata à classe suorum stipata; Anno M. D. XXII. Adrianus VI. Romanus Pontifex; Anno M. D. XXV. Franciscus I. Gallorum Rex, dum post Ticinensem conflictum captivus in Hispaniam duceretur; Anno M. D. XXVII. F. Philippus Villiers Liladamus Magnus Hierosolymitanorum Equitum Magister, dum amissâ Rhodo, sui Ordinis Equites eò duxit, ut Nicææ, permittente Sabaudiæ Duce, diversarentur; Annò M. D. XXIX. Carolus V. Romanorum Imperator ex Hispania Italiam versùs navigans; idem verò Anno M. D. XXXVIII. Villæfrancæ diutiùs commoratus est, cùm, ut pax inter ipsum, & Franciscum I. Francorum Regem sanciretur, adhortante Paulo III. Summo Pontifice, Nicæam tres illi summi Christiani Orbis Principes convenerunt; alios Pontifices ut omittam & Magnates, quos diversis temporibus is Portus, atque Oppidum amicè, commodèque excepit, utì nostro, Patrumque nostrorum ævo Austriacis Archiducibus, Infanti Cardinali, Hispaniarum Reginæ, Romanorum Imperatrici factum est. Ut verò imposterum tutior Portus esset, Serenissimus Sabaudiæ Dux Emanuel Philibertus, Arcem, in viva rupe ferro, atque igne excisâ, quo loco maximè mari imminet, excitavit, eamque majoribus bombardis quamplurimis munitam, ac præstanti militum numero septam celebri illi Andreæ Provanæ de Layniaco, Fruzzaschi Comiti custodiendam tradidit; cui etiam recens structarum Sabaudicarum triremium, quarum duæ S S. Lazari, & Mauritii Militiæ assignatæ, imperium demandavit. Struxit prætereà in propè eminentis Montis fastigio S. Albani Arcem, ne locus ullus ab hoste occuparetur, unde Villæfrancæ offici ullo modò posset: Ejusdem Ducis industriæ opus est, firmissima continendis in tuto triremibus moles, quam Darsenam dicunt, cujus pars, cùm exortâ Anno M. D. LXXV. subitâ tempestate, quæ nonnullas inibi Hispanicas triremes submersit, fuisset labefactata, idem Dux posteà instauravit. Ejus Filius Carolus Emanuel, Neposque Victor Amedeus, itidem Sabaudiæ Duces, ut Portuosi littoris commodum ad omnes populos se extenderet, nationibus omnibus eam concesserunt immunitatem, quæ vulgò dicitur *Portofranco*, cujus rei Nicæa Civitas hoc, dictante percelebri illo Musarum, politiorisque omnis litteraturæ alumno Emanuele Thesauro, publici juris fecit monimentem.

Villafranca Oppidum quando & à quo structum.

Rerum memorabilium quæ Villæfrancæ contigerunt series.

Arx à Du[ce] Emanuele Philiberto excitata.

S. Albani Arx.

Moles Darsenæ.

Portûs Vi[l]læfrancæ immunitas à Ducibus Sabaudiæ concessa.

Emanuelis Thesauri [in]scriptio in hanc rem.

MAGNO CAROLO SABAVDIÆ DVCI,
ET VICTORI AMEDEO INVICTISSIMO FILIO,
QVOD IMMENSA REGALIVM ANIMORVM AMPLITVDINE
NON SVOS TANTVM POPVLOS,
SED VNIVERSVM TERRARVM ORBEM COMPLEXI,
NATIONES OMNES
GRATVITA PORTVOSI LITTORIS IMMVNITATE
MAGNIS AVCTA COMMODIS RECIPI VOLVERINT,
ÆTERNVM GRATI ANIMI MONIMENTVM
AB OMNIBVS VBIQVE POPVLIS DEBITVM
NICIA FIDELIS COLLOCAVIT.

Hujus Portus immunitas à Carolo Emanuele II. confirmata & ampliata.

Ne verò prædecessorum suorum ulli cedere videretur Carolus Emanuel II. Dux Sabaudiæ, qui non ita pridem regnabat, non modò eandem Portûs immunitatem confirmavit, ampliavitque, verùm etiam, ut tutissimum perinde, ac commodum Villafranca evaderet in emporium, nationum omnium mercatores eo loci invitavit, ubi nova Negotiatorum Societas, præsente pecuniâ, præsto esset mercibus, quà emendis, quà in Pedemontanas, aliasque Regiones distrahendis, permutandisque. Addidit idem Dux ad dexterum Portûs latus immenso propemodum sumptu, excisis ferro, atque igne rupibus, vastissimam novi Xenodochii (Lazarettum Itali vocant) structuram inter præclariora totius Italiæ opera computandam, servandis in tuto mercibus, & publicæ lui averten-

Xenodochium novum, seu Mercimonarum servandorum lo[cus].

avertendæ aſylum certiſſimum, præter ſimile, minoris tamen molis opus, quod eodem fermè tempore in oppoſita montis parte ejusdem Ducis juſſu Nicæa Civitas excitavit.

Hæc de Villæfrancæ Portu, magnarum Claſſium, maximarumque omnis generis Navium capaciſſimo, impræſentiarum ſatis. Plura Ricciolius, Moriſottus, Leander, Cluverius, Merula, aliique, de locis aptis, in eo maritimo tractu, figendis anchoris. Unum non omittendum, cùm à ventis cæteris Villæfrancæ Portus tutus omninò ſit, à Lybico tamen non ita tutus; verùm huic incommodo Ars, naturaque providit; illa quidem, Mole Darſenæ, quam dixi, ab Emanuele Philiberto Duce excitatam; hæc verò, commoditate alterius admodum capacis Portus ad Orientem ſiti, ubi thynnorum piſcium, quotannis copioſiſſima fit piſcatio. Utrumque verò Portum interſecat brevis Iſthmus, inter Continentem, & Peninſulam, cui inſidet Arx inexpugnabilis Sancti Hoſpitii, de quâ ſupra.




HOSPITELLVM
BIBERA FL.

DESCRIPTIO HOSPITELLI OPPIDI IN NICÆANO COMITATU.




Hospitellum, sic enim in vetustioribus chartis effertur, licèt recentiores minùs aptè Cespitellum, seu Sospitellum vocent, Italis nunc *Sospello*, Provincialibus *L'Espel*, nomen accepisse videtur ab aliquo Hospitio inibi in viatorum commodum ædificato, ubi posteriora sæcula, coalescentibus eo loci, ex circumstantibus castellis, incolis, excitârunt illustre Oppidum, quod nunc Civitatis titulo exornatur. Distat Nicæâ quinque circiter leucis Boream versùs, bifariamque secatur à fluvio Vibera, sive Bevera (unde forsitan Viberi populi, quorum meminit Inscriptio Trophæorum Augusti apud Plinium) qui eleganti, lapideoque Ponte coërcitus in Rutubam exoneratur post aliquod intervallum, circumstantibus agris frequenter noxius. Loci facies, licèt circumquaque à frugiferis collibus, & montibus ambiatur, in planitiem tamen desinit, quam nobili structurâ, rectoque ut plurimùm ordine distinctæ domus, plateæ, Templa, Monasteria totam occupant. Prosiliuntque publicis foris arcuato opere aquæ copiosissimæ ac saluberrimæ. Visitur ibi Primarium Templum Divo Michaëli sacrum, ac non ita pridem à fundamentis, vetere diruto, ædificatum, majestate suâ, amplitudine, Regularium S. Ruffi Canonicorum Collegio, atque Episcopali Cathedrâ venerabile. Licèt verò Episcopus, cui subest, Albintemelii consueverit residere, habuit tamen etiam suum Hospitelli, quod olim frequens habitabat, Palatium Episcopale. Quin & hoc minimè omittendum, Albintimeliensis Comitatûs Hospitellum ex multis sæculis esse Caput, & primariam sedem, eoque loci, non modò ex universo Comitatu, verùm etiam aliquandò ex ipsa Albintimiliensi Civitate solitos convenire Universitatum Legatos: qui in publicis Comitiis ferendi suffragii jure gaudent. Judex inibi minores, sive in prima instantia, Præfectus verò majores, sive appellationum causas judicant, ab eisque ad supremum Senatum Niciensem devolvuntur. Altera Parochialis Ecclesia præfert titulum S. Petri. Quin etiam numerat alias opulenti censùs Ecclesias, quas SS. Mauritii, & Lazari Milites possident in Commendam; supersunt elegantissima duo Fratrum Minoritarum Cœnobia, Observantium strictiorum unum, D. Francisco Capuccinorum alterum, D. Mauririo sacrum, Religiosorum numero, Ecclesiæ nitore, ædium structurâ, hortorum amœnitate omnino visenda: præter Scholarum jam pridem institutarum Collegium, ubi nunc instruendæ humanioribus litteris, bonisque artibus juventuti, ac Christianis moribus educandæ, nec non Fidei rudimentis edocendis Clerici, quos Doctrinarios vocant, sedulam navant operam. Incolæ utriusque sexûs, qui sex millium animarum censentur, paribus animi, & corporis dotibus præditi, formâ conspicui, ingenio perspicaces, ad Martis, & Palladis munia sunt aptissimi, hinc multi numerantur utriusque juris laureâ insigniti, multi in bellicis expeditionibus cum laude promeruêre: Ad mercaturam, mechanicasque artes non ita nati, quamdiù patrio in solo vivunt. Viros, qui per varia tempora litteris claruerunt, multos hic locus protulit. Hos inter enumerantur Hieronymus Albertus, Honoratus Pellegrinus, Nicolaus Imbertus, Petrus Boëtus, Joannes Martinius, Joannes Baptista Blancardus, Vercellinus Borrilionus, Hercules Pellegrinus, Jacobus Antonius Vaquerius, & qui instar omnium est Theophilus Rainaudus è Soc. Jesu vir omnigenæ litteraturæ,

Qui duo, qui septem qui totum scibile scivit;

Nominis origo. *Situs.* *Templum Cathedrale.* *Hospitelli prærogativa.* *Reliqua templa & cœnobia.* *Incolarum numerus & indoles.* *Viri docti.*

uti atteſtantur plurima volumina ab eò edita omni genere eruditionis referta. Nec verò Nobilitatem aſpernantur: plures enim ex Civibus eam vel ritè factis auſpicantur, vel omninò non degeneres à majoribus acceperunt. *Agri fœcunditas.* Ceterum ager, niſi annonæ caritas obſtet, quæcumque ad victum neceſſaria ſunt, cultoribus ſuis abundè providet, frumentum præcipuè, vinum, oleum, omniſque generis legumina: ficuum verò, amygdalarum, aliarumque hujuſmodi frugum adeò ferax eſt, ut, & incolis ſufficiat, & ad exteros etiam non infrequenter tranſmittat.



OPPIDI SAURGII, ET VIÆ REGIÆ A'CAROLO EMANUELE I.

Constructæ, Geminus Prospectus ad Meridiem, & ad Occasum.

A. *Castrum S. Georgy.*
B. *Castrum antiquum male Mortis dictum.*
C. *Alterius Castri Antiqui vestigia*
D. *Viæ Regiæ pars.*
E. *Percommodū Viatoribus Hospitium vulgò dictum* Il Fontano *à multiplici fontium copia è rupibus ibi affluentium.*
F. *Templum Visitationis B. Virginis directione Monacor. S. Honorati.*
G. *Templum Parochiale B. Virginis* [illegible]
H. *Templum Parochiale S. Antony Abbatis.*
I. *Templum, & Cœnobium FF. Reform. Min. Obser. S. Francisci.*
K. *Templum, & Sodalitium S. Joan. Bapt.*
L. *Templum Confraternit. S. Claudy.*
M. *Inscriptio ultra Fluvium in Rupe incisa in tantæ rei gestæ memoriam.*

PUBL. CISMONT. AC CITRAMONT. DITIONIS BONO
ITAL. AC TOTIUS ORBIS COMMODO,
INVIIS UTRINQ. ALPIUM MARITIM. PRÆCIPITIIS
FERRO, FLAMMAQUE PRÆCISIS
D. CAR. EMANUEL IIII SABAUD. DUX XI. P.P.P.P.
PACE BELLOQUE FŒLICISS.
PROPRIO MOTU PROP. SUMPTU PROP. INDUSTRIA
HANC VIAM BASILICAM PERFECIT.

DESCRIPTIO
OPPIDI
SAURGII
IN
NICÆANO COMITATU.



Aurgium Pagus eſt, cùm origine pervetuſtus, tum frequentiâ nobilis incolarum, quos callido ingenio, & præferoci, armis, commerciiſque addictiſſimos gignit. Illum, in ſcopuli ſitum faſtigio, gemini amnes, Rutuba Lucano, & Plinio cognitus, Bendulaque circumfluis aquis, quaſi peninſulam complectuntur. *Situs.* Liquidâ admodum, vegetâque cœli aſpiratione recreatur, quippe è regione meridiem aſpicit, qua parte etiam Bendula infernè alluitur, rejectâ ad occidentem Rutuba ad Aquilonem rupe, in quam abruptæ, ſalebroſæque ſecus fluminis ripas crepidines deſinunt. *Cœli amœnitas.*

Numerus incolarum & indoles. Quatuor millia fermè numerat indigenarum, quorum induſtria ab infrugifero, ut videtur, ſolo uberrimam exprimit meſſem, adeò ut longè diffuſi in Alpibus fines, pabula largè ſufficiant pecori alendo, cujus beneficio exquiſitis ſanè, perque oram latè maritimam, Pedemontiumque vulgatis lactariis, laniſque abundat. Ad hæc vi mellis ingenti, & ſuaviſſimo ex olivis oleo, generoſo vino, ficubus, aliiſque id genus pomis non caret ejus ager, qui vigeſimo lapide abeſt à mari.

Arx vetuſta à Mala Morte dicta. In conſpectu ultra fluvium Rutubam vivo è ſaxo editus mons pyramidali figurâ conſurgit abruptus, & pænè inacceſſus, atque inſulæ more undequaque ſolitarius. In ejus vertice Arx perantiqua hodieque conſpicitur, tribus diſtincta turribus à Mala Morte appellata, cui ſuperiora ſæcula plurimum tribuebant, quòd haud aliunde certiùs præterfluentem amnem, & viam Nicæam ducentem liceat ſpeculari.

Alterius Arcis rudera in alia rupe. In rupis alterius cacumine aliquo intervallo indè disjunctæ alterius pariter Arcis ſemiruta extant veſtigia, quam temporis injuria exedit, atque labefactavit.

S. Georgii inexpugnabile propugnaculum. In editiori Saurgii vertice inexpugnabile aliud propugnaculum erigitur, cui à S. Georgio nomen eſt inditum, incertæ, & ex-legis figuræ, quippe edito ſuaptè naturâ, & præcipiti loco accommodatum. Geminæ hinc indè Turres Quadrangulari formâ, atque interjecti muri loricæ antiquo artificio elaboratæ. Intrà munimenti ambitum militum ſtationes ad excubitores fermè ducentos capaces, geminæque ibidem ciſternæ; probè omnia, & perfectè conſtituta. Indè ſpeculanti modò conſtrata objicitur via, incorrupto adeò, apertoque proſpectu, ut parvâ militum manu magno hoſtium numero aditus obſtrui poſſit.

Rutuba & Bendula troctis abundant. Iis, quæ dixi fluminibus Rutubæ, & Bendulæ magnus troctarum innaſcitur numerus, quas ob vortices aquarum per abruptas cautes ſaltuatim cadentium liquida penetralia ſcopulorum in ſinu recipiunt, & aquoſos receſſus in parvi gregis cuſtodiam aperiunt.

Via ad Rutubam à Carolo Emanuele I. ſtrata. Porrò in Rutubæ perpetuo margine, inter præcipites ſalebras ad Alpium radices imminentes, Invictiſſimus Carolus Emanuel I, ſe digna ſemper agitans animo, ut totius Europæ commodo induſtriam ſuam, & magnanimitatem probaret, ferro, & igne ſaxorum duritiem vinci juſſit, & novam ſanè, nec ante excogitatam viam, commeantibus facilem, æquaramque conſterni. Ad hæc mediis Pontibus junxit ripas, arcus, & parietes, quos locus patiebatur erexit; adeo ut Alpes maritimæ obſtructiores, quotidianis itineribus teran-

terantur, commeentque faciliùs è Mari in Pedemontium institores. Quo opere egregio sanè, & singulari & magnas illas Ægyptiorum, Romanorumque substrictam æmulari visus est, suisque obstrictam laudibus demeruit posteritatem, in quam plenissimæ utilitatis fructus hodieque redundat.

Perfectâ viâ, ne tantæ rei auctorem posteritas obliviosa nesciret, ex alia fluminis parte sub Saurgii Propugnaculo, loco solis oculis pervio, quod subscribo, monimentum excisum est.


Ejus monimentum.

PVBL. CISMONT. AC CITRAMONT. DITIONIS BONO
ITALIÆ AC TOTIVS ORBIS COMMODO,
INVIIS VTRINQVE ALPIVM MARITIM. PRÆCIPITIIS
FERRO FLAMMAQVE PRÆCISIS,
D. CAROLVS EMANVEL IIII. SABAVD. DVX XI. P.P.P.P.
PACE BELLOQVE FÆLICISS.
PROPRIO MOTV, PROPRIO SVMPTV, PROPR. INDVSTRIA,
HANC VIAM BASILICAM PERFECIT.

Verùm quantopere sibi omnium animos optimus Princeps eo beneficio devinxerit, disticha plura, & Epigrammata testantur ab ingeniosis hominibus elaborata, inter quæ hoc maximè probo ab Equite Guichenonio, Regiæ Sabaudiæ familiæ, nostræ ætatis Historiographo, recensitum:

Quem tibi parturiunt Montes Silicesque Triumphum
(Ausis qui solus major es ipse tuis)
Te duce Nicænam via dum proclivis ad Urbem,
Quæ modo vix avibus prævia, præbet iter,
Postera cognoscet, præsens mirabitur ætas,
Imperio montes succubuisse tuo.




B
D
A
F
G
C
H
I
L
VARUS. FL.
VILLARIUM OPPIDŪ
A. Palatium D. Comitis
B. Ecclesia Parochialis S. Ioannis Baptistæ.
C. Ecclesia Parochialis: S. Mariæ.
D. Antiqui Oppidi Vestigia.
E. Sacellum S. Saluatoris
F. Sacellum S.t Brigitæ.
G. Templum B.V. Annunciatæ.
H. Sacellum S. Rochi.
I. Sacellum S. Petronillę.
L. Sacellum S. Claudij.
67.

DESCRIPTIO OPPIDI VILLARII IN NICÆANO COMITATU.



Uamplura occurrunt in Sabaudica Ditione Oppida nomen Villarii præferentia. Horum unum, à nobis minimè omittendum, habet ea Nicienſis Diœceſis portio, quam ad occidentem Solem alluit Varus amnis, atque ubi quondam Boleani Toparchæ, Grimaldi cognomento, Genuâ oriundi, poſt contractas inter Andaronem, ex iis unum, atque Aſtrugam Gulielmi Roſtagni Filiam, atque Toparchiæ Heredem, nuptias, latè dominabantur. Andaronis ex Barnaba Filio Nepos Joannes de Grimaldis, Bolei Baro, is eſt, qui à Carolo Tertio Dyrrachino, Siculorum Rege, ac Provincialium Comite electus Phocenſis Provinciæ, contra factionem Andegavenſium, citrà Cianam fluvium Seneſcallus, potiſſima cauſa fuit, ut Nicæa Civitas, ejusque, nec non Intemelienſis Comitatus, Lantuſcæ, Pugetti, Thenearum, S. Stephani, Montium, atque Sturanæ Valles, oppidis, pagisque refertiſſimæ, Amedeum VII. quem dicunt Rubeum, Sabaudiæ Comitem, ejusque Regios ſucceſſores, Anno M. CCC. LXXXVIII. fauſtis ominibus ultrò agnoſcerent, intemeratamque jurarent fidelitatem. Inter Joannis poſteros, Jacobus, Honoratus I. Honoratus II. & Annibal Bolei Barones, qui Titulus in Comitatum poſteà fuit, annuente Principe, commutatus, generali Nicienſis Civitatis, ab eâque dependentium regionum regimini pro Sabaudis, ſive Comitibus ſive Ducibus præfuerunt: eorundem verò poſtremi tres inter Torquatos Sabaudici Ordinis Equites ſunt adlecti, ditionemque eorum propriam novis acceſſionibus valde auxerunt; quoaduſque Annibal, quem ultimo loco nominavi, delatus perduellionis erga ſupremum Principem reus, compertusque ſecreta cum hoſtibus contra Patriam conſilia iniiſſe, in Turretarum de Reveſto, quam ille munierat, Arce captus, extremoque ſupplicio juxta Nicienſis Senatûs votum, Caroli Emanuelis Primi Sabaudiæ Ducis juſſu mulctatus, dominia ipſa cum vita perdidit, Anno M. D. C. XXI.

Quomodo Nicienſis & Intemelienſis Comitatus aliaque Oppida ad Duces Sabaudiæ devenerunt.

Ab eo tempore Villarii, Bairoliique, duorum circiter mille paſſuum ſpatio inde diſſiti, Toparchia in Ludovicum Solarium Doliani Marchionem, atque Morettæ Comitem, qui tunc ejusdem Nicienſis Urbis gubernaculo præſidebat, ab eodem Duce translatum eſt: tenueruntque ejus poſteri, quouſque ab eisdem emptione acquiſivit poſſidetque, dum hæc ſcribimus, ſub Comitatûs titulo, Jo. Michaël Vergnanus Nobilis Cherienſis, cujus familia, quamvis ab antiquo ſplendore videatur nonnihil poſtremis hiſce ſæculis excidiſſe, perhibetur tamen Vallem de Vergnanis, quatuor milliaribus Cherio diſſitam, olim poſſediſſe, habuiſſeque viros armis exercitos, qui à Monferratenſi Marchione Clavaſii, nondum Sabaudo Duci adjudicati, cuſtodiæ, aliisque locis præficerentur.

Villarii Dominus.

Cæterum loco adeo amœno atque ſalubri, ſupra præaltam memorati Vari fluvii crepidinem Villarium ſitum eſt, orienti videlicet, meridianoque Soli expoſitum, atque à Circii, & Boteæ flatibus, altiſſimorum Montium obice circumſeptum, commodèque adeò, & jucundè aquis interlabentibus irrigatur, ut ii, quorum memini, Comites Boleani hoc unum inter duo ſupra viginti Oppida elegerint, in quo ſumptuoſiſſimum ſibi, maximèque ſpectandum Palatium ædificarent, ubi amplè non minùs, quàm magnificè habitarent.

Villarii ſitus.

VILLARII DESCRIPTIO.

Palatii Comitum descriptio. Ingressos ad Orientem eleganter fastigiatum vestibulum excipit, indè quadrilongâ facie ingens atrium, longo septum ordine columnarum, cum continuata ad latus austrinum porticu, in Sacellum intimum desinente, ubi ad aram Missæ Sacrificio destinatam eminet Icon elaboratissima, percelebris illius ante duo sæcula in Nicæno tractu Pictoris Ludovici Brea laudatum opus. Ponè ad austrum visuntur altè fornicatæ, sibique invicem succedentes aulæ, cubicula, cœnacula, officinæ. Inde verò per amplos, ex lapide Lavaniensi sectos, scalarum gradus devenitur in superiora totius ædificii complementa, ubi lustratâ prælongâ, quæ primò occurrit Pinacothecâ, in qua, licet picturam diversimodè ludentem super incrustatis parietibus intueri, datur ingressus in nobiliores, atque jugi habitationi addictas ædes, quæ alias gazâ pretiosissimâ, omnisque generis supellectile ornabantur. Tota verò Palatii hujusce moles, cui memoratus Jo. Michaël Vergnanus modernus Comes supremam imposuit manum, longo fenestrarum ordine conspicua, Oppido ipsi imminet, habetque ad Ortum priscarum turrium, solo tenus dejectarum, rudera, quæ quondam Castelli suppleviſſe videntur vices, in quod, premente hostili incursione, sese reciperent oppidani.

Eminentiore, supra juxta positum Montem, loco, visuntur alterius multò antiquioris Castelli vestigia, inhabitari maturiùs cœpti, quàm infernè positum Villarium habitaretur. *Templa.* Superest ibidem adhuc integra, quam delineatam voluimus, Ecclesia vetus Parochialis, D. Joanni Baptistæ Præcursori sacra, in qua Sacerdos, cui sub Prioratûs titulo committuntur Parochialia administranda in Beneficii, ut dicunt, sui possessionem, auspicatò, ex vetere instituto induci solet. Aliud intrà inferius Oppidum, Deiparæ Virgini nuncupatum, Templum posteritas excitavit, ut Oppidanis quotidianâ Ecclesiasticorum Sacramentorum administratione commodiùs, citiùsque provideretur.

Agri proventus. Ager Bairolii (Massoinarum, Todoni, Malaucenæ, Thoetique Oppidorum Agro conterminus) ea gignere fertur omnia, quæ noscuntur incolarum victui necessaria; vinum imprimis, oleum, triticum, legumina, olera, poma, nuces, amygdalas, pyra, ficus, ac, ut uno verbo dicam fructuum saporis exquisitissimi genus omne: nec desunt peramœna aquarum perennium, totam Oppidi viciniam affluenter alluentium beneficio, prata, & viridaria. *Pascua.* Editiores insuper collium vertices suppeditant affatim alendo gregi pecorino ac bubulo læta pascua: quam ob rem, non lactis lacticiniorumque modò, verùm etiam lanæ copia inde provenit non spernenda, *Lanæ copia.* ex qua fieri assolet grossioris in rusticorum usum panni textura; possetque accedente industriâ, proventus copiosioris pretiosiorisque facturæ lanificium introduci. Eæ porro quibus solum abundat, merces, postquam incolarum necessitatibus suffecerunt, ad exteros distrahuntur; desinente præsertim Septembri Mense, quo tempore S. Michaëlis nundinæ solent hoc in Oppido celebrari.

Viri hujus Oppidi litteris clari. At verò, non fructuum modò ferax, verùm etiam præstantium ingeniorum Villarium excellit ubertate. Plures enim inde prodiêre litteris, aliisque bonis artibus undequàque conspicui viri, qui eam Patriam retroactis temporibus ornarunt maximè, & ornant adhuc. Hos inter non omittendi Isnardus, & Ludovicus de Porcelletis, quorum hic Doctorali laureâ insignis, primariusque in Taurinensi Lector Academia, jus Civile est ibidem cum summo Auditorum plausu per aliquot annos interpretatus: uterque verò Apollineis etiam, tam Latini, quàm aliorum idiomatum addictus studiis, non pauca reliquit, partim typis cusa, partim in Regia Bibliotheca extantia, manu descripta, metri floridissimi, atque ornatissimi monumenta; quorum nonnulla Franciscus Augustinus ab Ecclesia Præsul Salutiensis, in Scriptorum Dominii Sabaudici serie recensuit. Inde oriundus etiam Joannes Baptista de Borrellis Juris utriusque consultissimus, ex causarum patrono Taurinensis Urbis in prima Instantia Judex; nequid dicam de Jacobo itidem de Borrellis ejusdem Patre, primariò, maximæque apud cunctos existimationis, penes Sabaudum Ducem Principem suum Chirurgo: quam eamdem artem in Electorali Bavarorum Ducis Aulâ professus est, cum experientiæ laude, Michaël Leontius, de cujus similiter natalibus Villariensis Patria gloriatur.

Juris dicundi ratio. Quod ad jurisdictionem spectat, in Spiritualibus Niciensi, ut initio attigi, Antistiti paret: in temporalibus verò, præter Bajulum, cujus est de minimis cognoscere, jus dicit ordinarius primæ & secundæ cognitionis Judex, à Loci Domino constitutus, à cujus placitis ad supremum Niciensis Senatûs Tribunal admittitur appellatio.



DESCRIPTIO MARCHIONATUS MONTISFERRATI.



Ons-Ferratus inter Marchias Italiæ antiquissimus numeratur. Origo ejus Principum juxta quosdam fabularum narratores deducitur à quodam Alerano Saxone, qui, ut ajunt, filiam Othonis Imperatoris rapuit, ex qua multos habuit filios quos Imperator diversis possessionibus impertivit, nihil hac fabulâ absurdius. Itaque, illâ rejectâ satis erit animadvertere quemdam *Guilelmum* anno DCCCC. LXXX. Marchionem Montisferrati fuisse & illum multos successores legitimos habuisse usque ad annum M. CCC. V. quo tempore *Joannes*, cognomine Justus tertius decimus Montisferrati Marchio, qui nullos susceperat liberos ab uxore Margaritâ Sabaudâ, Amedei magni filiâ, obiit. Eo dificiente Marchionatus Montisferrati aliud dominium subiit, & in domum *Paleologorum* Constantinopolis Imperatorum devenit. *Iolanda* à Monteferrato, filia *Joannis* cognomine *Justi*, Imperatori *Andronico* cognomine *Seni*, nupserat, quorum filius *Theodorus Commenes Paleologus* materno jure matrueli *Joanni* successit anno M. CCC. VI. Argentinam Spinolam uxorem duxit ex quâ duos tantum liberos reliquit, scilicet *Joannem* II. *Paleologum* illius successorem & *Iolandam*, quam cum *Aimundo* Comite Sabaudiæ matrimonio conjunxit in Castello Casellano primâ die mensis Maji anno M. CCC. XXX. pro sua dote in dominium habuit *Lancium* cum quibusdam aliis locis, & ratum ac stipulatum fuit, *Marchionibus absque maribus dificientibus, successionem Marchionatûs ad Iolandam aut suos posteros ituram.* Ex claro *Paleologorum* genere tredecim principes successivè fuerunt Montisferrati usque ad *Joannem Georgium* qui innuptus vitâ abiit pridie Kal. Maii M. D. XXXIII.

Regnante Amedeo VIII. primo Sabaudiæ Duce, *Joannes Jacobus* Paleologus Marchio Montisferrati & uxoris hujusce Ducis frater, dum bellum inconsultè Duci Mediolanensi & Duci Sabaudiæ indixisset, atq; suis Provinciis prorsùs spoliatus Venetias divertere coactus esset; in his angustiis opem & auxilium Ducis *Amedei* imploravit quem Thononum adiit comitante filio Joanne *Paleologo* qui ipsi erat successurus, eo loco cum Duci Sabaudiæ icit fœdus quod ratum fuit die XIII. Februarii M. CCCC. XXXII. Dux Sabaudiæ promittebat se Ducem Mediolanensem inducturum, ad pacem cum Marchione faciendam. Hic verò pollicebatur, pace factâ, Civitates & Castella Chivasii, Septimi, Vulpiani, Trini, Livurni & omnia quæ citra padum erant sui juris, donatione irrevocabili Duci Sabaudiæ suisque successoribus cessurum; propter quod Dux pollicitus est easdam civitates restituturum *Joanni* filio primogenito Marchionis pro illo & suis successoribus, ea conditione ut apud Duces Sabaudiæ clientelam profiterentur; præterea Dux despondebat finito bello, se Marchioni omnia funda inter padum & Tanarum sita redditurum eâ lege ut Marchio horum fundorum simul & illorum quæ à Duce mediolanensi reciperet, perpetuam possessionem cum juramento Duce promitteret.

Marchio iterum concedebat Duci & ejus successoribus omnes terras ultra Tanarum sitas, eodem modo ac illas citra Padum, id est, ut ejus filio Joanni tanquam prædium beneficiarium eas redderet; fuit quoque sancitum Ducem in proprio *Albam Pompeiam*, *Dianium*que conservaturum, & alias urbes trans Tanarum per totam vitam Marchionis *Joannis Jacobi*, quas tamen post obitum ejus patris ipse possideret eadem conditione ac supra; Marchionem, suos subditos & clientes unicuique ad principatum Sabaudiæ provecto fidem & obsequium de novo præstituros, tandem belli causa à Marchionibus Montisferrati adversus Duces Sabaudiæ suscepti, clientes & civitates hujusce Marchiatûs Ducibus subventuros.

Dux Amedeus quod ad se spectabat pactum fideliter servavit, à Duce Mediolanensi inducias impetravit, tandem pace Ferrariæ datâ, edictum fuit omnia ultro citroque esse restituenda & Duxi Sabaudiæ verba supplicia facienda ut Marchioni, quod illius erat, redderet.

Dux Amedeus fœderi cum Marchione pacto stetit. Hic verò illi assentire noluit, & simulans sevi coactum fuisse, Papam Eugenium con-

convenit, ut liberaretur à clausulis hujus pacti, quasi esset inauditum principem in extremis positum angustiis ut Marchionem, sub potestatem alterius se subjicere ad majorem vitandam vexationem, addè quod absque illâ viâ quâ ipse Marchio usus est, penitùs suis Regnis exutus fuisset.

Justitia & vis pro Duce pugnabant, qui fuit possessor dum Marchio apud diversos potentes omni ope atque opera eniteretur ut suas Provincias à possessione alterius distraheret. Interea Amedeus VIII. summum imperium filio *Ludovico* tradidit & in urbem *Ripaliæ* se recipit. Hic Princeps à Duce Mediolanensi quæsitus, libenter assensit hoc dissidium esse dirimendum ope arbitrorum, qui Taurini convocati, pronuntiarunt Marchionem Montisferrati Duci Amedeo cessurum omnia funda Civitates & Castella, sicut stipulatum fuit pacto Thononi dato, eodemque tempore Principem Pedemontanum nomine Ducis sui patris, filio primogenito Marchionis hæc omnia redditurum ea conditione ut apud Ducem homagium profiteretur, exceptis Chivasio, Sestimo, Ozegna, Ozelio, Brandisio, & dominio Abbatiæ Sancti Benigni quæ penes forent Ducem in sumtuum bellicorum compensationem; postremùm verò Principem, omnes alias Civitates aut arces inter Padum & Tanarum redditurum. Hoc judicium utrinque ratum ac religiose servatum fuit.

Sic una pars Montisferrati in dominium Ducum Sabaudiæ pervenit, altera apud illos facta fuit prædium clientelaris juris, tandem deficientibus maribus ad postremam jus expectativum habebant. Quod jus invaluit, matrimoniis *Caroli* Ducis Sabaudiæ cum Blanchâ à *Monteferrato*, filiâ Marchionis *Guilelmi* VII. quæ pro sua Dote LXXX. millia Ducatuum aureorum erat acceptura, dum Bonifacius frater liberos haberet, sin aliter, omnes Civitates, Castella & alia prædia citra Padum sita, erat possessura, ut fertur in nuptiali Contractu, quâ dote numquam solutâ Domus Sabaudiæ multo jure contendit Montemferratum esse suum.

Cum *Joannes Georgius* Montisferrati Marchio obiit, Dux Carolus, cognomine bonus fœderatus erat cum Imperatore Carolo V. qui cum Gallo bellum gerebat, quod misero Duci fuit exitio. Imperator hunc Marchionatum sequestro dedit, arces munitissimas præsidio imperiali munivit: quia in rerum decursu tunc temporis, illius multum referebat Gallis contraire ne totum illum occuparent, & quia jura Competitorum, nempè Marchionis Salutiarum, Ducis Sabaudiæ, & novi Ducis Mantuani erant ponderanda. Dux *Carolus* cognomine *Bonus* contendebat suum jus in totum Montemferratum ex Matrimonio cum Iolandâ contracto, & quoad aliquot partes ex pacto Thononensi & ex Contractu Blanchæ procedere; Fredericus Gonzaga ab Imperatore ad supremam dignitatem Ducis Mantuanensis modo provectus, in uxorem duxerat Marguaritam Paleologam natam Guilelmi VII, Marchionis Montisferrati, & sororem penultimi Marchionis, cui ejus Avunculus successerat, & solum tres annos regnarat, Imperator causis politicis quæ æquo ac grato animo adversabantur Duci Mantuanensi Montemferratum adjudicavit, salvo Ducum Sabaudiæ jure, ad ultimum judicium impetrandum, Marchioni tantum adscribebat LXXX. millia Ducatuum aureorum supra dicta pro dote Blanchæ à Monteferrato. Tempore servire, & contestando denuntiare necesse fuit.

Septem ex clarissima Gonzagarum stirpe fuerunt Montisferrati Marchiones: ex quibus, quintus, scilicet, Joannes Franciscus, Marguaritam à Sabaudiâ, filiam primogenitam *Caroli Emanuelis*, in Matrimonium duxerat, ex quâ unicâ tantum filia, nomine Maria illi superfuit, quæ hæreditatem Montisferrati sine ullâ Controversia erat aditura, & in quam omnia jura Ducum Sabaudiæ & Mantuæ in hunc Marchionatum, coalescebant. Ferdinandus Gonzaga Cardinalis vestem purpuream deposuit ut suo fratri succederet, huic *Vincentius* II. natu minor successit. Mors Ducis *Joannis Francisci* inter utrumque Ducem Sabaudiæ & Mantuæ bellum excitarat, quorum prior jus suæ domûs magni faciens contendebat suæ neptis tutelam sibi esse deferendam. Pactum Astæ editum ad aliquod tempus his dissidiis finem imposuit: bellum deindè renovatum fœderibus Matriti & Papiæ fuit finitum, tandem Dux Vincentius absque liberis mortem subiit, & postquam Maria, clandestinis callidisque Gallorum Consiliis, nupta fuisset cum suo affine *Carolo Nivernensi*, pronepote illius Frederici primi Mantuani Ducis de quo jam supra fuit mentio, omnia jura Domus Mantuanæ ad illum redierant. Ejus Pater Carolus Dux Nivernensis & Mantuani, in possessionem hæreditatis profectus est, auspiciis Galliæ quæ cum Imperatore Ferdinando II. bellabat. Hispania, Venetiarum Respublica, Duces Mutinæ & Parmæ, simul & omnis Italia hujus belli fuerunt participes, quod Mazarinus prudenter finivit, anno M. DC. XXXI. foedere Clarasci edito, quo Dux Mantuæ Duci Sabaudiæ circiter LXXV. loca in Marchionatu Montisferrati concessit, quæ possideret vice fructus annui quindecim millium nummorum aureorum, singulis nummis viginti octo florinos æstimatis; quidquid de his locis dicitur intellegi debet de oppidis, vicis, Castellis simul & Pagis quorum nomina hic nimium occuparent locum, & quæ denominantur in conditione secreta hujus conventi. Successores Caroli, id est Nepos *Carolus* III. & pronepos *Ferdinandus Carolus*, Marchionatus Montisferrati non absque turbâ potiti fuerunt, causâ Casalis sancti Evasii: tandem in penultimo bello, pace Ultrajectinâ composito, Dux Ferdinandus Carolus cum partes utriusque Regis suscepisset, & partes foederatorum, in Italiâ factæ fuissent superiores, hic princeps ad judicium Germanicum citatus omnibus suis Regnis spoliatus fuit & anno M. DCC. VIII. velut in exilio

obiit

obiit, absque liberis ex duobus uxoribus, scilicet Elisabeta à Guastella & N. Delbœuf. Imperator, qui ejus dominia invaserat, hactenus sibi reservavit Ducatum Mantuanum quem multi contendunt, & pacto inter suam Majestatem Imperialem, & suam Majestatem Victorem Amedeum Sardaniæ Regem, Monsferratus, parvâ parte excepta, in dominium Domus Sabaudiæ devenit, quam hæc possidet invitis intercessionibus Ducis Lotharingiæ, qui ex Capite Eleonoræ-Mariæ Filiæ Caroli II., & Mariæ Viduæ Regis Poloniæ & uxoris Caroli V. Ducis Lotharingiæ ad successionem pro parte Marchionatûs Montisferrati contendit.


Hæc nobis erant dicenda ad demonstrandum quomodo hæc Provincia Dominium Domus Sabaudiæ subiit, superest exponendum aliquid de ejus situ, arcibus, qualitatibus.

Leander Albertus, Magnus Etymologiarum inquisitor, confitetur se nullam hujus nominis Montisferrati satis congruentem invenisse, suam deinde aperit sententiam; salvo inquit judicio alieno, *credo che* Monferrato *queste Paese della* feracita *de piccioli colli che quivi si ritrovano*, postea dicit quomodo hoc nomen desumitur *à feracita*, in Principio inquit, dicebatur *Monferrace* & postea mutando C. in T. *fosse addimandato Monferrato.*

Hæc Regio, inquit ille, nihil aliud est quam continui perpetuique montes jucundi ac valles feraces quæ omnia ad vitam necessaria producunt, propter quod incolis abundant, montes ex unâ parte Pado clauduntur, & ex altera Tanaro. Quo magis ad Centrum Regionis ex his duobus fluminibus quis se admovet, eo amoeniores & dulciores agros invenit.


Ejus Longitudo & Latitudo quæ ubique non sunt æquales precisè determinari non possunt, potest tamen dici omnem hunc Marchionatum continere vigenti quatuor Leucas à Septentrione ad meridiem, & duodecim ab oriente ad occidentem: versùs orientem respicit Ducatuum Mediolanensem, ad Septentrionem Vercellarum Regionem, ad occidentem Pedemontium, & ad meridiem Remp: Genuensem. Statielli olim hanc Provinciam habitarunt. Ducentæ urbes & oppida in hoc Marchionatu numerantur atque inter eas tres Episcopales. In quatuor Dominia dividetur nempe Casalis, Trini, Albæ & Aquarum-Statiellarum, cum Marchionatu Spigni, quem nuper Sardiniæ Rex acquisivit, præter quatuor illas Civitates, ex quibus nomina horum Territorium deducuntur, aliæ inveniuntur quorum nomina vulgari lingua referam *Montecalvo*, *Livorno*, *Cortimiglia*, *Dogliano*, *Pomaro*, *San-Damiano*, *Nizza-Della-Paglia*, *S. Martino.*





CASAL dit de S.t VAS.

A LA HAYE chez R.C. ALBERTS.



CASAL
Capitale du Monfer-
-rat, sa Citadelle est
la Meilleure d'Italie
Elle a souffert plus-
eurs sieges et a esté la
Pierre d'Achoppement
des Espagnols en Italie
le Duc de Mantoue qui y
avoit Garnison depuis l'an 1652
l'a Cede au Roy le 30 Septemb. 1681
et Repris par les Alliés 1695.

DESCRIPTIO
CASALIS
MONTISFERRATI
MARCHIONATUS
URBIS PRIMARIÆ.



PLura reperiuntur Loca in Longobardiæ ditionibus, quibus *Caſalis* nomen inditum eſt, verùm cognomine quodam diſtinguuntur. Tria præſertim conſpicua ſunt, urbs ſcilicet de quâ nunc agitur & altera in Lodenſi Tractu non longè ab Addâ fluvio, quam Caſale-Puſturlengum dicunt; tertia vero in Cremonenſi agro jacet, cognominata Caſale Majus, ad Padum 8. aut circiter Milliar. à Cremonâ diſtans.

Nomen. Caſale illud, de quo in hac deſcriptione agimus, totius Montisferrati Caput eſt, atque ex Divi cujuſdam, Urbis patroni nomine, *Caſale S. Evaſii* cognominatur, gallicè *Caſal de S. Vas.* Ad Padum ſita urbs 18. milliar. à Verrucâ verſùs orientem diſtat, 10. verò à Vercellis

Antiquitas. verſùs auſtrum. Scriptores quidam reperiuntur qui, cum illo qui Ferrarii Lexicon auxit, ſentiunt eam urbem ab Antiquis *Bondicomagum*, *Bodincomagum*, vel etiam *Bondicomum* dictam fuiſſe; ut patet inſcriptione in Monteferrato repertâ

T. LOLLIVS. T. LOLLII. MASCVLVS
IIII. VIR BONDICOMENSIS.

Plinio ſi credamus nomen hoc à flumine acceperat, ad cujus oram extructa fuerat, quod Ligures * *Bodincum* nuncupabantur, hoc eſt, ſine fundo. Verbis illius ſcriptoris quæ inferiùs referuntur, conjicitur eam urbem, poſteà *Induſtriæ* nomen ſortitam eſſe.

Exiguum *Caſale* oppidum fuit, dum Occimianum habitarunt Montisferrati Marchiones; *Caſtrum.* at ſtructo in Caſali Caſtro à Guillelmo Paleologo; urbis formam nomenque *Caſale* mereri capit. Caſtrum illud, etiam nunc non inutile, quatuor Turribus ad Angulos conſtructis deffenditur. Pro cortinis propugnacula poſthac conſtructa ſunt; foſſâque, porticu & declivitate Caſtrum, veluti tota urbs, cingitur.

Cum, periclitantibus rebus ſuis, Vincentio Gonzagæ, Mantuæ Duci videretur, quanti momenti urbs illa futura eſſet, nihil non molitus eſt quo eam ab injuriis Hiſpanorum, Sabaudorum, Francorumque tutam redderet; *Munitur.* Hi enim ab aliquot annis nullum non moverant lapidem ut Italiæ rebus ſe immiſcerent. Itaque verſùs urbis auſtrum arcem, ex muniendi artis regulis, conſtruere fecit, quæ totius Italiæ meritò validiſſima haberetur. Sex lateribus conſtat, propugnaculiſque tum ad Angulos tum pro Portis, tantæ magnitudinis, ut, occupato à Francis Caſali, propugnacula illa ita diviſerunt ut geminarentur, cum exterius ab interno foſſâ non minore ſejungeretur, munitum præterea cæſuris utiliſſimis; ita ut ante annum M. DC. XCV. arx illa cæteris totius Europæ præſtare diceretur.

Nec urbi deſunt munitiones validiſſimæ; cum Hiſpanorum viribus ſæpe ſæpius reſtiterit, neque ipſam unquam Franci niſi dolis & aſtu occupaverint. De circumjacentium agrorum amœnitate ſat dictum, ſi lectori agros illos totius Montisferrati amoeniſſimos jactemus. Urbem Sixtus IV. Pontifex Maximus Anno M. CCCC. LXXIV. rogante Guillelmo VII. illo ipſo Montisferrati Marchione à quo Caſtrum Caſalis ædificatum retulimus, quique Urbem validis mœnibus cinxit, Epiſcopali ſede decoravit. Primus omnium Epiſcopus fuit Ber-

* *Ligurum linguâ amnem ipſô* Bodinnum *cum vocari Metrodorus Scepſius dicit, quod ſignificet fundo carentem; cui argumento adeſt oppidum juxta*, Induſtria, *vetuſto nomine* Bodincomagum *ubi præcipua altitudo incipit.* Plinius Cap. XVI.

Bernardinus Romanus Casalensis cujusdam civis Filius; huic multi successere nobili genere nati, inter quos eminet *Joannes Georgius Paleologus*, qui dignitati Episcopali renunciavit ut fratris filio sine liberis mortuo succederet, ipseque interiit, cum paulo post ducturus fuisset *Juliam* Frederici Aragoniæ regis filiam. Otto Cardinalis atque Gregorii IX. Pontificis Legatus in Britanniam Casali etiam oriundus erat. Quanquam armis magis quam litteris dediti sint, Docti quidam Casalenses laudibus scriptorum efferuntur; inter illos non prætermittendum conseo Georgium Cacatossicum ex ordine Dominicanorum, quem Theologum, Philosophum atque in Orientalibus linguis eruditissimum jactant. Inter nobiles primum locum occupant S. Georgii & Biandratæ comites. Quid referam Templa Monasteriaque; illa magnificentissima, hæc omnium fermè ordinum reperiuntur? Lectori acceptiorem arbitror futuram illius urbis Historiam, cujus nomen apud ævi nostri scriptores celebratur tum propter irritos Hispanorum Francorumve conatus, qui nihil non tentarunt quo urbem illam usurparent.

Anno M. DC. XXVIII. Sabaudiæ Dux, Mantuani hostis, à quo Montisferrati Marchionatum repetebat, fœdus cum Hispanis iniit, ex cujus conditionibus Gonsalesius Cordubensis, cui nihil antiquius erat quam celebri quodam facinore Mediolanensis Præfecturæ continuationem mereri, Casale oppugnare tenebatur, quod præsidio IV. M. peditum quadringentorumque equitum Mantuanus muniverat. Franciæ Rex Mantuani fœderatus, ne veriùs dicam, Richelius, cum Regiæ Celsitudinis Sabaudiæ fœdus cum Hispano audivisset, omnibus Francorum militum Præfectis, qui tunc in Pedemontio degebant, jussit Casale intrarent, præterea Guronium quemdam Urbis totiusque Præsidii Præfectum Rex dixit. Hic civium animos ita sibi conciliavit ut extrema pati potiùs quam hostium jugo se submittere statuerent. Nec difficile promissis steterunt; urbem enim *Gonsalesius* tam imperitè obsedit, ut commeatus auxiliumque intromittere hostibus liceret. Attamen cum audivit Regem Segusianas Angustias superasse, accuratiùs urbem cinxit, ipsamque ad eam extremitatem redegit ut equos ceterasque res, quas edules improba fames facit, comederent. Quid plura! eo desperationis res devenerant ut deditionem facere cogerentur cum Rex, superatis illis Angustiis, Sabaudiæ Ducem ut cum ipso pasciseeretur impulit, quo Pedemontium servaret, eâ lege, ut liberum ad auxilium Casalensibus ferendum Francis transitum Dux præberet, undè factum ut exeunte Martio Mense Anni M. DC. XXIX. Gonsalesius obsidionem solveret.

Proximo anno eam urbem, Duce Spinolâ, Hispani iterum oppugnârunt; at Præsidio præerat Thorasius qui, præstitis jam virtutis & prudentiæ speciminibus, Casale defendendo, Franciæ Marescalli dignitatem assequi sperabat; è contra Spinola, ævi sui prudentissimus peritissimusque dux habebatur; urbemque intra sex Hebdomadas, expugnare sibi pollicebatur. Illam accessit Hispanorum Exercitus X. Kal. Junii An. M. DC. XXX. Munitionibus cæterisque operibus curiosè examinatis, Thorasius quâ ruerant refici novaque ubi deerant opera construi jusserat; duoque à fundamentis propugnacula maximâ cum diligentiâ absolvit; ductâque ab urbe ad Arcem communicationis fossâ, urbem hinc & indè ab arce ad portam castri accuratè texit tutamque ab hostibus reddidit; ac ne quis operi manum detrectaret, Dux ipse Thorasius sportâ terram detulit, cujus exemplum lubentes secuti sunt cæteri militum Præfecti, ipsique milites ac cives, sacras manus etiam operi præbuerunt sacerdotes præeunte Episcopo. Quid enim vetaret sacerdotes ligone enseque uti præsertim cum de libertate vindicandâ agitur?

Nec omnia illius obsidii facinora referam; Thorasius enim Præsidiariique milites ejus tam fortiter se gesserunt, ut de illis Spinola nunquam nisi cum maximis laudibus loqueretur. Tamdiu duravit illa obsidio ut importunam brevi in urbe experirentur pecuniæ penuriam, neque Thorasio defuit tanto incommodo remedium, fuso enim Tormento bellico quatuor monetarum species conflari jussit ad summam C. & X. M. librarum, quas post obsidium solvere promisit argentarius quidam.

Monmorentius, Schombergius, Effiatus unà cum *de la Force* jam Pedemontium intraverant opem obsessis ferentes; Mazarinusque huc & illuc currebat ut pacem componeret. Sabaudiæ Dux Amadeus-Victor I. patri successerat, nihilque non moliebatur ut auxilium retardaret, hinc strages apud Carinianum accepta cum Francos à Pado arcere tentavisset. Denique Mazarinus tantâ solertiâ tractavit ut Exercituum Præfectos ad inducias componendas induxerit. Hac conventione solvitur Casalis obsidio, statutum enim fuerat Francos milites urbe cessuros in arcem, Hispanosque, quibus urbs castrumque committerentur, illis commeatus præbituros eâ lege ut Thorasius his arcem redderet, si fortè auxilium ante Kalendas Novemb. non acciperet. Pridie Non. Sept. ea sancita, rataque conventio fuerat.

Interea pax Francos inter & Sabaudos componitur, atque in auxilium Casalensis arcis progreditur Schombergius, cum expedito exercitu. Eam Sanctæ Crucis Marchio, Spinolæ successor, fossa & aggere sex milliar. longo cinxerat; hunc perrumpere francorum exercitus tentaturus erat, nisi Mazarinus advolasset clamando, Pax! Pax! Reipsâ S. Crucis Marchio stolidè ignaviterque Casali & quibusdam aliis locis cedere pollicitus fuerat, atque in Mediolanensem agrum sese quam primùm recipere; sic iterum obsidione solutâ in Mantuani fidem reddit Casale.


Mortuis Ducibus *Victore Amadeo I.*, & *F. Hyacintho*, dum adhuc minor annis esset *Carolus-*

rolus-Emanuel bellum civile oritur in Pedemontio: hinc altera Casalis obsidio. Franci Regiæ matri ideo ferebant opem quod Principum, ejus hostium, partes Hispani suscepissent, vel quia ipsis inconsultis nihil in Italiâ suscipi volebant Franci; horum igitur arx Casalis evadit. Leganesius tum Mediolani Præfectus urbem illam oppugnare decrevit, quanquam Principum pluris interesset Augustam Taurinorum occupare; verùm cum pacto statutum esset urbes vi captas Regis Hispaniæ futuras, non mirum est Leganesium regiis commodis inservire; tamen multis operibus validissimis urbem Franci ita muniverant, ut omnibus, excepto uno Leganesio inexpugnabilis videretur; itaque aggerem contra urbem aperuit ipso Ramorum die anni M. DC. XL. Duce Carolo Gattâ Equitum Neapolitanorum Præfecto, cui in Castris erant duodecim perditum quinque Equitum millia. Harcurtio non ultrà quatuor millia peditum, Equitum mille cum quingentis erant, præter duodecim Tormenta, at accepto II. M. peditum, M. & D. Equitum auxilio ducibus Villano & Pianezzo, urbi opem ferre Francus ille exercituum dux decrevit.

De isto consilio certior factus Leganesius, obsidium solvere noluit, quo illi exercitui obviam iret, certus, ut ita dicam; quod Harcurtius aggerem vallatamque fossam tentare non auderet, præterquam quod à Mauritio Equitum Principis Thomæ præfecto octingentos Equites acceperat. Nec irritæ Francorum minæ fuerunt; Harcurtius enim, rejectis induciarum conditionibus, quas Caffarelius Pontificis Nuncius proposuerat, Casale accessit, acie ad Collem Margaritæ instructâ, Hostiumque Castro comitantibus Turenio, Plesseo-Pralino, Hudancurtio-Motta &c. explorato, III. Kal. Maii signum pugnæ dedit, tantoque impetu Franci in Hostem inrruerunt ut perfractis aggeribus, cæsis fugatisque Hispanis, uno eodemque die obsidium solveretur, urbsque auxilium reciperet. Eâ pugnâ hostes Tormenta octo, sex mortaria bellica, omniaque impedimenta cum ærario amiserunt, tribus militum milibus cæsis vel in Pado mersis, præter captorum ingentem numerum. Franci vero Sabaudique Octingentos circiter milites amisere. Sic de novo malè ceciderunt Hispanorum contra Casale consilia, urbemque Franci ad annum M. DC. LII. retinuerunt, quo in partes suas duplici matrimonio Gonzagas Ferdinandus Cæsar attraxit.

Tunc Mantuanus usus occasione turbarum quibus Francia agitabatur, ut Austriacis faveret, Camillum Gonzagam cum copiis Casale VI. idus Octob. An. M. DC. LII. immisit, ita ut Santangelus Regis legatus, cum Francis militibus in arcem se recipere cogeretur, dum Montispesatii famulus quidam Gonzagæ Castrum cederet. Cum Duce Caracennus convenerat urbem Hispano Præsidio committere, modo reditus Mantuano solverentur.

Anno M. DC. LXXXI. Franci Casale iterùm occupant ex pacto cùm Carolo Ferdinando Mantuæ Duce peracto. Morelio enim Abbati, ipsius apud Francorum Regem Legato, puram Cartam crediderat quâ rex usus est ut Casalis Præfecto juberet urbem illi committere à quo cartam accepturus esset. Hic expedita militum manu stipatus occupatam urbem nomine regis in annum M. DC. XCV. tenuit quo illâ cedere Marchio Crenantii coactus est à Fœderatis V. idus Julii. unâ redditionis conditione statutum ut Arx, quâ constabat urbis illius fama, everteretur; conditionem penitus executi sunt Franci. Urbs dirutis mœnibus Duci restituta, verùm cum imposterùm à fœderatis defecisset ut Regi Francorum adhæreret, ditionibus suis spoliatus in exilium Venetias abiit, ubi interiit: atque pacto cum Cæsare transacto, VI. Idus Novemb. An. M. DCC. III. Casale cum cæteris Montisferrati ditionibus & Alexandriæ, Valentiæ, Lomelinæque Provinciis &c. Sabaudo Duci cessit.



TRINO.

1. Porta di Trino. 2 Misericordia.
3. Corpo di guardia della Piazza.
4. le Monache della Trinità.
5 le Monache dell' Annonciata.
6. le Gratie delli Padri Carmelitani.
7. Porta di Vercelli. 8. Hospitale.
9. San. Lorenzo. 10 Piazza Nuova.
11 S. Giouanni, Disciplinanti.
12. San. Francesco, Riformati.
13. S. Bartholomeo, Chiesa Maggiore.
14. S. Pietro Martire.
15. Sancta Catharina, Domenicani.
16. Cittadella.

Settentrione

Sant' Anna

Strada Per andare a Constansana

Strada per Livorno

San. Grà

Strada per Vercelli

San. Michaele

Ponente

Levante

Molino nuovo

Federico Guazzo il fece.

Pò

Strada Per andare a Torino

Strada per andare al Pò

Mezzo Giorno

Strada Per andare a Casale

DESCRIPTIO URBIS TRINI IN MONTEFERRATO.



TRinum, ſive Tridinum, ante quinque paulò minùs ſæcula, cis flumen Padum altero vix milliario, Vercel- *Conditores.* lenſes dicuntur ædificaſſe. Quamobrem non eſt, quòd, pro aſſerenda ejus antiquitate, quis id eſſe contendat Oppidum, quod ſub nomine Iriæ, ſive Tririæ, Padum inter, atque Apenninum à Plinio collocatur. Spectat amœniſſimam utrin- *Soli fœcunditas.* que planitiem, quæ ad Vercellenſis uſque agri confinia ſeſe pandens, crebris irrigua fontibus, & quà campis, quà pratis, quà paſcuis, quà nemoribus interciſa, iis abundat omnibus, quæ poſſunt eſſe alendis non modò incolis, verùm etiam exteris neceſſaria. Tritici verò, orizæ, carnium, & lacticiniorum ſaporis exquiſitiſſimi tantam ea regio gignit copiam, ut ex ea re fuerit Trinenſium porcellorum proverbio factus locus; utque caſei majoris formæ, qui indè aſportantur multi, Placentinis, atque Parmenſibus non rarò præſtantiâ, ſuavitateque æquiparentur. Nec verò *Incolarum ſolertia.* ſoli ubertas in deſidiam, atque otium incolas abripit: ii enim induſtrii ſunt, atque laborioſi, artificiisque, ac mercaturâ divites; accedente præſertim rerum ſuarum, Padanæ navigationis beneficio per circumpoſitas regiones facili transvectione, advenarumque ultrò, citròque commeantium appulſu quotidiano; eorum præſertim, qui vel ex Liguribus Vercellas, vel ex Taurinis Mediolanum progrediuntur. Civitas, etſi Sede nequaquam ornetur Epiſcopali, ſi adjacentia munimenta excipias, eſt finitimæ Civitati Caſalenſi ambitu ferè par, ſatis elegans, atque oculo apprimè arridens. Civium tamen numerus non reſpondet, eo quod humoris in circumpoſito ſolo nimii redundantia, frequentesque, quibus obſitum eſt, paludes, cæli gignere ſoleant incommoda gravioris, indèque valeant minus incolæ. Eadem vicis ædibusque aptè *Civitatis deſcriptio.* diſpoſitis commodè habitatur, rectisque diſtinguitur ſemitis, atque viis, quarum una Civitatem in duo ſecans, continuatam habet hinc inde porticum, ſtructilibus innixam columnis, longumque tabernarum, atque officinarum ordinem, in quibus, & venalia plura proſtant, & artificia pleraque exercentur. Copioſius verò olim exercebantur, quum Ars etiam typographica maximo hîc in uſu, ac exiſtimatione habebatur, uti fidem faciunt non pauca volumina præteriti ſæculi initio, impenſis Joannis de Ferrariis, alias de Jolitis, Tridini impreſſa.

Interna Civitatis ædificia proteguntur ab externis (quorum, ut infrà dicemus, magna pars ſolo disjecta fuit) partim priſci, partim recentioris operis, munimentis. Validiſſimis enim erat undique cincta mœnibus; uti enim *Munimenta civitatis vetera.* de ea in Monferratenſis belli Hiſtoria ſcripſit Antonius Poſſevinus, murorum non rudis, aut cuicumque irruptioni pervia firmitas erat, ſed ſtagnantis aquæ foſsâ obducebantur; aſſurgebant certo mœnium dimenſu Turres, & propugnacula, non quæ recens induſtria adversùs vires Regias, & diuturnas obſidiones invenit, ſed vetuſtiori ingenio educta, & novâ curâ, quantùm per rem licet, in ſecuritatem interno aggere ſolidata. Circumfuſam haurire paludem fuſtra quis conetur; obſtat ſcaturigo è vicinis collibus inexhauſta, & declivi adjuta. Portarum in ſpeciem magnum robur, quod humilioribus, latioribusque turribus obliquè tegantur; nec, niſi ſublicio ponte adeantur, tortuoſo primùm itinere, mox

mox non uno obice viâ perpeditâ. Hæc de Trinensibus sui temporis, antequam scilicet in Sabaudorum deveniret ea Civitas potestatem, munitionibus Possevinus.

Dominorum successiva mutatio.

Cæterùm, ut, quo jure Trinum Sabaudicæ Coronæ obvenerit, breviter attingamus, res est altiùs repetenda. Cùm, ut dixi, Vercellenses ibi primitus Coloniam statuissent, Monferratensis Marchio, eorundem districtum lacessens indesinenter, Trinum occupavit, tenuitque per tempus aliquod, donec Gulielmus Marchio, adversùs fœderatas Insubriæ Civitates Friderici Primi Imperatoris, dicti Barbarubei, partes secutus, coactus est iisdem Vercellensibus, qui validas in eum copias eduxerant, Trinense Oppidum cedere, simul cum iis, quos intrà Padum, Sturiam, & Sessitem occupaverat, Pagis, locisque munitioribus. Non diu tamen ea pactio stetit: nam prosperis Friderici elatus successibus Gulielmus, violatâ pace Trinum iteratò invasit, iterumque à Vercellensibus, qui ad propulsandam injuriam cum instructo milite venerant, fuit recuperatum. Quamobrem pulsus trans Padum Marchio, pacis iterum Anno M. C. LXXXII. conditiones admisit, cujus summa fuit, ut ille se multipliciter Vercellensibus sacramento obstringeret; illi verò Marchioni Trinum, & Moranum integrâ cessione dimitterent: lege tamen dictâ, ne munimento ea ipsi liceret firmare loca.

Gulielmi successor Marchio Bonifacius, cùm in expeditionis Syriacæ sumptus ærarium exhausisset, Trinum pretio librarum septem millium Anno M. CC. II. iisdem vendidit Vercellensibus, qui ejus Oppidi dominium pacificè tenuerunt, quousque Gulielmus, dictus senex, Bonifacii Filius, quartus ejus nominis Marchio Montisferrati, alienationem à Patre factam ægrè ferens, supplices Innocentio III. Pontifici Maximo preces obtulit pro contractûs, tanquam enormis læsionis vitio laborantis, rescissione, ac in integrum restitutione: Vercellensibus ex adverso justos emptionis titulos opponentibus. Commisit Pontifex Taurinensi Episcopo, Abbati de Tilieto, Præpositoque de Vezolano causæ cognitionem, horum tamen sententiâ minimè expectatâ, denuò Monferratensem inter, ac Vercellenses ad arma deventum fuit; resque ad cædes, & sanguinem devenisset, nisi communium interventu amicorum, Anno M. CC. XIV. novis pactionibus initis concordatum foret, ut Marchio jus sibi in Trinum competens transferret in Hugonem Præsulem Vercellensem, à quo mox, mediâ trium millium librarum solutione Marchioni numerandarum, in feudum Vercellensibus traderetur.

Ab hoc tempore inconcussum Civitas Vercellensis in Trinenses imperium habuit, donec exortis Civilibus inter Vercellenses ipsos factionum Guelphæ, atque Gibellinæ dissensionibus, intestini motus extrinsecarum rerum turbationem traxêre secum. Arreptâ enim inde occasione, Trinenses, pulso eo, qui mittebatur à Vercellensibus Potestate, ab iis Anno M. CCC. IV. defecere ad Joannem Marchionem Montisferrati. Ut Trinum recuperarent, tertio post defectionem mense, Vercellenses Oppidum cinxêre obsidione, sed imminenti cum validioribus copiis Marchioni longè impares, re infectâ recedere coacti, recuperare minimè ampliùs potuere, nec armorum vi, nec legum præsidio, ad quas adversùs Joannis successores est ab iis sæpius provocatum; quòd nimirum ipsis cum potentiore res esset.

Cùm tandem, per obitum Joannis Georgii Marchionis, Carolus Dux Sabaudiæ veterum pactionum vigore deberi sibi assereret totius Monferratensis Marchionatûs successionem, eaque super re, lis, ut alibi est dictum, fuisset ante Cæsareæ tribunal Curiæ intentata: demumque post nonnulla annorum lustra, defuncto absque prole mascula Francisco Gonzagâ Mantuano Duce, Carolus Emanuel I. Sabaudiæ Dux vetera in Montemferratum jura novis titulis cumulasset; interim verò nequaquam justis suis petitionibus satisfieret; nihil sibi ultrà cunctandum ratus, armis seriò rem agere instituit, aggredique vi apertâ ditionem Monferratensem. Inter alia ejus regionis Oppida, primo loco movens contra id, de quo agimus, Trinum, comitantibus Victore Amedeo, & Francisco Thomâ Principibus Filiis, atque cadente Aprili mense Anni M. D. C. XIII. ex improviso adortus, tridui spatio in suam redegit Oppidum potestatem; unde fuit qui distichon luderet:

Trina dies Trinum trino sub Principe cœpit:
Quid mirum? numquid Mars ibi trinus erat?

Agente Pontifice Summo, cum res ad pacis tractatum deducta esset, depositi titulo Trinum Principi Castilioneo, Cæsaris nomine accipienti, post duos menses, à Sabaudo, juxtà conventa, dimissum est, operiente interim, ut ad optatum juris æquique exitum cuncta perducerentur.

Exempto è vivis post tredecim annorum spatium Vincentio II. Mantuæ Duce, nec Sabaudi postulatis morem gerente Carolo Nivernensi Duce, qui Mantuano Ducatu statim potitus fuit, iterum Sabaudus classicum cecinit contrà Monferratenses, iterumque Trinum obsidione circumvallatum, post continuatam per sex dies oppugnationem, sibi subegit: statimque novis muros operibus, militarique Civitatem præsidio communivit, additis in rei gestæ, bellique causæ memoriam, hisce, supra primariam Portam, carminibus:

JURA FAVENT ARMIS, SUNT PROSPERA NUMINA UTRINQUE:
SIC TRINUM TRINO JURE SABAUDUS HABET.

Pax

Quo Jure Trinum Sabaudicæ Coronæ obvenerit.

Pax poſtmodum Claraſci Anno M. D. C. XXXI. ſancita, Trinum Victori Amedeo I. Sabaudo Duci, qui Carolo Emanueli anno anteriore ab humanis erepto ſucceſſerat, cum aliis non paucis circumpadanæ regionis Oppidis irrevocabili jure poſſidendum aſſeruit.

Trinum ab Hiſpanis bis occupatum.

Nec hic bellorum ad Trinum geſtorum finis: nam flagrante in Ora Pedemontana Civili incendio, occupavêre illud Hiſpani, recuperavitque Anno M. D. C. XLIII. Thomas Princeps à Sabaudia Sabaudicis fretus copiis, Gallicisque. Ut iterum Hiſpanis, induciarum, quæ Anno M. D. C. LII. indictæ fuerant, violatoribus, eadem Civitas, longâ viginti octo dierum obſidione arctata, cederet, in cauſâ fuit afferendi ſubſidii difficultas. Verùm quinquennio poſtremæ hujuſce occupationis exacto, iniquo animo ferens Carolus Emanuel Secundus Allobrogum Dux, tanti momenti Civitatem tandiù ab exteris contrà fas detineri, per Villam Marchionem equeſtrium copiarum Præfectum, aliosque ſtrenuos Militiæ ſuæ Duces, inopinantibus Hiſpanis tentatam, gloriosè die XXII. Julii Anni M. D. C. LVIII. eò cum Chriſtiana Francica Matre, totâque aulicâ comitiva delatus, recuperavit.

A Carolo Emanuele II. recuperatum.

At verò cùm idem Dux, invitatus pacis publicæ beneficio, prudenti conſilio decreviſſet præſidiariæ in ditione ſua Militiæ numerum imminuere, Trinum potiori ex parte nudavit mœnium munimentis, ac procul inde ſublatâ Martis ſtatione, Cererem ejus loco, atque Mercurium introduxit.

Ædes Deo ſacratæ.

Reſtant tamen tutelam non minorem, decoremque Civitati addentia ædificia Deo ſacra. Hæc inter, primum locum obtinet Collegiata eadem, atque Parochialis Eccleſia, D. Bartholomæo Apoſtolo nuncupata, cui ſub unius Præpoſiti dignitate, octo Canonici, ac novem inſerviunt Capellani. Ponè ſequitur ſub invocatione D. Petri Martyris, Templum Fratrum Prædicatorum, in quo è Coronæ Dominicæ ſpinis una, parsque ligni Crucis vivificæ aſſervantur. Carmelitæ etiam, Minoritæque, dicti de Obſervantia, præſto ibidem ſunt Devotioni Trinenſium procurandæ. Nec deſiderantur Sanctimonialium duo, unum videlicet Clariſſarum, aliud inſtituti Carmelitici, Monaſteria. Inſunt etiam aliæ, tam intrà, quam extrà Civitatem Eccleſiæ, illa præſertim, quæ D. Michaëli Archangelo ſacra, veneratione frequentatur peculiari, ob D. Æliani, è Legione Thebæa Martyris, ibidem religiosè ſervata lipſana.


Sancti inde oriundi.

Tutelares etiam inter Cælites, habet eos, quibus ſe dediſſe gloriatur natale ſolum. Hujusmodi eſſe perhibetur B. Occleſius Abbas S. Mariæ de Lucedio, Ordinis Ciſtercienſis, ob multiplicia virtutum ornamenta in Ciſtercienſi Menologio celebratus, atque à Philippo Signino peculiari encomio celebratus, quem ferunt ad Ludovicum Juniorem Francorum Regem pro Gulielmo Monferratenſium Marchione ſuſcepiſſe legationem, eidemque Gulielmo in Hieroſolymitana expeditione fuiſſe comitem. Hujusmodi quoque fuit B. Archangela de Ghirlanis, genere illuſtris, illuſtrior pietate, quæ poſtquam manus adjutrices porrexiſſet fundandis pluribus Carmelitici inſtituti Sanctimonialium in Italia Monaſteriis, ſeipſam quoque eidem Ordini, ſumpto ejus habitu dedicavit, ſanctoque fine in Mantuana Urbe quievit. Ejus verò Soror piæque vitæ imitatrix, B. Maria in veneratione habetur Regii Lepidi in Æmilia, ubi mortalibus depoſitis exuviis, eſt ad ſuperos evocata. Trino etiam fertur oriunda B. Magdalena de Panateriis, Dominicanam Regulam, ſub Tertiariæ cultu, profeſſa, quam deceſſiſſe fama eſt, Sanctimoniâ & Miraculis celebrem. Plures etiam ex Trinenſi Patria prodiêre infulati Patres, virique doctrinâ, ſive rei militaris imperio noti, quos recenſere ſuperſedemus, cùm de iis ſit, qui ſcripſerit ex inſtituto.




ALBA POMP IA
CLARASCA
CLARASCA
TANARUS.
FLUMEN
1. Platea, & Palatium Civitatis.
2. Cathedralis S. Laurentii
3. Conventus, & Ecclesia S. Dominici Ord^s. Præd^rum.
4. Palatium Episcopale.
5. Convent. & Eccles. S. Francisci Min. Convent.
6. Convent. & Eccl^a. S. Ioannis Congreg^s. S. Aug.
7. Convent. & Eccles. S. Bernard. Reformat^m. S. Franc
8. Monasterium S. Catharinæ Cistercienstum.
9. Monasterium S. Claræ.
10. Monasterium S. Mariæ Magdalenæ sub regula S. Dominici fundatum, & extructu pia munificentia B. Margaritæ à Sabaudia.
11. Parochia S. Damiani.
12. Commenda S. Marci. 13. Commenda S. Antonii.
14. Oratorium S. Joseph Societatis Peregrinorum.
15. Seminarium.
16. Hospitale.
AL
BA
21. Porta di S. Martino.
22. Porta del Tanaro.
23. Porta del Soccorso.
24. Bastione di S. Biaggio.
25. Corpo di Guardia di S. Francesco detto il Po
26. Fantasma Bastione.
27. Bastione de' Spagnoli.
8. Castello.
Due Revellini con le sue casematte trà la Po di S. Martino & il Castello.
28.

DESCRIPTIO URBIS ALBÆ POMPEIÆ IN MONTEFERRATO.



Lbam ad Tanarum, aliam ab ea, quæ eſt in Latio, veroſimile eſt à Pompeio Strabone, qui de Ciſalpinis in Romanorum Civium numerum adſcribendis legem in Conſulatu tulit, Pompeiam fuiſſe cognominatam. At Albenſes Pompeio Magno Pompeii Strabonis Filio malunt, ſimul cum Civitatis inſtauratione, acceptum referre nomen, inventâ apud Cerealem, vetus Aſtenſis Diœceſis Oppidum, Inſcriptione, rem, à majoribus acceptam confirmantes, quam in hæc verba conceptam ajunt: *Nominis origo.*

P. CORNELIO P. F. L. N. APHRICANO
ET CN. POMPEIO MAGNO,
CN. F. SEX. N. ALBÆ
INSTAVRAT.
S. P. Q. CEREALIS D.

Antiquitas. De ejusdem antiquitate, ac conditoribus parcimus ea ſcribere, quæ alicubi ſcripta legimus, quod vel aniles, vel Annii Viterbienſis fabulas, & commenta ſapiant. Hoc verò abſque notâ affirmare poſſumus, Albam olim Pompeiam Civitatis donatam nomine, Coloniam, municipiumque Romanorum inſigne, Statiellenſes inter Ligures floruiſſe, eoque nomine priſcis marmoribus memoratam, uti legere eſt in veteris Inſcriptionis fragmento, quod, Auguſtam Taurinorum ad Regios hortos delatum, ex recentioribus non pauci reſcripſere, verùm aliquanto diversè ab eo, quod Philibertus Pingnonius, ex autographo ipſo, ſchedis ſuis notatum reliquit, hujusmodi:

C. CAM. CELSO
AED. PLEB. CERIAL. Q. ADLECT
VM. SENATVS. ORDNEM. AB
A. TRAIANO. AVG. GERM. DAC. PRÆF. COH. BREVCOT.
MVNICIPIO. SVO ALBA POMPEIA. PATRONO COLONIARVM
MVNICIPIOR. ALBÆ POMPEIÆ. AVG. BAGIENNORVM
ENS. GENVENS. AQVENS. STATIEL.... R
DOVER.

Alia in baſi Templi Cathedralis Albenſis extare dicitur marmorea Inſcriptio, quam, ſecus ac nonnulli (Genum, ſive Janum quemdam Deum inibi ſomniantes) hactenus eam ſcripſerint, ita legendam credimus: *Genio Coloniæ Albæ Pompeiæ, in memoriam Salutis Cincii Semproniani, Equitis Romani equo publico, Sempronia Sabina Mater, & Julia Sabina Soror, de ſua pecunia poſuerunt.*

ALBÆ POMPEIÆ DESCRIPTIO.

GENIO
COL. ALB. POMP.
IN MEMORIAM
SAL. CINCI SEMPRONIANI
EQ. R. EQ. PVB.
SEMPRONIA
SABINA MATER
ET IVLIA SABINA SOROR
D. S. P. P.

Hujus Civitatis, præter Ptolemæum, & Plinium, meminit quoque è veteribus Scriptoribus Xiphilinus è Dione, dum ait, ei ornamentum plurimum collatum ex natalibus Ælii Pertinacis, qui, Patre licet ignobili, virtutum meritis exigentibus, ad militiæ Tribunatum evectus, bisque Consulatu cum omnium Ordinum gratulatione perfunctus, ex Præfecto Prætorio denique, Prætorianorum Militum studio, Senatu libenter assentiente, Imperator acclamatus est. Cùm autem Imperium, Didii Juliani scelere interfectus, non nisi paucis mensibus tenuisset, post necem inter Divos relatum fuisse, populo interim eas voces iterante: *Pertinace imperante securi viximus, neminem timuimus: Patri pio, Patri Senatûs, Patri omnium bonorum*, Aurelius Victor, Herodianusque testantur. Extitisse autem olim Albæ gentem sive familiam cognomine Pertinacem, satis probat antiquus ibidem lapis, hisce inscriptus notis:

Alba Ælii Pertinacis Imp. Patria.

CN. IVLIO
PERTINACI
AED. QVAEST
PRAEF. FABR.
CN. DIDIVS
HERMES
FILIO PIISSIMO
L. D. D. D.

Confinia.

Urbs ad Tanarum, quem superius dixi, fluvium, atque in ea Liguriæ Cispadanæ parte, quam nunc temporis Langam dicimus, sita, habet ab Oriente Insubriam, à Meridie montanam Liguriam, ab Occidente Pedemontium, seu Subalpinos, à Septentrione Comitatum Astensem. Ejus ager partim in planitiem, partim in amœnos divisus colles, ubere gaudet solo, licèt bellico Marte, Cereri, Bacchoque officiente, culturæ defectu aliquandò sterilescere visus sit. Frumenti alicubi minus ferax, vino tamen abundat, eoque generosissimo, quod indè, cum non spernendo incolarum lucro, ad exteros exportatur. Cùm non æqualem in cunctis sui ambitûs partibus, Civitas cæli clementiam sit sortita, feliciùs, infeliciùsque, pro loci qualitate, producendæ in ævum vitæ, tuendæque valetudini, inhabitatur. Pars, quæ situ editiore Cathedralem circumambit Ecclesiam, atque Palatium Episcopale, aëre gaudet salubriore: non ita, quæ prope decurrente alluuntur Tanaro, Civitatis radices inferiores. Populo, in universum minùs quàm olim frequens, minùsque familiis nobilibus est decorata: quarum indices plures, quæ passim occurrunt turres, jam ut plurimùm fatiscentes, veterem Civium potentiam, ac splendorem mutuâ prædicant eloquentiâ.

Agri fertilitas.

Aëris diversitas.

Quid huic Urbi, labente ad Barbarorum in Italiam adventum Romanorum potentiâ, peculiariter actum sit, certo nobis omnino documento non constat: hoc unum historiarum sacrarum monumentis testatum legimus, prædicatione D. Dalmatii, qui postea prope Rupem-Guidonis, Pedonamque Oppida, non longè à Gegio fluvio, qui subtus Cuneum in Sturiam labitur, martyrium passus est, Albenses ad Christi fidem magna ex parte tractos, Cornelio Romanum gerente Pontificatum, ad Annum videlicet reparatæ salutis CC. L. in eadem illibatâ fide perseveràsse, sævientibus licèt in Christicolas Romanorum Imperatorum edictis: quo tempore Frontinianus, nobili, Christianoque genere Carcassone in Gallia ortus, cùm, Româ in Patriam rediens, apud Albam Pompeiam, ut ejus acta referunt, puellam à Dæmone liberàsset, eoque miraculo quamplures è superstitibus ibidem adhuc Gentilibus Idolorum cultui vale dixissent, comprehensus Præfecti, id indignè ferentis, jussu, in Christiano proposito constantissimè perseverans, capite plexus est: eoque loco, ubi sacrum ejus Corpus est tumulatum, constructa successu temporis fuit Benedictini Ordinis nobilis Abbatia, Episcopali postmodum mensæ unita.

Albenses à Divo Dalmatio ad Christum converti.

Proprium sibi Episcopum, Metropolitæ Medio-

Mediolanensis Suffraganeum maturè admodum eadem Civitas à Romano Pontifice impetravit, cùm videlicet jam ab Anno Christi CCC. LII. ei præfuisse tradatur S. Dionysius, S. Eusebii Præsulis Vercellensis Discipulus, vir divinis humanisque litteris insigniter eruditus, quem Socrates, atque Eusebius, Historiæ Ecclesiasticæ antiqui Scriptores, vocant *Albæ, primariæ Urbis Italiæ* Episcopum. Hic verò idem ille Dionysius esse creditur, qui postmodum ad Archiepiscopatûs Mediolanensis infulas sublimatus, multa contra Arianos sapienter egit, atque ab eisdem fortiter toleravit. Ejus in Albensi Cathedra Successorum ad Lampadium usque, qui Anno CCCC. XCVIII. Concilio Romano sub Symmacho Papa subscripsit, nomina, gestaque interciderunt. Huic suffectum reperimus Venantium, deinde D. Benedictum, qui in sexta Constantinopolitana Synodo præsens fuit, reliquosque à Francisco Augustino ab Ecclesia in Historia Pedemontanorum Præsulum Chronologica, atque à Ferdinando Ughello Italiæ Sacræ tomo 4. commemoratos: quos inter non pauci litteris, sanctimoniâ, ac natalium splendore illustres. Diœcesim porrò Albensis Antistes habet, Parœciarum numero, atque territorii amplitudine, quod ad quadraginta passuum millia in longum protendi dicitur, sat insignem. Oppidorum pleraque, sicuti & ipsa Civitas, Sabaudo Duci: reliqua partim Cæsareæ, partim Catholicæ Majestati, partim Mantuano Duci in temporalibus obsequuntur. Quamplura olim subdita Carrectensibus, sive Savonensibus, nec non etiam Cevensibus Marchionibus loca, ea nimirum, quæ citrà Juga Ligusticorum montium sunt sita, complectebatur: habebatque insuper Dolianum illustre Oppidum, simul cum Pagis Castellisque ab eo, Vicariatûs nomine, dependentibus, quæ fuêre postmodum, Marchionatui primùm, tum Episcopatui assignatæ Salutiensi.

S. Dionysius Albæ Episcopus.

Albensis Episcopi Diœcesis.

Dominorum post Romanos mutatio.

Post Romani occasum Imperii, verosimile omnino est, Albam paruisse primò Gothis, deinde iis, qui Sedem fixêre in Insubria Regiam, Langobardis. His à Carolo Francorum Rege ex Italico solo exactis, fuêre Albensium res quietæ, usque ad nonum reparatæ Salutis sæculum, quo variis cladibus adflicti sunt à rapacissima gente Saracenorum, postquam, teste Luithprando Ticinensi, ex Hispania in Provinciam navigio appulsi, occupatoque in Italicorum ac Provincialium confiniis Fraxineto, non Alpes modò, sed Subalpina omnia devastârunt. Tunc igne crematâ ab iis Urbe, Episcopalisque Dignitatis splendore in totum extincto, Rohoni Præsuli, decreto Provincialis Mediolanensis Concilii, annuentibusque Summo Pontifice, atque Ottone Primo Cæsare commissa fuit per aliquod tempus Ecclesiæ Albensis administratio. Verùm non multos post annos in patrium ovile iterum conveniente disperso grege, reædificatis sacris Basilicis, atque Rohonis industriâ Ecclesiasticis proventibus instauratis, Pastorem suum recuperavit, successivèque ad nostra usque tempora habuit.


Quod ad externum Civitatis dominium spectat; postquam in Germania electos Imperatores, impares rebus Italicis componendis credens Insubria, exterorum jugum, vel omnino excutere, vel certis retinere conditionibus ausa est, libertatique, sub umbratili Imperii nominè aperuêre januam fœdera Civitatum; reliquorum instar populorum Albenses per aliquod annorum spatium suis vixêre legibus, creatisque annuis Consulibus, & Tribuno (Potestatem vulgò indigitabant) non modò jura ipsi suis dicebant Civibus, verùm etiam in bellum quandoque contra finitimos procedentes, tributum sibi pendere, secumque expeditiones inire publicas adegerunt populos nonnullorum circumstantium Oppidorum. Ast verò, quæ est humanarum rerum vicissitudo, cùm eos denique auxilia defecissent, insurrexissentque intestinæ Guelphorum, Gibellinorumque, ut in cæteris Insubriæ Civitatibus, factiones, coacti alienum subire imperium, paruêre nonnulla Albensis Comitatus Castella Astensibus, nonnulla Vercellensibus, Civitas verò ipsa Monferratensibus primùm Marchionibus; tum Provinciæ Phocensis Comitibus, ad Regni Siculi coronam evocatis; deinde Vicecomitibus, Mediolani Dominis, atque ab eis causam habenti Clarentio Duci Anglo; Achaiensibus Sabaudæ Stirpis Principibus; Salutiensi postmodum Marchioni; Mantuano, novissimèque Sabaudo Duci. Cùm enim extinctâ Anno M. D. XXXIII. in Joanne Georgio Marchione Monferratensi masculinâ Palæologorum progenie, Carolus, cognomento Bonus, Dux Allobrogum jure clientelari affectam Coronæ suæ assereret successionem totius ejus Marchionatûs: deberique sibi præterea virtute pactorum Aimonem inter Sabaudiæ Comitem, atque Theodorum Palæologum Montisferrati Marchionem, cujus Filiam Yolantam in Uxorem duxerat, Anno M. CCC. XXX. initorum; nec non jure dotali Blancæ Palæologæ, Carolo I. Sabaudiæ Duci nuptæ: è contra verò Fridericus Gonzaga Mantuanorum Dux, jus uxorium repræsentans, ejusdem Marchionatûs possessionem à Carolo V. Cæsare, in cujus Aula lis super ea quæstione agitabatur, obtinuisset; petitioni judiciaria ordine decidendæ quamplura annorum lustra frustra absumpta sunt, donec Anno M. D. XL. Friderico Gonzagâ Duce è vivis sublato, superstitibus Francisco, Gulielmo, & Ludovico filiis, contra horum Successores à Carolo Emanuele I. Sabaudiæ Duce, ejusque Primogenito Victore Amedeo, tunc Pedemontium Principe, prospero utplurimum Marte, utì & justâ causâ, per decem ferme & octo annos pugnatum est. Tunc Alba Civitas, qua de agimus, Tridinum, Monscalvus, aliaque nobilia ejus Ditionis Oppida Sabaudo victori iterum, ac tertiò in prædam cessêre: tunc uberrima, saluberrimaque totius oræ circumpadanæ regio, diversimodè


modè afflictis incolarum rebus, exposita hostilibus rapinis, incendiis, cædibus, solitudinem, vastitatemque induit. Tandem ad Annum M. D. C. XXX. ipso quoque defuncto Carolo Emanuele Sabaudo Duce, Succedenteque Filio Victore Amedeo, hujus nominis Primo, cùm Clarasci ad belli fomitem extinguendum convenissent Cæsarei, Regisque Christianissimi Oratores, pax ibidem inter Sabaudum, Mantuanumque sancita est, vigore cujus Alba Civitas, aliaque, tam citra, quàm ultrà Tanarum insignia Oppida, Coronæ Sabaudicæ obvenerunt. Post adeptum verò ejusdem Urbis dominium, assumptaque Monferratensis Ducatûs (hunc ei Ditioni titulum Maximilianus II. Imperator jam multò anteà indulserat, quamquam frequentius Marchionatûs nomine audiat,) insignia, eandem idem Sabaudis Dux esse Provinciæ caput jussit, jurique dicendo Præfecturæ tribunal, à quo tamen licet ad Supremum Taurinensis Senatûs judicium provocare: Hæc de Civitatis dominio pro tempore satis.


Templa. De rebus Sacris ut aliqua repetamus; visitur ibidem Cathedralis Basilica, D. Laurentio Martyri dedicata, veteris quidem structuræ, sed ab Episcopo suo Paulo Britio, erudito non minùs quàm pio Viro, eleganter admodum nostro ævo instaurata: quod idem præstitit in ea, quæ è regione Cathedralis est, campanaria Turri, Palatioque Episcopali. *Sacra Lipsana.* In Cathedrali, piâ veneratione coluntur Corpora SS. Frontiniani, quem superiùs nominavi, Eufredi & Cassiani Martyrum, S. Theobaldi Albensium, Monteregalensiumque Patroni Eufredi Monachi, ac B. Alerini de Rambaudis, qui ad Annum M. CCCC. XIX. inter hujus Civitatis Episcopos recensetur, aliæque plures insignes inter Divos relatorum Reliquiæ. Inest ibidem quatuordecim Canonicorum Capitulum, inter quos eminent dignitate Archidiaconus, Archipresbiter, Cantor, Decanus. Præter Cathedralem, aliæ tres intrà territorii septa Ecclesiæ frequentantur Parochiales. Insunt præterea duæ, una quidem sub D. Antonii, alia sub D. Marci titulo Commendatæ. Quatuor insuper Regularium Domicilia, Fratrum scilicet Prædicatorum (hujus fundator perhibetur B. Robaldus de Rambaudis, unus ex S. P. Dominici Sociis) Minorum Conventualium, Observantumque Reformatorum, atque Augustinensium. Fœminarum tria numerat Monasteria, unum quidem D. Magdalenæ nuncupatum, olim ab Ascetis inhabitatum Humiliatis, ubi sacratæ Deo Virgines præfati D. Dominici Regulam profitentur. In harum verò Ecclesia piè colitur Corpus B. Margaritæ à Sabaudia, Amedei Achaiæ Principis Filiæ, ejusdem Monasterii fundatricis, quæ cùm Theodoro Monferratensium Marchioni nupsisset, post Viri decessum electo habitu, statuque Religioso, ibidem, non sine prodigiorum fama diem clausit extremum, eleganti loculo marmoreo ejus effigiem repræsentante primitus tumulata cum hoc Epitaphio: *B. Margareta à Sabaudia.*

Hic jacet Corpus Beatæ Margaretæ Sabaudiæ,
Marchionissæ Montisferrati, Ordinis Sancti Dominici
præsentis Monasterii fundatricis.


Posteà verò à Principe Mauritio Sabaudo, tunc S. R. E. Cardinali, pretiosissimâ ex argento solido capsulâ, cum epigraphe grati, piique in gentilem suam animi indice decorata. Alterum Sanctimonialium domicilium, eidem D. Dominici annexum Regulæ, D. Catharinæ titulum præfert: tertium verò est, sub D. Francisci legibus, Clarissarum. Omittimus nonnulla quæ supersunt Laicorum Sodalitia, aliaque ad Dei cultum, proximorumque subsidium peculiariter destinata loca. Tacemus etiam, ne brevitatis propositum excedamus, illustres Viros hinc oriundos, qui ingenia in utraque Pallade excolentes, assumptique ad primarias Ditionis Sabaudicæ dignitates, hanc diversimodè Patriam exornârunt.




BORMIDA FL.
IHS
CVRTISMILIVM
42



DOLIANVM



DESCRIPTIO OPPIDI CURTISMILII AD BURMIDAM IN MONTEFERRATO.



Mnis Burmida, qui, ex Ligusticis ortus jugis, Cevensis, atque Carretensis Toparchiarum agros, potissimamque Langarum partem aquis, jugiter fermè turbidis, diversorum tamen piscium feracissimis, alluit; antequam Aquensem Diœcesim, ac Montisferrati, Mantuano Duci subditam regionem ingrediatur, Curtismilium Oppidum (Italicè *Cortemiglia*) ligneo coërcitus ponte, in duo secat; Oppidoque ipsi, quod in spiritualibus Albensi Episcopo paret, ad propulsandas subitas hostium aggressiones, ex Orientali, Australi, Occidentalique lateribus, est vice muri: utì ex ea, quam exhibemus, figura liquido apparet. Unde id nominis etymon antiquitas derivârit, nobis hactenus est incompertum: potuit enim, vel à Curte (ità Barbarorum ævo audivit frequentior locus, ubi jus reddi ab ordinariis, sive extrà ordinem delectis Judicibus consueverat) de Æmiliorum gente alicujus detorto vocabulo, appellari; vel à curtis, brevioribusque milliariis, per lapides indicatis, quæ in iis Ligurum confiniis esse in usu solent, plus quam in Pedemontanis, Insubribusque, qui itinera longioribus metiuntur.

Situs.

Nominis incerta origo.

Quicquid sit, Oppidum loco satìs amœno, atque salubri situm, populo, valde industrio habitatum, ædificiis, tàm sacris, quàm profanis, viis, forisque aptè distinctum, mercimoniisque aptissimum, ob iter facientium ex Ora Maritima in ditionem Pedemontanam, indèque regredientium appulsum quotidianum, non immeritò inter ejus tractûs nobiliora censetur. Inter ea verò, quibus abundat peculiariter ejus ager, primum meretur locum vini, si quod aliud, generosissimi, delicatissimique proventus ingens. Adsunt etiam cæteræ fruges alibi in ea vicinia legi solitæ, præsertim verò castanearum vim magnam afferentia nemora, atque, mensis divitum expetita, saporis optimi tubera.

Ager adjacens vini & Castanearum ferax.

Pars, quæ ultrà Burmidam est, æquali planitie, munitâ tamen undique muro, turribusque veteris operis, dilatatur. Ea verò, cui dixi vice mœnium amnem esse, super declivibus præcelsi Collis radicibus inædificata, ascendit sensim, quousque ad eminens in vertice summo Castellum perveniatur.

Oppidi descriptio.

Id, olim admodum conspicuum, atque capax, ac situ, manuque, difficile expugnatu, nunc majore ex parte dirutum, seu fatiscens, inhabitârunt prioribus sæculis proprii Marchiones, qui Curtismilii dicebantur, præterque Cagnæ, Perreti, Diegi, aliosque eidem Marchionatui junctos Pagos, Pontis etiam, atque Turris Oppidorum dominia possidebant; unde geniti Carrettenses, ejus agnominis, Marchiones, Savonam utplurimùm incolentes. Ex his verò ortus perhibetur Orlandus de Caretto Archiepiscopus ad Annum M. D. XII. Avenionensis, aliique sacris

Veteres Domini.

insulis decorati. Præter Carrettenses verò, ejusdem Castelli ex parte dominium habuerunt Marchiones Salutienses, Nobiles de Scarampis, aliæque insignes familiæ, de quibus exactiorem notitiam habere desideramus.

Incolarum mores.

At incolæ, agris non minùs colendis, quàm armorum tractationi, idonei, habilesque, operibus etiam pietatis incumbunt sedulò: cujus rei egregium perhibet testimonium, antiquissimum Minoritarum Conventualium Cœnobium, à sæculo usque, quo D. Franciscus in humanis agebat, felicibus constructum auspiciis; curante, utì perhibent, B. Gulielmo, ex hac eadem Patria oriundo, ex ejusdem Seraphici Patris sociis uno, qui vitæ sanctimoniâ, mirandorumque patratione illustris, extremum scribitur clausisse diem Bononiæ, circa Annum Christi M. CC. XCV. fuisseque in eadem Civitate honorificè tumulatus, penès Divi Bernardini sanctimoniales, utì testatur Antonius Masinius in sua Bononia perlustrata.

Cœnobium Minoritarum Conventualium.

F I N I S Secundæ Partis Tomi secundi ac totius Operis.





INDEX

SECUNDÆ PARTIS VOLUMINIS II.

Qq



DESCRIP
PEDEMON

T. I. P. I.